UNIVERSITAS CATHOLICA LOVANIENSIS

DISSERTATIONES
Ad gradum doctoris in Facultate Theologica consequendum conscriptae
SERIES II, T. VIII, TOTIUS COLLECTIONIS, T. LXIII

DE ESSENTIA SS. MISSAE SACRIFICII

DISSERTATIO

QUAM CONSCRIPSIT

Henricus LAMIROY
PHILOSOPHIAE DOCTOR
SACRAE THEOLOGIAE LICENTIATUS

LOVANII
EXCUDEBAT P. SMEESTERS
1919

DE ESSENTIA SS. MISSAE SACRIFICII

UNIVERSITAS CATHOLICA LOVANIENSIS

DISSERTATIONES
Ad gradum doctoris in Facultate Theologica consequendum conscriptae
SERIES II, T. VIII, TOTIUS COLLECTIONIS, T. LXIII

DE ESSENTIA SS. MISSAE SACRIFICII

DISSERTATIO

QUAM CONSCRIPSIT

Henricus LAMIROY
PHILOSOPHIAE DOCTOR
SACRAE THEOLOGIAE LICENTIATUS

LOVANII
EXCUDEBAT P. SMEESTERS
1919

Opus, quod inscribitur : « De essentia ss. Missae sacrificii », auctore Henrico Lamiroy, Philosophiae Doctore et Sacrae Theologiae Licentiato, ex auctoritate Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis atque legum academicarum praescripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil contineri visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, die 3 Julii MCMXIX.

P. LADEUZE,
Rector Univ.

ILLUSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO

DOMINO · DOMINO

GUSTAVO · JOSEPHO · WAFFELAERT

EPISCOPO · BRUGENSI

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

ORDINIS · LEOPOLDINI · BELGII · COMMENDATORI

PRÆSULI

SCIENTIA · PIETATE · FORTITUDINE · SPECTATISSIMO

CLERI · POPULIQUE · PATRI · AMANTISSIMO

SCIENTIARUM · THEOLOGICARUM

CULTORI · ATQUE · FAUTORI · INSIGNI

IN · PERENNE · GRATI · ANIMI

AC · FILIALIS · AMORIS

TESTIMONIUM

ILLUSTRISSIMO · DOCTISSIMO · DOMINO

PAULINO LADEUZE

PROTON. APOST. · AD · INSTAR · PARTICIPANTIUM

ECCLES. · CATH. · TORNACENSIS · CANONICO · HONORARIO

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

GALLIÆ · INSTITUTI · SOCIO · LITT. · ADJUNCTO

ORDINIS · LEOPOLDINI · BELGII · DECURIONI

UNIVERSITATIS · CATHOLICÆ · RECTORI · MAGNIFICO

&

VIRO · EXIMIO · DOCTISSIMO

JOSEPHO · BITTREMIEUX

PHILOSOPHIÆ · ET · SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

THEOL. · DOGMAT. · SPEC. · LECTORI

SUORUM · STUDIORUM · MODERATORI

HANC · SUAM · DISSERTATIONEM · GRATO · ANIMO

DEDICAVIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Cum in sectione finali partis prooemialis hujus dissertationis enucleate expositum sit, quaenam sint problemata successive enodanda ad quaestionem de essentia ss. Missae sacrificii rite solvendam, satis erit quaedam praefari de generali ratione, qua hanc investigationem suscepimus.

Disputationem nostram ad determinandam essentiam altissimi sacrificii novae legis coarctamus. Jam enim de sanctissimo Missae sacrificio, videlicet non solum de hujus essentia, sed etiam de ejus existentia, efficacia et congruentia praeclare scripsit ILL. AC REV. LAMBRECHT, olim EPISCOPUS GANDAVENSIS, in dissertatione sua inaugurali ad gradum doctoris ; sed, uti in primo capite nostri prooemii palam fecimus, controversia de essentia Missae hisce ultimis temporibus in diversas vias deflexit.

Et revera in theologia catholica primo, novae sententiae enatae sunt aut saltem resuscitatae apparuerunt; ipsam methodum deinde, qua jam pridem hanc quaestionem de essentia Missae tractaverunt, juxta quosdam auctores innovare oporteret.

In theologia protestantica secundo, recentiores aliqui critici thesim catholicam de existentia sacrificii Eucharistici profiteri videntur, sed in explicanda essentia hujusce sacrificii longius a veritate aberrant.

Operae pretium fuerit igitur examen de essentia ss. Missae sacrificii denuo instituere, et ne quodlibet elementum aprioristicum in hanc controversiam tam acriter disceptatam invehere videremur, methodo omnino a posteriori procedere statuimus.

Quoniam hanc disquisitionem dogmatice suscepimus, abstinere voluimus a qualicumque consideratione, quae magis ad pietatem, quam ad ipsam scientiam theologicam fecisset. Attamen, quum eamdem doctrinam semper, ubique et ab omnibus in Ecclesia acceptatam fuisse in propatulo sit, fieri non potest ut inde augmentum fidei non accipiamus. Liceat ergo cum ILL. AC REV. DD. WAFFELAERT, EPISCOPO BRUGENSI, qui ab ipso suscepti muneris episcopalis initio, nunquam destitit, omni conatu et solertia sacerdotes suos adhortari ut ss. Missae sacrificium tanquam « centrum vitae suae sacerdotalis et fontem inexhaustum omnium gratiarum ac benedictionum coelestium » haberent, exoptare « ut magis magisque hoc sublime mysterium noscamus penitioremque ejusdem assequamur intelligentiam, quo magis in dies divini amoris in cordibus nostris ignis exardescat, eaque mirabili suavitate tanti mysterii repleat ».

Restat ut summae gratitudinis debitum persolvamus magistris nostris peritissimis, qui varias scientiae theologicae disciplinas nos docuerunt, imprimis ILL. AC REV. LAMINNE, EPISC. AUXIL. LEODIENSI, quo egregio duce hanc dissertationem concinnare incepimus, necnon EXIMIO D. PROFESSORI J. BITTREMIEUX, qui nobis, in hoc opere demum absolvendo, prudentibus suis consiliis, semper benignissime astitit.

H. LAMIROY.

INDEX RERUM ANALYTICUS.

Pars prooemialis.

CAPUT I.

De variis sententiis, quae de essentia ss. Missae sacrificii prolatae fuerunt.

CAPUT II.

De variis methodis in definienda essentia ss. Missae sacrificii adhibitis.

Pars prima.

CAPUT I.

Statuitur recta definitio sacrificii in genere.

Sectio I.

Descriptio sacrificii.

Sectio II.

Elementa quae sacrificium constituunt.

Sectio III.

Definitio sacrificii.

CAPUT II.

Refelluntur objectiones, quae adversus definitionem modo statutam afferuntur.

SECTIO I.

DE VARIIS ALIIS SENTENTIIS, QUAE ELEMENTA SACRIFICII DIVERSIMODE DETERMINANT.

SECTIO II.

DE VARIIS SENTENTIIS, QUAE ALIAM DEFINITIONEM SACRIFICII PROPONUNT.

Pars secunda.

CAPUT I.

Elementa, quae sacrificium Eucharisticum constituunt, ex Scriptura sacra eruuntur.

SECTIO I.

TESTIMONIA SACRAE SCRIPTURAE, QUAE EXAMINARI DEBENT.

Sectio II.

De relatione coenae Eucharisticae ad ritum paschalem et ad antiquum foedus.

Sectio III.

Interpretatio textuum.

CAPUT II.

Traditio patristica ante Concilium Nicaenum (a. 325).

Sectio I.

Patres apostolici.

Sectio II.

Apologetae II saeculi.

SECTIO III.

PATRES III SAECULI.

CAPUT III.

Testimonia Patrum a saec. IV ad finem aevi patristici. Explicationes scholasticorum. — Doctrina ss. Concilii Tridentini.

SECTIO I.

PATRES ECCLESIAE GRAECAE.

SECTIO II.

PATRES ECCLESIAE LATINAE.

SECTIO III.

DOCTRINA SCHOLAE.

SECTIO IV.

DOCTRINA CONCILII TRIDENTINI.

Pars tertia.

CAPUT I.

Quomodo celebratio Eucharistiae sit verum sacrificium.

SECTIO I.

DE ACTIONE SACRIFICA IN SACRIFICIO MISSAE.

SECTIO II.

DE RE OBLATA IN SACRIFICIO EUCHARISTICO.

SECTIO III.

SECTIO IV.

DE OFFERENTE SACRIFICIUM EUCHARISTICUM.

CAPUT II.

Quaenam sit relatio sacrificii Eucharistici ad sacrificium crucis.

SECTIO I.

SACRIFICIUM INCRUENTUM EST INTRINSECE COMMEMORATIVUM ET REPRAESENTATIVUM SACRIFICII CRUENTI.

SECTIO II.

Pars prooemialis.

CAPUT I.

DE VARIIS SENTENTIIS, QUAE DE ESSENTIA SS. MISSAE SACRIFICII PROLATAE FUERUNT.

Nulla controversia forsan tot ac tantas provocavit disceptationes, nulla certo tam diversas nacta est solutiones, quam quaestio de essentia ss. Missae sacrificii, de qua in praesenti dissertatione disputare intendimus. Hac de causa disquisitionem historicam praemittendam ducimus, in qua praecipuas theorias propugnatas ad summa quaedam capita redigere conabimur, ut prima fronte scopus hujus dissertationis luculenter appareat, atque tota ratio simul tractandae materiae apte percipiatur. Mens nostra non est ut historiam Missae sacrificii conficiamus, itaque explicatur cur in hac parte varias sententias per defensores suos principes, et non potius per parentes suos, denominare possimus ; ex eodem intento nostro intelligitur quare solam actionem sacrificalem nunc attendamus, quamquam essentia sacrificii plura elementa complectitur ; de hac nimirum actione praecipue viget colluctatio inter doctores, qui de aliis elementis fere consentiunt.

Proprium est huic dogmati de sacrificio Missae, quod per saecula quindecim inconcussum in Ecclesia steterit, et theologia catholica rem uti planam et omnis difficultatis quasi expertem habuerit, dum abhinc fere quattuor saeculis varia systemata de hoc sacrificio explanando indesinenter successere, quin ulla unquam sententia omnibus theologis arridere potuerit.

Sectio I.

Doctrina Reformatorum de Missa.

Disputatio coepit tempore Reformationis, quando Lutherus veritatem sacrificii Eucharistici infitiatus, nullum aliud verum

sacrificium agnovit quam sacrificium crucis, et celebrationem Eucharistiae ad confectionem sacramenti et ad testamentum reducendam contendit.

« Repugnat (enim, inquit,) Missam esse sacrificium, cum illam recipiamus, hoc vero demus. Idem autem simul recipi et offerri non potest, nec ab eodem simul dari et acceptari, non magis certe quam oratio et impetrata res queunt idem esse, nec idem sit orare et orata accipere » (1). — « Et exemplum Christi pro nobis stat. Non enim Christus in caena novissima, cum institueret hoc sacramentum et conderet testamentum, ipsum obtulit Deo Patri aut ut opus bonum pro aliis perfecit, sed in mensa sedens singulis idem testamentum proposuit et signum exhibuit. Jam Missa quanto vicinior et similior primae omnium Missae, quam Christus in caena fecit, tanto christianior » (2). — « Nihil hic offerre, nihil operari, sed accipere tantum, comedere et bibere mandatur » (3). — « Pugnant offerri Deo et sumi a nobis »; quare et « vos nihil donare nec offerre potestis in placationem aut remissionem, sed gratis donatur vobis » (4).

Ad verbum Dei scriptum proin praeprimis recurramus oportet, juxta Lutherum, ut genuinam mentem Christi instituentis Eucharistiam, accipiamus, et quum ipsi opponebatur traditio ecclesiastica, ita respondebat : « Hoc objectum aliud nihil vult, quam quod solent jactare patres, patres, decreta, decreta, ecclesia, ecclesia, quoties nos a verbis Dei in verba hominum trahere conantur. Rursum si verbum Dei opponas, occlusis auribus clamant : non intelligis sane, expositioni patrum credendum est. Ita sub nomine patrum nobis exterminant verbum Dei. Nos quoque hic dicimus et multo fortius clamamus : evangelium, evangelium, Christus, Christus » (5).

Concedebat tamen Lutherus celebrationem Eucharistiae vocari sacrificium laudis : « offeruntur (enim) orationes, non Missa » (6),

(1) Lutherus, *De captivitate babylonica Ecclesiae praeludium* (1520), in D. Martin Luthers *Werke, Kritische Gesammtausgabe* (= WA.), VI, p. 523 s., Weimar, 1888 ; cf. etiam ejusdem Lutheri sermonem de NT., *Eyn Sermon von dem newen Testament, das ist von der heylige Messe* (1520), in eadem ed., WA., VI, p. 364.

(2) *De captivitate babyl.*, in WA., VI, p. 523 ; cf. adhuc sermonem de NT. mox citatum, in WA., VI, p. 364 et opus *De abroganda Missa privata* (1521), II, in WA., VIII, p. 444, 1889.

(3) *De abrog. Missa*, II, in WA., VIII, p. 439 ; cf. insuper scriptum *Vom Miszbrauch der Messe* (1521), II, in WA., VIII, p. 515.

(4) *De abrog. Missa*, II, in WA., VIII, p. 440 et p. 443.

(5) *Ibidem*, p. 448.

(6) *De captivitate babyl.*, in WA., VI, p. 525 ; vide etiam in eodem scripto p. 522.

et memoria simul passionis tanquam beneficii accepti recolitur (1); haec fuit Ecclesiae primitivae fides, et posteriore tantum tempore invecta est notio sacrificii proprie dicti, in Eucharistia offerendi, ex perperam nimirum intellectis christianorum « collectis » : « Dicemus, aiebat, ex Apostolo, I Cor., XI, nos doceri, solitos fuisse fideles Christi ad Missam congregatos secum afferre cibum ac potum quas collectas vocabant, quae distribuerentur in omnes egentes, exemplo Apostolorum, Act., IV, e quibus sumebatur, id quod consecrabatur panis et vini pro sacramento » (2), postquam haec dona per elevationem seu « oblationem », cum oratione et gratiarum actione, sanctificata fuerant.

* * *

Cum hac negatione sacrificii proprie dicti in Eucharistia reformatores omnes concinuere (3), quamvis memoriam passionis in coena celebranda renovari profiterentur. Ita nimirum explicite confessus est CALVINUS : « Neque diffitemur, quin ita nobis proponatur Christi immolatio, ut crucis spectaculum paene ob oculos statuatur » (4), et « si quis hinc inde concisas veterum sententias obtrudat, et eorum auctoritate contendat aliter intelligendum esse quod in caena peragitur sacrificium quam nos exponamus, huic breviter responsum sit :... Utuntur quidem illi (veteres) sacrificii vocabulo, verum simul exponunt se aliud nihil intelligere quam

(1) *De captivitate babyl.*, in WA., VI, p. 516; cf. adhuc *Formulam Missae et communionis* (1523), in WA., XII, p. 211, 1891; item scriptum *Von der Winkelmesse und Pfaffenweihe* (1533), in WA., XXXVIII, p. 240, 1912.

(2) *De captivitate babyl.*, in WA., VI, p. 524; cf. etiam sermonem de NT., in WA., VI, p. 365.

(3) Cf. *Confessionem Augustanam*, ubi de Missa agit, in *Corp. Reformatorum* (= CR.), XXVI, 297 s., 375 s., 608 s., 748 s., Brunsvigae, 1858 et PH. MELANCHTONEM in *Apologia Confess. Augustanae*, B, in CR., XXVII, 608 s., Brunsvigae, 1859. — *Ibidem*, col. 611, reperire est definitionem sacrificii a Melanchtone propositam : « sacrificium est caeremonia, vel opus quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus »; vaticinium Malachiae de sacrificio spirituali audiendum esse propugnat *ibidem*, col. 614.

(4) CALVINUS, *Institut. Relig. christ.*, (1559), lib. IV, de externis mediis ad salutem, cap. XVIII, de Missa, n. 11. inter opera Calvini, II, in CR., XXX, 1059, Brunsvigae, 1864. — Conferre etiam est ed. princ. a. 1536, in lib. IV, de sacramentis, inter opera Calvini, I, in CR., XXIX, praesertim col. 136 s., Brunsvigae, 1863 et ed. alteram a. 1539-1554, cap. XVIII (XII), de caena Domini, nn. 49-69, inter op. Calvini, I, in CR., XXIX. 1023-1036. — Haec altera ed. parum differt a tertia; ordo tamen inter quaestiones tractatas hinc inde mutatur. — Cf. adhuc *Petit Traicté de la saincte Cène*, inter opera Calvini, V, in CR., XXXIII, 433 s., Brunsvigae, 1866, praesertim col. 456 s.

memoriam veri et unici sacrificii, quod in cruce peregit Christus, unicus, ut ipsi passim praedicant, noster sacerdos » (1). Sane sacrificia VT. etiam repraesentabant sacrificium crucis, sed distincta ratione ab Eucharistia, nam « si quis diligenter expendat, hoc discrimen inter mosaica sacrificia et Eucharistiam nostram verbo Domini statui observabit, quod quum illa eamdem mortis Christi efficaciam populo judaico repraesentarint, quæ nobis in caena hodie exhibetur, diversa tamen fuerit repraesentationis species. Siquidem illic sacerdotes levitici, quod peracturus erat Christus sacrificium, jubebantur figurare : sistebatur hostia, quæ vicem ipsius Christi subiret ; erat altare, in quo immolaretur ; sic denique gerebantur omnia, ut ob oculos poneretur sacrificii effigies, quod Deo in expiatione offerendum erat. At peracto sacrificio aliam nobis rationem Dominus instituit : nempe ut fructum oblati sibi a filio sacrificii ad populum fidelem transmittat. Mensam nobis dedit in qua epulemur ; non altare super quod offeratur victima. Non sacerdotes consecravit, qui immolent ; sed ministros, qui sacrum epulum distribuant » (2).

Unicum ergo sub nova lege est sacrificium, cruentum scilicet illud crucis, et si coenam nuncupare lubet sacrificium, erit sacrificium eucharisticum, quod exhibetur « per preces, laudes, gratiarum actiones, et quiquid in Dei cultum a nobis agitur » (3) ; « generaliter (enim) acceptum, (sacrificium) complectitur quidquid omnino Deo offertur (4) ». Et vero offeruntur in Missa preces, uti praesignificavit Malachias, atque « hujus generis sacrificio carere non potest caena Domini : in qua dum ejus mortem annuntiamus, et gratiarum actionem referimus, nihil aliud offerimus quam sacrificium laudis. Ab hoc sacrificandi munere regale sacerdotium nuncupamur omnes christiani (I Petr., II, 9) ; quod per Christum offerimus illam, de qua loquitur Apostolus (Hebr., XIII, 15), hostiam laudis Deo, fructum labiorum confitentium nomini ejus » (5).

« Caena ipsa (vero) donum Dei est, quod cum gratiarum actione accipiendum erat » (6), tanquam sacramentum et testamentum

(1) *Institut. Relig. christ.*, (1559), lib. IV, cap. XVIII, n. 10, in CR., XXX, 1058.

(2) *Ibidem*, n. 12, in CR., XXX, 1059.

(3) *Ibidem*, n. 16, in CR., XXX, 1062 ; cf. etiam n. 3 et n. 13, in CR., XXX, 1053 et 1060.

(4) *Ibidem*, n. 13, in CR., XXX, 1060 ; in eodem contextu Calvinus, tacito nomine Melanchtonis, definitionem sacrificii ab ipso propositam rejicit.

(5) *Ibidem*, n. 17, in CR., XXX, 1063 ; cf. etiam n. 4 et n. 16, in CR., XXX, 1054 et 1062.

(6) *Ibidem*, n. 7, in CR., XXX, 1056 ; cf. etiam n. 5, in CR., XXX, 1055.

Domini ; et « quantum interest inter dare et accipere, tantum a sacramento caenae sacrificium differt ». Ideo antiquum usum Ecclesiae pariter recusabat Calvinus : veteres enim, aiebat, « imitati sunt propius judaicum sacrificandi morem, quam ut ordinaverit Christus, aut evangelica ratio ferebat » (1). Ad institutionem authenticam igitur redeamus oportet : nihil aliud porro postulatur ad coenam genuinam Christi celebrandam, quam ut Eucharistiam conficiamus, in memoriam passionis, cum gratiarum actione ac precibus, quae sunt solum sacrificium in hoc ritu sacro offerendum, ut deinde haec dona a Deo accipienda fidelibus distribuamus (2).

Sectio II.

Doctrina Concilii Tridentini de ss. sacrificio Missae.

Contra reformatores statuit SS. Tridentina Synodus in Missa « offerri Deo verum ac proprium sacrificium » (3), quod nullatenus sacrificio crucis blasphemiam irrogat, et dicere prohibemur : « Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti » (4).

« In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis se ipsum cruente obtulit... Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio... sola offerendi ratione diversa ». — Non solam mensam igitur, sed altare sibi vindicat Ecclesia, in qua Christus immolatur sub specie panis et vini, et « haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest ; quam Dominus per Malachiam nomini suo,.... in omni loco mundam offerendam praedixit » ; haec etiam « per varias sacrificiorum, naturae et legis tempore, similitudines figura-

(1) *Institut. Relig. christ.*, (1559), lib. IV, cap. XVIII, n. 7 et n. 11, in CR., XXX, 1056 et 1059.

(2) Ita pariter Zwinglius, in *Comm. de vera et falsa religione* (1525), (ed. Schuler et Schulthess, III, p. 240 s., Zürich, 1832) ; cf. Egli, art. Zwingli, apud *Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche* (Herzog-Hauck), XXI, 774 s., praesertim p. 796 s., Leipzig, 1908[3].

(3) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *De sacrificio Missae*, can. 1 (Denziger-Bannwart, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei ac morum*, n. 940, Friburgi Brisgoviae, 1911[11]).

(4) *Ibidem*, can. 3 (*Enchiridion*, n. 950).

batur » (1). — « Si quis dixerit.... quod offerri non sit aliud, quam nobis Christus ad manducandum dari, A. S. » (2).

Ex his elucet quaestionem tunc temporis agitatam praeprimis fuisse de existentia, non de essentia sacrificii in celebratione Eucharistiae perficiendi ; et omnes definitiones genericae sacrificii, quas reformatores proposuere, non eo praecipue spectabant ut hanc celebrationem non esse sacrificium conficerent, sed ideo requirebantur ut, negata oblatione sacrificali in Missa, Traditioni primitivae non nimis aperte offenderent. Valde tamen observandum quam tenaciter insistant reformatores in notione quadam generica sacrificii, quod uti donationem Deo concipiunt.

SS. Tridentinum Concilium itaque controversiam praesertim de veritate sacrificii Eucharistici dirimere statuit, neque necessarium duxit intimius explicare quaenam sint notae essentiales, singulae atque omnes, quæ sacrificium verum et proprie dictum constituunt; relationem illam, qua sacrificium altaris cum sacrificio crucis intrinsece connectitur, aperte vindicavit sed eamdem rursum pressius non determinavit.

Concedimus profecto veram esse propositionem infra enucleatius exponendam : « revelato definito, formaliter revelatur definitio » (3), sed exinde non statim sequitur notas omnes et singulas, quae objective verum ac proprium fundant sacrificium, eo ipso satis proponi, uti per hanc ipsam nostram quaestionem patenter apparet, siquidem, definita veritate sacrificii Eucharistici, controversia de essentia ipsius nihilominus inter theologos catholicos vigeat. Postulatur revera, ut sciatur quid credendum sit, notas quasdam generaliores contineri in revelatione satis proposita, et ita, procul dubio, dicamus necesse est sacrificium esse actum supremum cultus externi, quo res substantialis et sensibilis in honorem divinum exhibetur ; quinimmo de illis notis non magis potest esse dissensus quam de ipsa re revelata et explicite credenda, sed concludere nefas est, quod optime advertit Card. Franzelin : « non posse esse inter catholicos doctores citra fidei discrimen dissensionem in rei definitione, quando citra haeresim dissensio esse non potest circa rem ipsam definitam » (4).

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 1 et 2 (*Enchiridion*, nn. 938-940).

(2) *Ibidem, De sacrificio Missae*, can. 1 (*Enchiridion*, n. 948).

(3) Cf. Card. Franzelin, *Tractatus de ss. Eucharistiae sacramento et sacrificio*, thes. XIV, p. 381, Romae, 1887⁴.

(4) *Ibidem.*

Sectio III.

Theoriae catholicae de essentia sacrificii altaris.

Intelligitur itaque quemadmodum controversia de essentia specifica sacrificii Eucharistici, sensim sine sensu, in theologia catholica enasci potuerit, et quomodo, per varias sententias ad solutionem hujusce problematis prolatas, semper magis determinata fuerit.

Art. 1. — Prima series sententiarum.

Tempore ipsius Concilii Tridentini, dum polemice adhuc agunt contra reformatores, auctores catholici potius in vindicanda existentia sacrificii altaris haerent. Inter illos prae ceteris eminet Card. Bellarmimus, qui in opere suo, quod inscribitur : « *Disputationes de controversiis christianae fidei adversus hujus temporis haereticos* », in libris V et VI de Eucharistia, (seu I et II de Missa), materia secundum ipsos Synodi canones ordinata, ex professo de sacrificio Eucharistico tractat (1).

Em. theologus imprimis contra novatores definitionem genericam sacrificii hanc ponit : « sacrificium est oblatio externa facta soli Deo, qua ad agnitionem humanae infirmitatis, et professionem divinæ majestatis a legitimo ministro res sensibilis et permanens ritu mystico consecratur, et transmutatur ». Etenim « ad verum sacrificium requiritur, ut id quod offertur Deo in sacrificium, plane destruatur, id est, ita mutetur, ut desinat esse id quod ante erat ». — « Sacrificium enim praeter oblationem requirit mutationem, et consumptionem rei, quæ offertur, quam non requirit simplex oblatio » (2).

Multis argumentis demonstrat deinde Bellarminus verum offerri sacrificium in celebratione Eucharistiae, sed non nisi raptim explanat quomodo illud obtineatur in consecratione et communione, quas partes essentiales hujus sacrificii appellat : « In consecratione Eucharistiæ tria fiunt, in quibus sacrificii veri, et realis ratio consistit. Primum, res profana fit sacra : panis enim res alioqui terrena, et communis, per consecrationem vertitur in corpus Christi, rem videlicet omnium sacratissimam. Dices : ex hoc sequi videtur, ut panis solus proprie sacrificetur : quod esse absurdum supra

(1) Card. Bellarminus, S. J. (1542-1621), *Disputationes de controversiis christianae fidei adversus hujus temporis haereticos*, III, Lutetiae Parisiorum, 1620. — De doctrina Bellarmini lege De la Servière, *La Théologie de Bellarmin* (*Bibl. de Théol. historique*), p. 423 s., Paris, 1908.

(2) Bellarminus, *De Missa*, I, cap. 2.

diximus. Nam quod fit sacrum ex profano, id proprie sacrificatur, si ergo panis fit sacer ex profano, panis proprie sacrificabitur. Respondeo; quod ita fit sacrum ex profano, ut maneat, id sine dubio proprie sacrificatur : atque ideo apud Hebraeos ovis sacrabatur, et eadem ovis sacrificabatur, quia manebat eadem etiam post mortem, saltem quoad partem materialem, et ovis tam viva, quam mortua dicebatur. At panis non manet dum sacratur, sed in aliud vertitur : et ideo non panis, sed id quod ex pane factum est, proprie sacrificatur. Secundo, in consecratione res illa sacra ex profana effecta, Deo offertur, dum in altari Dei collocatur. Nam, ut supra diximus, victimam in altari ponere, est reipsa illam Deo offerre, et quia vi consecrationis fit, ut corpus Christi, et sanguis incipiat reipsa esse super altare mediante manu sacerdotis, ideo verbis consecrationis vera et solemnis oblatio celebratur... Tertio, per consecrationem, res quae offertur, ad veram, realem et externam mutationem, et destructionem ordinatur, quod erat necessarium ad rationem sacrificii. Nam per consecrationem, corpus Christi accipit formam cibi : cibus autem ad comestionem, et per hoc ad mutationem, et destructionem ordinatur. Neque obstat, quod corpus Christi nullam in se laesionem patiatur, neque esse sum naturale amittat, cum manducatur Eucharistia : nam amittit esse sacramentale, et proinde desinit esse in altari, desinit esse cibus sensibilis ».

Communio sacerdotis igitur etiam ad essentiam sacrificii spectat : « Consumptio autem, quae fit a sacerdote sacrificante, non tam est comestio victimae, quam consummatio sacrificii... Quod autem sit pars essentialis, inde probatur, quod in tota actione Missae... nulla est alia realis destructio victimae praeter istam ».

In fine autem suae disputationis em. auctor quasi per transennam insuper relationem hujus sacrificii ad sacrificium crucis indigitat : « At simul esse debent sacrificium reale, et sacrificium repraesentativum : siquidem ipsum reale est alterius repraesentativum » (1), et haec repraesentatio in consecratione consistit, quae sola in persona Christi perficitur.

* * *

Quia polemice procedit, Bellarminus magis in probanda existentia quam in explananda essentia immoratur; Suarezius e contra, qui mox easdem quaestiones tractandas assumit, primo agens de sacrificio in genere, dein de sacrificio novae legis, ac tandem de essentia specifica hujus sacrificii, multo minus attendit existentiam

(1) *De Missa*, I, c. 27.

oblationis sub nova lege, ac praesertim in apta definitione demonstranda versatur, quae postea huic sacrificio applicari possit (1).

Duplicem definiendi modum indicat : « Unus est, ait, per modum physicae definitionis, ex materia et forma constantis, ita ut sacrificium sit oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei in signum, legitime institutum, divinae excellentiae et reverentiae.... Alter modus definiendi esse potest, si dicamus : sacrificium est signum sensibile ad divinam excellentiam et cultum illi debitum immediate significandum impositum, per alicujus rei immutationem » (2).

Immutatio vero debet obtineri per « actionem consecrativam aliquo modo rei oblatae » (3), et « verisimilius est, de facto sumptionem sacerdotis non esse institutam, ut sit de essentia hujus sacrificii, atque adeo totam essentiam positam esse in consecratione » (4), ea tamen ratione ut victima per illam consecrationem non destruatur, sed potius producatur ; quod enim « potissimum intenditur, est effectio et praesentatio corporis et sanguinis Christi super altare Dei in honorem ejus » (5).

Haec actio consecrativa nuncupatur etiam apud Suarezium mactatio mystica (6), quae cruentam crucis immolationem recolere nata est, nam, « quando sanguis statim post corpus separatim consecratur, quasi in viva imagine repraesentatur ipsa effusio sanguinis, et consequenter separatio animae a corpore, quae ex effusione sanguinis secuta est » (7).

* * *

G. Vasquezius, qui Suarezio professori in collegio romano successit, in magno suo commentario in III partem s. Thomae (8),

(1) Suarezius, S. J (1548-1617), *Commentaria ac disputationes in III partem d. Thomae, de sacramento Eucharistiae et de sacrificio Missae,* in q. 83, a. 1, disp. 73-76 (ed. Vivès, XXI), Parisiis, 1866.

(2) *Ibidem,* disp. 73, sect. VI, n. 3.

(3) *Ibidem,* sect. V, n. 5.

(4) *Ibidem,* disp. 75, sect. V, n. 11.

(5) *Ibidem,* n. 6.

(6) *Ibidem,* n. 3 et passim.

(7) *Ibidem,* sect. VI, n. 7. — Principia hujus sententiae etiam apud Galenum (Van der Galen), quondam Lovanii, deinde Duaci professorem, in *Comm. de ss. Missae sacrificio,* Antverpiae, 1574, reperienda censet Renz, *Geschichte des Messopfer-Begriffs, oder der alte Glaube und die neuen Theorien über das Wesen des Unblutigen Opfers.* II, p. 233 s., Freising, 1902.

(8) G. Vasquezius, S. J. (1551-1604), *Commentaria ac disputationes in III partem s. Thomae.— Disp. de Euch., Missae sacrificio et Ordine,* Antverpiae, 1621.

relata sententia sui praedecessoris, statim definitiones modo recitatas impugnat, quia, ait, inter illas, « quod attinet ad modum definiendi, ego sane nullum hactenus discrimen deprehendi » (1). Hanc postea proponit « veram definitionem sacrificii, tam ex parte formae, quam ex parte materiae... Primum, quidem ex parte formae, hoc est, ex parte significationis, hoc modo : sacrificium est nota existens in re, qua profitemur Deum auctorem vitae, et mortis... Per notam autem existentem in re intelligimus signum, quod est in rebus, et ita loco illius poni potest res, ut excludamus notam, quae est in verbis : quia vero divina omnipotentia ad conservandum, et destruendum omnia immutatione rei, quae offertur, recte denotatur, et sine illa apte sacrificari non posset, ideo ex parte materiae hoc modo definitur : sacrificium est res, quae per sui immutationem Deo offertur, seu mutatio rei quae Deo offertur » (2).

Definitionem suam sacrificio Eucharistico deinde adaptare conatur, postquam distinctionem inter sacrificium absolutum et relativum hoc modo invexerit : « Notandum est, duplex esse genus sacrificii; quoddam enim est absolutum, nempe quod non est alterius sacrificii commemoratio, veluti mactatio pecudis, vel alterius rei consumptio. Aliud vero dici potest relativum seu commemorativum, cujus exemplum solum habemus in sacrificio altaris, quod commemorativum dici potest : et quamvis in hoc non fiat immutatio rei, quae hoc modo offertur, reperitur tamen vera significatio, et nota divinae omnipotentiae, sicut in sacrificio absoluto, et ita non minus ei convenit vera ratio sacrificii, quam sacrificio cruento et absoluto » (3).

Immolatio incruenta, quae in celebranda Eucharistia peragitur, est immolatio mystica, quae sola consecratione obtinetur (4), quatenus per ipsam, Christo in sacramento praesente, sacrificium crucis repraesentatur. Relationem igitur ad sacrificium crucis, quam Suarezius jam declaravit intrinsecam, « quia de essentia hujus sacrificii est expressa repraesentatio mortis et passionis Christi » (5), quamvis eamdem non nisi in disputatione de necessitate duplicis consecrationis adverterit, penitius jam perscrutatur Vasquezius ; quinimmo hanc eamdem relationem ut rationem formalem sacrificii novae legis assignat.

(1) Vasquezius, *o. c.*, q. 83, a. 1, disp. 220, cap. II, n. 14.
(2) *Ibidem*, c. III, n. 25.
(3) *Ibidem*, n. 26.
(4) *Ibidem*, disp. 222, c. V, n. 31 s.
(5) Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. VI, n. 7.

Expressis verbis nimirum docet : « actionem consecrationis eatenus solum sacrificium, seu actionem immolandi esse, quatenus per illam efficitur, ut ipso corpore et sanguine consecrato, et realiter ibi contento, cruentum illius sacrificium quod in cruce oblatum est, repraesentetur » (1). — « Quamvis (enim) sacrificium absolutum, hoc est, non commemorativum alterius, postulet rei oblatae immutationem, tamen immutatio non est ratio formalis sacrificii, sed quid ex parte materiae illius necessario requisitum : ratio autem sacrificii in significatione omnipotentiae Dei auctoris vitae et mortis formaliter posita est : ac proinde, si sit oblatio aliqua, per quam absque rei oblatae immutatione vera, et reali, Deus auctor vitae, et mortis denotari, et coli possit, vere, et proprie sacrificium dici debet... Porro autem per solam repraesentationem mortis Christi in consecratione, ita significari Deum auctorem vitae, et mortis, sicut per ipsam cruentam mortem Christi, manifestum est ».

Postulatur profecto ut « rés ipsa, cujus mors repraesentatur, sit signum mortis sui ipsius », sed hoc in Eucharistia obtinet, « cum ipsemet Christus sit sub speciebus panis, et vini, et circa illum actio sacerdotis offerentis ipsa, ita versetur ut ipsemet per species panis et vini ex modo peculiari quo a sacerdote consecratur repraesentet cruentam, et realem mortem sui ipsius, et ea repraesentatione denotet Deum auctorem vitae et mortis ; quamvis non dicatur reipsa, et vere, sed in sola figura, et similitudine occidi, et mori, tamen vere, et reipsa immolari, et in sacrificium offerri dicitur » (2).

*
* *

L. Lessius (3), prius sententiam secutus Suarezii (4) sui quondam in collegio romano magistri, opinionem cui adscribendum putat (5), hisce verbis exponit : « Peragitur hoc sacrificium non

(1) Vasquezius, *o. c.*, disp. 222, c. VII, n. 57.

(2) *Ibidem*, c. VIII, nn. 65-67.

(3) L. Lessius (Leys), S. J. (1554-1623), *De perfectionibus moribusque divinis lib. XIV*, Antverpiae, 1626.

(4) Ita in opere *De Jure et Justitia*, lib. II, c. 38, d. 2, Lovanii, 1605 et Antverpiae, 1609 ; item in *Tract. de Sacramentis et censuris* (*in III partem d. Thomae, praelectiones posthumae*, olim in Academia lovaniensi, a. 1588-1589 primum, iterum a. 1606-1607 propositae), Lovanii, 1645. — Lege nimirum, ad q. 83, a. 1, dub. 6, n. 31 : « Notandum est ; non solum actione, qua res destruitur, nos posse protestari divinum principatum, ... sed etiam actione, qua res constituitur, et quodammodo ad honorem Dei producitur ».

(5) Haec theoria jam insinuata fuit ab episc. legionensi, A. de Cuesta, in ipso *Conc. Trid.*, sess. XXII, in disp. diei 22 Aug. 1562 (Cf. Theiner, *Acta genuina ss. Oecumenici Conc. Trid.*, II, 89, Zagabriae Croatiae, 1874) : « Missa est sacrificium hac ratione quia Christus aliquo modo moritur et

malleo vel gladio materiali, ut olim vetera sacrificia, sed gladio verbi Dei.... quando vi verborum consecrationis, corpus et sanguis Christi ponuntur seorsim tanquam rei occisae et immolatae, corpus sub specie panis et sanguis sub specie vini ». — « Et hoc sufficit ad rationem hujus sacrificii : tum ut sit verum sacrificium (fit enim circa hostiam, dum sic ponitur, sufficiens mutatio, qua protestemur Deum habere supremam in omnia potestatem) ; tum ut sit sacrificium commemorativum, repraesentans nobis sacrificium crucis et mortem Domini » (1).

*
* *

Prope ad Vasquezium, uti videtur, accedit Lessius et ad illum ceteroquin remittit lectores, qui intimiorem explicationem cupiant. Post ipsum autem de eadem materia scripsit Card. de Lugo (2), qui omnes sententias hucusque relatas rursum impugnavit. Post brevem dissertationem de ipsa definitione sacrificii et de veritate oblationis sub nova lege, in explananda essentia hujus sacrificii praesertim haeret.

Destructio hostiae ad verum sacrificium est prorsus necessaria, sed advertendum, ait, « nomine destructionis non semper intelligi physicam, vel metaphysicam corruptionem substantialem hostiae, sed destructionem vel physicam, vel humanam ; ita ut ex vi sacrificationis, hostia, prout est in termino illius actionis, habeat statum aliquem decliviorem, et saltem humano modo desierit ». — « Hoc supposito, facile erit explicare, quomodo consecratione ipsa sacrificetur corpus Christi; nam licet ipsa consecratione non destruatur substantialiter, sed tamen destruitur humano modo, quatenus accipit statum decliviorem, et talem, quo reddatur inutile ad usus humanos

a sacerdote mactatur; nam sacerdos ex vi sacramenti separat corpus a sanguine, licet per concomitantiam utrumque simul sit cum anima et divinitate. Et hac ratione dicitur Missa repraesentare mortem Christi et veram veri sacrificii rationem habet ». — Eamdem sententiam jam confutat Bellarminus, *De Missa*, I, c. 27.

(1) Lessius, *De perfect. moribusque divinis*, lib. XII, cap. 13, n. 95 et n. 97.

(2) Card. de Lugo, S. J. (1583-1660), *Disputationes scholasticae et morales de sacr. in genere, de venerabili Euch. sacramento et de ss. Missae sacrificio*, Lugduni, 1636. — Hujus theoriae principia jam reperit Renz, *Geschichte*, II, p. 278 s., apud Ill. Malderum (J. van Malderen), quondam in Universitate lovaniensi professorem, in opere *De virtutibus theol., et justitia et religione commentaria*, tr. X, c. 3, dub. I, Antverpiae, 1616. — Indicat cl. criticus etiam (*Ibidem*, II, p. 213 s.), Ill. G. de Casal, in *Tract. de sacrificio Missae et ss. Eucharistiae celebratione per Christum in coena novissima*, lib. 3, Venetiis, 1563 et Antverpiae, 1566, qui eamdem sententiam tuetur.

corporis humani, et aptum ad alios diversos usus per modum cibi : quare humano modo idem est, ac si fieret verus panis, et aptaretur, ac condiretur in cibum ; quae mutatio sufficiens est ad verum sacrificium; fieri enim comestibile illud, quod non erat comestibile, et ita fieri comestibile, ut jam non sit utile ad alios usus, nisi per modum cibi, major mutatio est, quam aliae, quae ex communi hominum mente sufficiebant ad verum sacrificium ».

Cum hac explicatione obvium est concludere « ipsam sumptionem (a parte scilicet sacerdotis) pertinere ad substantiam et integritatem hujus sacrificii » ; « in consecratione ergo datur essentia sacrificii sed non datur integritas sacrificii : per consumptionem vero jam fit integrum sacrificium », nam « per ipsam adhuc magis consumitur, et destruitur victima » (1).

Quod relationem hujus sacrificii ad sacrificium crucis spectat, quamquam em. theologus eamdem relationem ad essentiam pertinere proclamat, minus tamen in hac explicanda immoratur et quasi ex occasione, in disputatione nimirum de necessitate sumptionis (2), qua partialiter etiam repraesentari censet sacrificium crucis, vel in disceptatione de unica aut duplici consecratione, rem pervolvit, neque tamen intimius scrutatur quemadmodum sacrificium altaris verum simul et intrinsece relativum concipere debeamus (3).

* * *

Hae sunt praecipuae sententiae de essentia Missae sacrificii, quae eodem fere tempore prodiere ; uti videtur, jam tota controversia versatur circa duas has quaestiones fundamentales : primo, Christus in hoc sacrificio vere immolatur ; secundo, in hac eadem celebranda Eucharistia intrinsece repraesentatur sacrificium crucis. — Card. Bellarminus, Suarezius et Card. de Lugo primum aspectum magis elucidant ; Vasquezius et Lessius potius in enodanda repraesentatione permanent, at simul per eamdem relationem verum offerri sacrificium autumant.

Disputatio de essentia ss. Missae sacrificii per multum temporis exclusive, et hodiedum adhuc praesertim ad illas theorias impugnandas aut defendendas, quandoque temperandas aut miscendas, coarctata fuit :

(1) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. V, n. 65, n. 67, n. 73 et n. 68.
(2) *Ibidem*, sect. VI, n. 77.
(3) *Ibidem*, sect. VIII, n. 112 s.

Card. Franzelin (1) v. g. sententiam Lugonis imprimis commendat, et eamdem magis excultam ita proponit : « Putamus ergo cum Cardinali de Lugo plurimisque deinceps theologis, internam sacrificii formam in eo esse, quod Christus magnus sacerdos per ministerium sacerdotum ejus nomine offerentium, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini constituit secundum quamdam sanctissimae suae humanitatis a functionibus et rationibus existendi connaturalibus exinanitionem ad formam cibi ac potus ».

Card. Billot (2) e contra potius in opinionem Vasquezii et Lessii inclinatur, eamque ad meliorem formam redactam hisce verbis enuntiat : « Restat itaque ultima sententia, quam omnino veram existimamus, reponens formalem rationem sacrificii absolute sumpti in mactatione mystica secundum se, id est, in sacramentali separatione sanguinis a corpore, non praecise quia et quantum repraesentat oblationem crucis, ad sensum Vasquezii, multoque minus quia et in quantum foret ex sese occisiva Christi nisi impediretur per aliam causam, ut dicit Lessius, sed quia et in quantum *sistit Christum sub speciebus sacramenti in quodam externo habitu mortis et destructionis, ac per hoc nata est, non secus ac realis destructio victimae in propria specie, vere et realiter subjectare symbolicam significationem quae sacrificio propria est* ».

Art. 2. — Altera series sententiarum.

Novam itaque viam inivit V. Thalhofer (3), quum elapso saeculo theoriam nunc obumbrandam, licet prius jam delineata fuerit (4), plenius rimatus variis argumentis munire conatus est.

(1) Card. Franzelin, *o. c.*, thes. XVI, p. 390. — Meminisse heic sufficiat sententiae, quam quondam propugnavit Card. Cienfuegos, *Vita abscondita seu speciebus Eucharistia velata*, disp. V, sect III, § 1, n. 37, p. 359, Romae, 1726, ubi destructionem sacrificalem recondit in suspensione vitae sensitivae, quam Christus per actum suae voluntatis liberum, paulo post consecrationem ad usque mixtionem specierum causat.

(2) Card. Billot, S. J., *De Ecclesiae Sacramentis. — Commentarius in III partem s. Thomae*, I, p. 628 s., Romae, 1915[5].

(3) V. Thalhofer, *Das Opfer des Alten und Neuen Bundes, mit besonderer Rücksicht auf den Hebräerbrief und die katholische Messopferlehre exegetisch-dogmatisch gewürdigt*, Regensburg, 1870 ; cf. etiam ejusdem auctoris *Handbuch der Kath. Liturgik*, I, p. 195 s., Freiburg in B., 1890.

(4) Ita praesertim J. A. Möhler, *Symbolik oder Darstellung der dogmatischen Gegensätze der Katholiken und Protestanten nach ihren öffentlichen Bekenntnisschriften*, p. 301 s., München-Regensburg, 1895[9] ; ad Möhler provocat ipse Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 258 s., sed alios antesignanos hujus tendentiae vide apud Renz, *Geschichte*, II, p. 240.

Necessitatem primo alicujus immolationis et destructionis, magis strenue quam ipse Card. de Lugo hoc modo propugnat : Elementum essentiale sacrificii veri nominis, ait, est destructio, quae in sacrificio animalium per mactationem, in sacrificio de rebus inanimatis offerendo, per combustionem inducitur... Ubi deest destructio, ibidem deficit sacrificium proprie dictum (1).

Sententiae Vasquezii simul memor, quam maxime insistit secundo, in intima relatione sacrificium crucis inter et oblationem altaris, et illi theologo crimini vertit quod notam destructionis huic relationi immolaverit. — In sacrificio, inquit, non tantum de re quadam immolata, sed praeprimis de immolatione agitur ; ... si celebratio Eucharistiae debet identica pronuntiari cum mactatione cruenta crucis, actus sacrificalis crucis, qui fuit in vita humana Christi destruenda, in Eucharistia celebranda praesens sistatur, repraesentetur, reproducatur necesse erit (2).

Missa igitur, quoniam sit sacrificium proprie dictum, veram immolationem involvit, dum Christum nihilominus gloriosum et impassibilem novimus ; insuper, idem est hoc sacrificium Eucharisticum cum oblatione cruenta in cruce peracta, et ita quidem ut non modo « immolatum » eumdem, sed immolationem eamdem, actum sacrificalem utrimque eumdem ostendamus oporteat.

Difficultas, quae in explananda Missa reperitur, fortiter adeo inculcatur, exaggeratur imo, uti infra notabimus ; hanc autem difficultatem, nulla sententia hucusque prolata solutam (3), hisce considerationibus dirimendam putat :

Essentia Christi sacrificii cruenti fuit in actu obedientiae Domini sese offerentis, quando animam suam per sanguinis sui effusionem pro mundi redemptione posuit. Duplicem ergo formam habebat illud sacrificium : primam internam, videlicet actum ipsum obedientialem ; alteram externam, separationem nimirum sanguinis a corpore. Verum, actum obedientiae, quamvis mactatio in cruce jamdiu cessaverit, jugiter conservavit Christus etiam glorificatus, et eumdem actum absque intermissu Deo Patri per sacrificium coeleste proprie dictum offert, atque quotidie in Missa adhuc renovat : in instanti consecrationis, per mysticam corporis et sanguinis separationem, externe manifestat hunc suum animum sese offerendi, itaque dum in altari corpus et sanguis Christi in sacramentali separatione ponuntur, actu et de praesenti traditur corpus Christi in mortem sacrificalem et sanguis

(1) Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 242.

(2) *O. c.*, p. 247 s.

(3) Thalhofer, *o. c.*, p. 245 s., ubi varias sententias prolatas crisi subjicit.

ejus funditur in mysterio, quia et quantum mactatio haec incruenta, tanquam forma externa ejusdem semper actus interni, immolationem illam cruentam denuo mystice instaurat. Ipsa mactatio cruenta proin ad immolationem incruentam pertinet, et ea ratione qua immolatio illa realis est, eadem ratione et haec mactatio incruenta, realis habenda erit (1).

Difficultas erat in explanando sacrificio Eucharistico proprie dicto et essentialiter simul relativo ; utrique quaesito satisfieri contendit Thalhofer per suam sententiam : verum est sacrificium per ipsam destructionem vitae humanae Christi sese in cruce offerentis, et sacrificium adhuc intrinsece est relativum, quoniam separatio sacramentalis eamdem separationem realem ad vivum repraesentat ; idem vel imo est sacrificium et idem est actus sacrificalis utrimque, siquidem Christus, mediante sacrificio coelesti proprii nominis, eumdem animum perpetuo conservat (2).

(1) His paucis verbis contrahimus quae cl. doctor in opere modo laudato, *Das Opfer des A. u. N. B.*, praesertim p. 210 s. et p. 260 s., longius exponit.

(2) De existentia sacrificii coelestis agit THALHOFER, in *o. c.*, p. 200 s. ; argumentum ex traditione evolvit in *Handbuch der Kath. Liturgik*, *l. c.* — In priore opere, p. 206 s., diserte de natura et notione hujus sacrificii coelestis disserit ; de his vide infra, ubi doctrinam epistolae ad Hebraeos, cui praecipue innititur, examinabimus. — Recte advertit Thalhofer redemptionem generis humani perfectam esse per sacrificium crucis, itaque hanc doctrinam distinguamus oportet a placitis Socinianorum, quae refutata videsis apud STENTRUP, *Praelectiones dogmaticae de Verbo Incarnato,* Pars II : Soteriologia, II, p. 273 s., Oeniponte, 1889. — Cum sententia Socinianorum conserta videntur quae de sacrificio Eucharistico reperire est, apud BRIGHTMAN, *The Eucharistic Sacrifice*, 1890 atque apud MILLIGAN, *The Ascension and heavenly Priesthood of our Lord*, London, 1892. Hi enim auctores mortem ac passionem Christi sacrificium fuisse expiatorium negant et sacrificium crucis uti praeparationem habent ad veram oblationem in coelis perficiendam, ita ut sacrificium Eucharisticum solummodo explicandum veniat per relationem ad hanc oblationem coelestem. Has sententias concinne expositas reperire est in eximio opere R. A. MORTIMER, *The Eucharistic Sacrifice*, praesertim p. 82 s. et passim ; cf. etiam PATERSON, art. *Sacrifice,* apud *Dictionary of the Bible* (HASTINGS), IV, 347 s., Edinburgh, 1904[3] et DARWELL STONE, *A History of the doctrine of the holy Eucharist*, II, p. 646, London, 1909. — In confirmationem suae theseos adduxit BRIGHTMAN, *o. c.*, p. 15, catenam doctorum ecclesiae anglicanae, ex PUSEY, *Tracts for the times*, n. 81. — Hanc autem catenam evertit MORTIMER, *o. c.*, p. 339 s., qui, singulis successive inspectis testimoniis, plane labilem esse ostendit hanc opinionem et auctoritate minime comprobatam. Paucos adhuc fautores nacta est haec theoria ; inter hodiernos doctores citandi veniunt : probabiliter D[r] MASON, *The faith of the Gospel,* p. 330 s., London, 1890, (juxta MORTIMER, *o. c.*, p. 95 s.), et certo PULLER, *Reports of the Oxford Conference*, Dec. 1899, in appendice E, apud MOR-

* * *

Connexa certo cum hac opinione est theoria, quam Pell (1) recentius ut suam protulit, quamque ab identitate cum sententia a Thalhofer propugnata vindicare molitur (2).

Destructionem sacrificalem revera ad sacrificium altaris haud necessariam autumat (3), sed Missam hoc modo describendam et definiendam ducit : Celebratio Eucharistiae est sacrificium, et idem reipsa cum oblatione quam Christus olim in coena et in cruce perfecit, in quantum idem Christus hic praesens est et satisfacit ex eodem omino animo obediendi ac seipsum amanter Deo devovendi, quo passio ejus ac crucis immolatio ad sacrificium evectae sunt ; per species Eucharisticas hic actus visibiliter tanquam oblatio apparet (4), et simul passio recolitur, quamdiu species in altari permanent (5). Quamvis itaque consecratio quasi centrum sit totius actionis sacrificae, dicemus tamen Christum sacrificium suum offerre, donec praesens sub signo sacramentali sistitur, sicuti absque intermissione seipsum in coelis sacrificat (6).

* * *

Similem theoriam in Gallia ante paucos annos resuscitavit

timer, *o. c.*, p. 515 s. ; cf. etiam *Reports of the Fulham Conference*, Oct. 1900, in eodem appendice E, apud Mortimer, *o. c.*, p. 535 s. ; lege adhuc D. Stone, *o. c.*, II, p. 581 s. — Opinionem valde similem, uti nobis videtur, propugnat Gore, *The Body of Christ*, p. 252 s., p. 260 s., p. 308 s., London, 1909[4] ; cf. tamen ejus disquisitiones ad *Fulham Conference*, apud Mortimer, *o.* et *l. c.* — Originem hujus sententiae investigat Mortimer, *o. c.*, p. 407 s., eamque cum placitis Socinianorum connexam ostendit ; vide adhuc Mortimer, *o. c.*, p. 397 s.

(1) Pell. *Jesu Opferhandlung in der Eucharistie*, Regensburg, 1912[2] ; prima ed. Passau, 1908, tanquam *Separatabdruck aus der Theol. Prakt. Monatschrift*, XIX, p. 641-675, Linz, 1908.

(2) Pell, *o. c.*, praesertim p. 60 s., ubi theoriam a Thalhofer propositam impugnat.

(3) *O. c.*, p. 13.

(4) *O. c.*, p. 36 : « Die Eucharistiefeier ist ein Opfer, und zwar das ganz nämliche Opfer, welches einstens der Gottmensch Jesus Christus beim letzten Abendmahle und am Kreuze dargebracht hat, insofern derselbe hier gegenwärtig und genugtuend tätig ist aus den ganz gleichen Seelenakten gehorsamer und liebender Hingabe an Gott, welche einst das Leiden und Sterben auf Golgatha zu einem Opfer gemacht haben, und welche durch die eucharistischen Formen hier auch sichtbar als Hinopferung in Erscheinung treten ».

(5) *O. c.*, p. 42.

(6) *O. c.*, p. 43 ; cf. etiam p. 24 et p. 38.

Lepin (1), qui pariter notam destructionis non essentialem opinatur, sed formale sacrificii reponendum censet in oblatione, id est, in donatione, qua homo sese perfecte Deo subdere per ritum sacrificalem intendit (2).

Sacrificium Christi, ad mentem ipsius, cum vita illius terrena coepit, quamvis culmen hujus oblationis in immolatione cruenta crucis reperire sit, cui et Deus actu plane libero meritum redemptionis adnectere statuit. Hoc suum sacrificium in cruce jam perfectum, ipse Salvator, actu proprie sacrificali, in coelis, Patri suo repraesentare non cessat ; hoc etiam in altari, dum modo sensibili sub distinctis speciebus mactationem suam cruentam commemorat, quotidie adhuc offert, quanto tempore praesens sub symbolis Eucharisticis perseverat (3).

Sacrificium altaris relationem essentialem dicit igitur ad sacrificium crucis ; relationem autem accidentalem ad sacrificium coeleste nanciscitur, quatenus modo analogo ac parallelo, tum in coelis, quum in terra, idem illud sacrificium in cruce peractum, Deo Patri exhibetur, ita ut sacrificium terrestre quasi in se contineat sacrificium coeleste, quod semper actuale in Sanctis Sanctorum supernis offertur (4).

(1) Lepin, *L'idée du sacrifice dans la religion chrétienne, principalement d'après le P. de Condren et M. Olier*, Lyon, 1897 ; cf. etiam litteras, quas ad Mortimer conscripsit Lepin, quaeque citantur in illius opere saepius laudato, in appendice G, p. 563 s., p. 574 s. et p. 581 s. — Uti ex ipso titulo elucet hanc suam theoriam refert cl. auctor ad P. de Condren, D. Olier et ad ipsum Bossuetium, in quibusdam ejusdem scriptis ibidem citatis. — Tixeront tanquam patronos ejusdem sententiae, in recensione hujus operis apud period. *Université Catholique*, NS., XXV, p. 5 s., Lyon, 1897, adhuc enumerat Card. de Bérulle et Thomassinum. — Ejusdem opinionis meminisse videtur pariter Gillet, *Les Harmonies Eucharistiques*, p. 100, Lille, 1914 : « Mais le Christ prêtre et victime non plus ne meurt pas. Il n'a jamais rétracté l'acte de volonté par lequel il s'est offert à son Père pour racheter les péchés du monde. Cette volonté demeure ; elle est éternelle, ainsi que son humanité rédemptrice où se perpétue, comme un effet dans sa cause et la réalité et les mérites de sa passion » ; cf. adhuc J. Rivière, *Un peu de théologie sur la passion du Sauveur*, apud period. *Revue pratique d'Apologétique* (= RPA.), XIII, p. 600, Paris, 1912.

(2) Non ita ipse P. de Condren, *L'idée du sacerdoce et du sacrifice de Jésus-Christ*, Paris, 1697, qui, p. 41, ubi sacrificium generice spectatum describit, destructionem ad sacrificium necessariam esse autumat ; cf. adhuc p. 46 et p. 49.

(3) Lepin, *o. c.*, p. 219 s. et p. 224 ; cf. etiam litteras ad Mortimer, *l. c.*, p. 576.

(4) Lepin, *o. c.*, p. 201 s. et p. 225. — Cf. P. de Condren, *o. c.*, p. 98.

*
* *

Recentissime Grivet (1) theoriam sacrificii coelestis rursus innovavit, suamque sententiam vindicare conatus est ab identitate cum placitis cl. Lepin, itaque se novam viam iniisse sibi visus est (2). Attamen revera cum auctore laudato multum concinit, et simul ad systemata a Thalhofer et Pell proposita, prope accedit.

Discedit a Thalhofer, atque cum Lepin simul ac Pell contendit sacrificium nullam involvere destructionem, adeoque opinionem, quae modernis haud paucis arridet (3), quoad hunc respectum quaestionis, ingenue amplexatur.

Ad mentem ipsius, integram essentiam sacrificii reperiamus oportet in oblatione, id est, si statim sacrificium crucis inspicimus, in Christi donatione suimetipsius, et in submissione plena atque spontanea voluntatis Dei-hominis ad voluntatem Patris, cui sese ex perfecta charitate amanter devovit. Sacrificium Missae pariter est in hac perfecta « devotione », eadem quae fuit in Calvaria atque jam in prima Missa Coenaculi, itaque nullam in sacrificio Missae invenire aut requirere est destructionem (4). Sane dici potest, imo debet juxta Traditionem, Christum immolari in Missa, sed jamdudum adnotaverat s. Augustinus quemadmodum hanc immolationem concipere possimus : « Nonne semel immolatus est Christus in seipso, et tamen in sacramento non solum per omnes Paschae solemnitates, sed omni die populis immolatur, nec utique mentitur qui interrogatus eum responderit immolari ? Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent » (5) ; ita pariter s. Thomas : « Respondeo dicendum quod duplici ratione celebratio hujus sacramenti dicitur immolatio Christi : primo quidem quia... celebratio hujus sacramenti... imago quaedam est repraesentativa

(1) Grivet, *La Messe de la Terre et la Messe du Ciel*, Paris, 1917[2] ; sub forma breviori eamdem sententiam exposuit cl. auctor apud RPA., XXII, Paris, 1916 ; cf. adhuc art. ejusdem auctoris, cum eodem titulo, apud period. *Revue du Clergé Français* (= RCF.), XCIV, p. 459 s., Paris, 1918.

(2) Affert auctor auctoritatem Thomassini atque laudat quaedam verba Bossuetii, quos doctores pariter invocaverat Lepin ; cf. Grivet, *o. c.*, p. 45 s.

(3) Cf. adhuc D. Steuart, *Une récente théorie sur le sacrifice de la Messe*, apud RCF., XCIV, p. 179 s., Paris, 1918, ubi advertit, p. 181, cl. Grivet, cujus opinionem crisi subjicit, merito hanc notam destructionis rejecisse, quippe quae, ait, omnino adversetur notioni sacrificii, qualem ex ritu judaico et religione etiam pagana eruere est ; cf. pariter art. ejusdem auctoris, cum eodem titulo, apud RCF., XCV, p. 394, Paris, 1918.

(4) Grivet, *o. c.* p. 21 s. ; vide etiam p. 23, p. 29 s., p. 31 et p. 39.

(5) S. Aug., *Epist.* XCVIII, n. 9 (PL., XXXIII, 363).

passionis Christi.... Alio modo quantum ad effectum passionis Christi, quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicae passionis » (1).

Advertit tamen cl. auctor difficultatem, quae adversus talem opinionem vel leviter attendenti statim obversari debet : videtur enim tale sacrificium esse mere internum, eo vel magis quod in ipsa Calvaria, mors Christi, aut ejus occisio, uti ait, ad essentiam sacrificii cruenti nihil fecerit. Ab hac difficultate vero sese expedire satagit animadvertendo omnem actum cultus divini, omnem actum vel imo religionis, si ab hac virtute solummodo inspiratur, esse sacrificium (2).

Sed sacrificium Missae simul est sacrificii crucis repraesentativum, et etiam dici potest essentiam illius sacrificii esse in repraesentatione passionis, non hac de causa, quoniam sacrificium Missae significaret statum mortuum hostiae, sed quia Dominus Jesus in singulis Missis Patri suo humanitatem suam quondam immolatam rursum offert atque exhibet, mediantibus speciebus, quae separationem sanguinis a corpore signant ; eamdem humanitatem alioquin, juxta genuinam doctrinam epistolae ad Hebraeos, jugiter adhuc offert in coelis, dum vulnera sua, olim accepta et nunc sanata, absque intermissu Patri suo repraesentat (3). Hoc sacrificium coeleste, (quod auctor non dicit esse proprie aut improprie dictum, sed quod proprie dictum habere videtur, siquidem eamdem oblationem in hoc sacrificio, quam in « Missa Calvariae » aut in « Missa Coenaculi », uti loquitur, indigitare est), non differt reipsa a sacrificio Missae, sed sacrificium coeleste et sacrificium terrestre simul sunt unum atque idem sacrificium, unicum videlicet sacrificium, quod Christus in coelis atque in terris offerre nunquam desinit (4).

Sacrificium autem, quod in altari celebratur, non incipit ad consecrationem, sed statim post consecrationem, quando sacerdos Christum « offert » post verba consecratoria ; communio pariter ad essentiam Missae pertinet, atque consummatio pronuntiari debet essentiae sacrificii incruenti, quandoquidem per communionem in Christum convertimur, ut « per ipsum et cum ipso » Patri coelesti exhibeamur (5).

Missa adeo non est nuda commemoratio sacrificii crucis, sed est memoriale, quod redemptionem semper instaurat, quia in

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 83, a. 1, c.
(2) Grivet, *o. c.*, p. 24 s. ; cf. adhuc p. 32 et p. 34.
(3) *O. c.*, p. 25 s., p. 29 et p. 45.
(4) *O. c.*, p. 47 et *art. cit.* apud RCF., XCIV, p. 472 s.
(5) *O. c.*, p. 37 s. et p. 42.

omnibus Missis hisce in terris celebratis, merita passionis nobis applicantur (1). Unum sacrificium quinimmo dici possunt et passio, et Missa terrestris, quippe quum idem Christus, in cruce absque ministris, in altari cum ministris offerat ; eadem pariter est victima, in altari sub specie velata, in cruce absque velamine oblata ; eadem tandem est oblatio et idem animus obediendi Patri, adeo ut sola ratio offerendi utrimque dispar inveniatur (2).

* * *

Haec est altera series sententiarum, quae a Thalhofer, Pell, Lepin et Grivet ad elucidandum sacrificium Eucharisticum excogitatae sunt. Sive autem iidem doctores destructionem ad sacrificium spectare volunt, sive eamdem a sacrificio excludendam contendunt, reapse in Missa nullam destructionem admittendam propugnant praeter illam quam in cruenta mactatione indigitare fas est ; haec « occisio » quinimmo, secundum Grivet, ad essentiam sacrificii crucis nullatenus pertinet. Innovatio igitur in hoc est quod ad sacrificium quoddam coeleste proprie dictum appellant, ita saltem Thalhofer et Lepin, atque verisimilius etiam Grivet, et praeterea quod communi ratione ad aspectum internum sacrificii praecipue provocant. Ex hac eadem intentione Christi sese offerentis, tum in cruce, tum in Missa, (tum etiam in coelis, juxta Thalhofer, Lepin et Grivet), ad unum atque idem sacrificium, ad eumdem imo actum sacrificalem concludunt.

Difficultas re quidem vera praesertim in destructione sacrificali vindicanda consistit, et eamdem difficultatem jamdudum evitare conatus erat Suarezius, qui quamvis « de regula generali vel secundum usum frequentiorem requiri destructionem » (3) confessus esset, in celebratione Eucharistiae nihilominus sufficere immutationem perfectivam pronuntiaverat. Vasquezius pariter distinctionem inter sacrificium absolutum et relativum ideo invexit ut Missam absque immutatione et destructione explicare posset.

Elapso saeculo cl. Scheeben (4), in Germania, ultra positionem Suarezii progressus, non modo quaedam sacrificia, quorum meminit VT., uti oblationem Melchisedech, (quam etiam Suarezius in argu-

(1) Grivet, *o. c.*, p. 28 : « La messe n'est donc pas un simple souvenir rappelé, mais un mémorial qui *réalise* la rédemption, en appliquant les mérites du sacrifice sanglant représenté ».

(2) *O. c.*, p. 33 s.

(3) Suarezius, *o. c.*, disp. 73, sect. V, n. 5.

(4) Scheeben, *Handbuch der Katholischen Dogmatik*, III, p. 400 s., Freiburg in B., 1882 ; cf. ejusdem auctoris *Die Mysterien des Christentums*, p. 487, Freiburg in B., 1865.

mentum invocaverat), sed omnia prorsus sacrificia judaica per immutationem perfectivam explanare voluit. Quaestionem insuper movit historicam, et notam destructionis uti elementum novum in notionem sacrificii indebite invectam fuisse affirmavit, circa finem nimirum saeculi XVI, quum Toletus et Valentia nihil de tali destructione habeant ; Bellarminus vero dubitare jam coeperit, donec Vasquezius immutationem in demutationem mutaverit et destructionem ita exaggeraverit, ut nova quaedam sacrificii definitio ad axioma deinceps intangibile evecta fuerit (1).

His placitis adstipulatus est pariter Schwane (2), quamquam ipsi sententia Vasquezii magis arridet (3) ; eamdem thesim acceptavit Schanz (4), qui theoriam Vasquezii, permixtam considerationibus a Suarezio et Thalhofer mutuatis, ad solvendam illam quaestionem de essentia sacrificii in Missa, secutus est. Apud auctores hodiernos haud paucos igitur ratum atque fixum est destructionem actualem nullo pacto in sacrificio altaris esse admittendam, et cum hac negatione prorsus consentit cl. Renz, qui ceterum omnes theorias hucusque prolatas, tum immutationis perfectivae aut destructivae, quum repraesentationis aut sacrificii coelestis, plane recusandas autumat.

Art. 3. — Tertia series sententiarum.

Ad tertiam itaque pervenimus seriem opinionum, quarum prima a Renz profertur, qui rem historice solvendam suscipit. Ex ipso titulo operis quod conscripsit, mens ipsius jam apparet : de historia nempe notionis sacrificii Eucharistici, sive de theoriis novis et de antiqua fide Ecclesiae, agere intendit (5).

(1) Scheeben, *Dogm.*, III, p. 400. Factum fere recte observavit Scheeben, nam auctores qui polemice de sacrificio Eucharistico agunt, sive jam ante Concilium Tridentinum, sive immediate post illud scribunt, hanc notam destructionis minus attendunt ; attamen rationem hujus facti omnino non est assecutus, nam destructionem non negant illi auctores sed minus in eadem insistunt, quoniam mens ipsis est praeprimis ut existentiam sacrificii, non adeo ut ejus essentiam conficiant. Suarezius praeterea non infitiatur destructionem ; quinimmo, secundum modum communiorem sacrificium per destructionem offerendum esse contendit, uti modo audivimus.

(2) Schwane, *Dogmengeschichte der neueren Zeit*, p. 398, Freiburg in B., 1890.

(3) Schwane, *Die Eucharistische Opferhandlung*, p. 56 s., Freiburg in B., 1889.

(4) Schanz, *Die Lehre von den hl. Sacramenten der Kath. Kirche*, p. 465 s., Freiburg in B., 1893.

(5) Renz, *Geschichte des Messopfer-Begriffs oder der alte Glaube und die*

Cl. Scheeben definitionem sacrificii, inde a saeculo XVI exeunte, indebite fuisse innovatam affirmaverat, itaque ad sententiam Suarezii redeundum dixerat ; cl. Renz sententias omnes post Concilium Tridentinum excogitatas respuendas ducit, et ad ipsam traditionem primitivam ascendendum proclamat. Ibidem hanc notionem sacrificii novae legis reperiemus : Celebratio Eucharistiae secundum suam essentiam est epulum, quod indolem habet sacrificalem... Verum autem ac reale sacrificium Christi in effusione ejus sanguinis consistit, et nullum fuit unquam verum ac proprium sacrificium ante hanc oblationem, neque deinceps ullum unquam erit (1).

Ne videamur perperam contrahere hanc sententiam, quantum fieri licebit, per ipsa ejus parentis verba, eamdem adumbrabimus, et hinc inde insuper in notis textum primogenium subjiciemus.

Suam investigationem exorditur cl. doctor ab origine mundi, et, fundamenti instar suae elucubrationis, hanc ponit explicationem lapsus originalis : progenitores generis humani peccato impudicitiae solitario sese polluerunt, adeoque ligno vitali, scilicet humano, abusi sunt, ut sibi delectationem individualem procurarent. Peccatum originale fuerit peccatum sanguinis, ideoque, ad hunc abusum sanguinis expiandum, et sanctitatem deperditam reparandam, Deus postulavit effusionem sanguinis ; flagitavit sanguinem, non tamen cujuscumque sed illius, qui semen erit mulieris et per proprium sanguinem in Sancta introibit (2).

Sacrificium verum enim, ait, est sanctificatio subjectiva per passionem ac mortem ; atque ambo illa elementa, sanctificatio nempe subjectiva et etiam mors, adesse debent ut essentiam formalem sacrificii habeamus. Sicuti nec quodvis pati aut quodvis mori dici potest sanctificatio subjectiva, ita neque quilibet actus, qui sanctificationem subjectivam involvit, actus sacrificalis erit : verum et proprium sacrificium est actus passionis voluntariae ac mortis spontaneae, quo sanctificatio subjectiva et completa intenditur, perficitur, attingitur ; uno verbo, sacrificium est sanctificatio subjectiva per mortem voluntariam hominis, qui pleno suiipsius

neuen Theorien über das Wesen des unblutigen Opfers, I-II, Freisung, 1901-1902. — Cf. ejusdem auctoris *Opfercharakter der Eucharistie nach der Lehre der Väter und Kirchenschriftsteller der ersten drei Jahrhunderte*, Paderborn, 1892.

(1) Renz, *Geschichte*, II, p. 500 : « Der eucharistische Gottesdienst ist seinem Wesen nach ein Mahl, welches sakrifikalen Charakter hat » ; *ibidem*, p. 484 : « Die wahre und wirkliche Sakrificierung Christi ist seine Blutvergiessung; eine wahre und wirkliche gibt es vorher und nachher nicht».

(2) *Ibidem*, I, p. 16 s. et p. 23 s.

dominio gaudet. Tale autem sacrificium unicum est, sacrificium nimirum Christi, quippe qui solus inter natos illud plenum suiipsius dominium possederit, et solus vitae suae sponte atque omnino libere renuntiare potuerit.

Hoc est verum et proprie dictum sacrificium, jam peractum et non iterandum nec iterabile, secundum expressam doctrinam epistolae ad Hebraeos. Immolationes quinimmo VT. figurae ac umbrae fuere hujus sacrificii novae legis, sed quum umbris et figuris per saecula adscripta fuerit denominatio sacrificii, et genus humanum simul sensum sanctificationis subjectivae sibi procuranda epaulatim amiserit, cum hac imminutione sensus religiosi, ipsa notio sacrificii ad conceptum alicujus actus externi retrogressa est. Hac ratione intelligitur quemadmodum illud « sacrum facere » tanquam mactare, comburere vel effundere in conspectu Dei, apparuerit, non solum gentibus sed et ipsi populo electo, qui non obstante superne accepta revelatione, paucis sane viris exceptis, Deum exquirere cordis sanctificationem per poenitentiam, non autem animalium appetere immolationem, percipere jam non potuit.

Immolationes adeo sub VT. non vocabantur sacrificia nisi in quantum sacrificium unicum Christi imitabantur et praefigurabant; similiter, ubi post mortem Christi, de sacrificio disseritur, agitur sacrificium non reale, sed repraesentativum oblationis cruentae, quae semel in cruce peracta est (1). Illud vocatur nihilominus sacrificium incruentum, et in confectione consistit alicujus imaginis mactationis cruentae, adeoque duo complectitur elementa correlativa, quorum unum est substantia corporis Christi sub specie panis, alterum substantia sanguinis Christi sub specie vini. Quando et quoties ambo illa elementa conficiuntur, tunc et toties Christus incruente immolatur (2).

At vero, sacrificium simul dicit actum aliquem, ideoque sacrificium incruentum, licet imago sit duobus elementis objectivis constans, actus insuper esse debet. Hoc de facto obtinet, et duplici quidem modo : primo, per confectionem ipsam, quae est actus, non

(1) Renz, *Geschichte*, II, p. 483 s.

(2) *Ibidem*, II, p. 484 s. : « Die unblutige Sakrificierung besteht in der Herstellung eines Bildes des blutigen. Das Bild aber besteht aus zwei zusammengehörigen Dingen, wovon das eine die in der Gestalt des Brotes erscheinende Substanz des Leibes Christi, das andere die in der Gestalt des Weines erscheinende Substanz des Blutes Christi ist. Wann und so oft diese beiden Dinge hergestellt werden, dann und so oft wird das Bild der blutigen Sakrificierung Christi hergestellt, dann und so oft wird Christus unblutig sakrificiert ».

habitus ; deinde per rem confectam, quae mortem Christi actu repraesentat, eoque revera vividius, quod ipsemet Christus sub re confecta continetur. — Verum ac proprium ergo nuncupatur sacrificium ob realem corporis et sanguinis praesentiam;. . ita adhuc unum atque idem sacrificium cum immolatione cruenta pronuntiatur.... Utrumque sacrificium nihilominus, tum cruentum, quum incruentum, dicetur sanctificatio subjectiva ipsius Christi; in oblatione priore, ipse Christus realiter suum sanguinem effudit ; in altera, ipse Christus suimetipsius sanguinis effusionem conficit atque repraesentat (1).

Cum his verbis cl. doctor ad sententiam Vasquezii accedere videtur, eo vel magis quod formalem notionem sacrificii altaris, repraesentationem esse adhuc asseverat ; attamen, quamquam multa in hac opinione approbat, quare et integram innovationem ipsius in hac materia ad quaestionem sacrificii absoluti et relativi coarctari quibusdam visum fuerit (2), tales postea addit explicationes, ut ejus theoria plane diversa ab illa Vasquezii denuntiari debeat. Formale contentum transsubstantiationis, inquit enim, est in confectione duplicis substantiae ab invicem distinctae, corporeae scilicet et sanguineae, et nullatenus in separatione unius substantiae, corpore nimirum et sanguine Christi consistentis (3). Renz adeo aperte simul recusat opinionem Lessii, et si Suarezio in his terminis consentire videatur, ex aliis ejusdem modo relatis commentariis, sententiam hanc a doctrina immutationis perfectivae toto coelo distare luce clarius eliquet.

Attamen cum repraesentatione non absolvitur sacrificium Eucharisticum ; simul enim est applicatio sacrificii cruenti, et ita quidem intimo modo, ut applicatio quasi momentum internum actionis sacrificalis, repraesentatio vero sit ejus momentum externum. Applicatio revera est in reali, licet interna, est in activa sanctificatione subjectiva fidelium, quae mediante sacrificio incruento obtinetur. Applicatio igitur, et sanctificatio subjectiva quae ad ipsam consequitur et notionem formalem omnis sacrificii constituit, perficitur per participationem fide plenam, per communionem corporis et

(1) Renz, *Geschichte*, II, p. 485 s.

(2) Ita Lebreton, art. *Eucharistie*, apud *Dictionnaire Apologétique de la Foi Cath.* (D'Alès), I, 1566, Paris, 1910.

(3) Renz, *Geschichte*, II, p. 493 : « Der formale Inhalt der transsubstantiierenden Konsekration ist die Setzung zweier von einander verschiedener Substanzen, der leiblichen und der blutigen Substanz, keineswegs die Trennung einer einzigen, nämlich der menschenfleischlichen, aus Leib und Blut bestehenden Substanz Christi ».

sanguinis Christi, non quasi sacrificium per epulum compleatur, sed quia sacrificium Eucharisticum est convivium, quod characterem sacrificalem habet (1).

Consecratio et communio eadem significatione sacrificali gaudent ; sunt nempe duo actus ejusdem « sacramenti unionis » : consecratio ut pars objectiva, communio ut pars subjectiva (2); consecratio est pars praeparatoria, quà praesens sistitur divinus ille Agnus quondam immolatus (3), et formalis ejus essentia consistit in « sacratione » quadam, impetrata per orationem a Deo, qui elementa naturalia in « sacramentum unionis » conficiat (4); ad epulum adeo pertinet et est pars essentialis epularum, imo actus quidam epularis (5).

Cum hac sententia cohaeret, et illud expresse apud Renz edocemur, singulam sumptionem, etiam si extra Missarum solemnia et a laico fiat, indolem habere sacrificalem ; eamdem sane non vocabimus oblationem novae legis, sed ratio est quod praeparatio et elementa hujus convivii tanquam prima pars totius ritus instituta fuerint (6).

Jamvero, si haec est notio sacrificii primogenia, quis non quaeret quemadmodum theologi post Concilium Tridentium, ad tam diversas et tam ineptas explicationes pervenire potuerint ?

Causa illius innovationis et erroris in hoc fuit, inquit cl. doctor, quod praescriptiones ritualis judaici pressius sacrificio novae legis applicuerint, et distinctionem inter oblationem et sacrificium, etiam in hac celebratione Eucharistiae, explanare voluerint, dum Aquinas, post s. Isidorum Hispalensem, tantummodo de oblatione et sacrificio locutus erat, ubi de VT. ejusque cultu disseruerat. Aliae autem denominationes, uti hostia, victima, immolatio, θυσία, σφαγή, ab eodem rituali judaico aut adhuc a religione pagana mutuata fuerunt, et quando Eucharistiae adaptantur, nihil aliud significare possunt quam inibidem reperiri sacrificium et oblationem ; sacrificium vero

(1) RENZ, *Geschichte*, II, p. 495 et p. 499 s.

(2) *Ibidem*, II, p. 502.

(3) *Ibidem*, II, p. 502 : « Die Konsekration ist also in ihrem formalen Begriffe nicht die Tötung des zu essenden Gotteslammes, sondern die Vorlegung des früher schon getöteten ».

(4) *Ibidem*, II, p. 503 : « Das formale Wesen des Konsekrierens ist in der gesammten vortridentinischen Kirche als eine vom Geiste Gottes erflehte und ausgehende Weihung der natürlichen Abendmahlselemente zum Sakramente aufgefasst worden, als Konficierung des Unions-Sakramentes ».

(5) *Ibidem*, II, p. 502 : « Die Konsekration ist ... darum wesentlich notwendiger Bestandteil des Mahles selbst und Mahlakt ».

(6) *Ibidem*, II, p. 501.

est quoddam sacrum facere, itaque essentialiter dicit sanctificationem subjectivam ; in eodem ritu simul indicare est oblationem, quippe quum homo seipsum Deo offerat.

Essentia formalis sacrificii incruenti novae legis, ita concludit Renz, consistit in objectiva et subjectiva perfectione *sacramenti communionis*, mediante reali corpore Jesu Christi et reali ejus sanguine, quae in specie panis et vini apparent. Missa itaque est « celebratio sacramenti », et ab aliis sacramentis differt, quoniam significat et operatur unionem non solummodo cum Christo, sed cum Christo repraesentativo modo sese sacrificante, juxta explicata superius (1).

Jam satis elucet quantum ista theoria a sententia Vasquezii discrepet ; quaedam expressiones, ubi puta de praeparatione cibi agitur, opinionem excogitatam a Lugone revocare videri possent, sed cl. doctor talem interpretationem sacrificii omni conatu avertit, et quamlibet definitionem, vel minime aliquam destructionem insinuantem, uti spuriam illico recusat (2); eos tandem qui communionem uti actionem sacrificalem destructivam habent, quam latissime a vero sensu et a traditione historica aberrare asserit (3). Sententiam contra, quam modo delineavimus, uti genuinam mentem Traditionis patristicae et scholasticae proponit ; ad Scripturam sacram non provocat ut verum sacrificium, nedum veram immolationem, ex ea comprobatam habeat, sed unice ut relationem Eucharistiae ad crucem ex eadem depromat.

*
* *

Cum hac sententia conferre nunc juvat theoriam, ante paucos annos in periodico americano propositam ab Ill. Bellord, qui sacrificium, secundum notionem, quam dicit, primitivam et genuinam, definit ut convivium, quod homines in unione cum Deo participant ;

(1) Renz, *Geschichte*, II, p. 487 s. et p. 503.

(2) Renz hanc notam destructionis ex auctoritate traditionis excludendam contendit ; de traditione infra dicemus, sed insuper adnotat, *ibidem*, II, p. 491, functionem sacerdotalem praeprimis esse in intercedendo, non in patiendo, quod plane concedimus ; obliviscitur autem cl. doctor Christum simul esse sacerdotem et victimam, itaque praeter rem advertit, *ibidem* : « Man meint, Christum, wenn man ihn Priester nennt und ihn sich priesterlich handelnd denkt, sich nicht anders vorstellen zu dürfen, denn als den sich in den Tod hingebenden, als den sterbenden » ; jamautem haec animadversio destructionem non excludit ; Christus enim mortuus est in cruce, et destruitur sacrificaliter in Eucharistia, non qua sacerdos, sed qua hostia.

(3) *Ibidem*, II, p. 493.

cum hac definitione celebrationem Eucharistiae facillime explicari autumat (1).

Mors Christi, ait, non fuit sacrificium sensu litterali, seu liturgico, sed sensu tantummodo morali et spirituali, aut adhuc superminenter : sensu morali et spirituali primo, ratione nimirum dispositionis animae, qua Christus amanter animam suam posuit non solum pro amicis suis, sed et pro inimicis ; deinde supereminenter, quatenus hoc sacrificium praefiguratum fuit per sacrificia VT., et commemoratur adhuc per singulas Missas posthac celebratas, quibus haec oblatio cruenta efficaciam nunc tribuit, uti quondam omnibus oblationibus antiqui foederis efficacitatem praestitit ; non autem, tertio, sensu litterali, quoniam in cruce non fuit commemoratio aut repraesentatio cujusvis rei, neque expressio liturgica cultus divini, neque actio, proprio nomine, sacrificalis, quippe quum passio Christi a militibus peracta potius occisio fuerit ; deficit insuper convivium commune quod essentialiter sacrificium constituit (2). Mors Christi revera maximum momentum habuit pro redemptione nostra ; per passionem enim peccatum expiatum fuit, et efficacia illius ad omnia sacrificia dimanat, sed mors ista in se considerata, simpliciter, independenter a coena et a Missa, sensu litterali, sacrificium dici nequit (3).

Inter omnes eventus passionis, sola ultima coena notas essentiales sacrificii prae se fert : solum in hac coena Jesus vere sacerdotem egit. Jamvero cum hoc sacrificio completo in coena peracto, passionem Christi in Calvaria, in operationem perfecte unam et identicam conjungere oportet. Coena non est supplementum et completio sacrificii in cruce perfecti..., sed mors ipsa cruenta cum festo sacrificali corporis et sanguinis Christi in unum coalescit, itaque fit elementum hujus sacrificii incruenti, et characterem liturgicum accipit (4).

(1) Bellord, *The notion of sacrifice*, apud period. *Ecclesiastical Review*, XXXIII, p. 1-14, Philadelphia, 1905 ; *ibidem*, p. 258-272, *The sacrifice of the new law*. — Ita nimirum scribit, p. 4 : « It (nempe sacrificium) was primitively a common meal of the tribe eaten in conjunction with its Deity » ; cf. etiam *ibidem*, p. 259.

(2) His paucis verbis contrahimus quae ill. auctor exponit *ibidem*, p. 266 s. ; in textu sequenti, quantum licet, ad litteram ejus asserta referimus et hinc inde adhuc in notis verba ipsius transcribimus.

(3) Bellord, *art. cit.*, p. 268 : « The death of Jesus Christ is indeed of supreme importance for our salvation ; it was the expiation of our sins ; its influence is dominant in every sacrifice ; but it is not, as considered simply in itself and independently of the Last Supper and the Mass, literally a sacrifice ».

(4) *Art. cit.*, p. 268 s.

Cibus Eucharisticus enim non est simpliciter identicus cum Persona divina, quae obiit, sed, secundum verba institutionis, ponebatur in mensa, et manducabatur praecipue uti corpus quod confractum, et sanguis qui in cruce effusus est. Occisio et mors adeo quae, licet essentiam sacrificii non constituerent, nihilominus erant elementum haud variabile in rituali levitico, fiebant pars integrans sacrificii in coenaculo celebrati, et ita est perfecta conformitas cum archetypo sacrificali, quod per plura saecula in cultu judaico consecratum fuit (1).

Mors Christi in cruce et convivium in Coenaculo sunt tantummodo duae partes, quamquam distinctae, unius operationis complexae : utrumque elementum necessarium est, quia mutuo sese complent. Mors Christi non est sacrificium rituale absque coena ; coena vero esset memoriale vacuum ultimae vesperae ante passionem, si non sanguine et carne immolata in Calvaria constaret.

Magnum sacrificium novae legis consummatum igitur fuit in ultima coena, et in hanc coenam ipsa mors Messiae incorporata fuit ; illud est sacrificium quod permanet semper, ubique, in aeternum, quoniam victima in statu cibi super altare Ecclesiae ponitur ; ibidem jugiter perseverat, et semper praesens manet in mundo, ut absque intermissu distribuatur et communitatem humanam in unum cum Divinitate uniat (2).

Singula Missa est caerimonia liturgica distincta, quae initium habet et finem, sed eadem actio continua Summi Pontificis pro Ecclesia sua intercedentis et cibum sacrificalem dispensantis, omnes Missas pervadit. In Missa proin fidelibus cibus proponitur, et convivium cum ipso Deo sumitur ; « ipse conviva et convivium : ipse comedens et qui comeditur » ; homines ergo quam intime et quam plenissime cum Deo suo, corporaliter simul et spiritualiter, conjunguntur (3).

Suam hanc opinionem, novam profecto, novo nomine decorandam vult ill. auctor, eamque nuncupat theoriam convivii (*Banquet-*

(1) Bellord, *art. cit.*, p. 269 : « The food of the Last Supper is not simply identical with the Divine Person who died, but, according to the words of institution, it was placed on the table and was eaten precisely as being the Body as it was broken and the Blood as it was shed on the Cross. The slaying and death, therefore, though not of the essence of sacrifice, but yet an invariable element of the Levitical rite, were made an integral portion of the sacrifice of the Cenaculum ; so that there is full conformity to the sacrificial archetype which had been consecrated by many centuries of use ».

(2) *Art. cit.*, p. 269 et p. 271.

(3) *Art. cit.*, p. 271 s.

theory) (1) ; quamquam autem nomine cum sententia a Renz prolata fere convenit, ab hac tamen minime dependet ; sed cum auctore germano plane nihilominus concinit Bellord ut definitionem traditionalem prorsus rejiciat (2).

* * *

Cum doctrina *convivii sacrificalis* e contra, quam Renz excogitavit, presse cohaeret sententia a Wieland recentius propugnata, primo ex occasione dissertationis de altari primitivo (3), deinde ex professo in opere polemico de notione sacrificii ante Irenaeum (4), ac tandem in opusculo, quod priorem disquisitionem complere debet, et ubi cl. doctor de altari in ecclesiis christianis saeculi IV scribit (5).

In prima dissertatione, in qua saepius cum approbatione provocat ad historiam Missae cl. doctoris Renz, has theses jam legere est :

Ecclesia primitiva nullum aliud agnovit hominum sacrificium quam laudem divinam per orationem eucharisticam (6).

Non corpus et sanguis Christi constituunt nostrum sacrificium, sed sancta oratio, quae corpus illud et sanguinem illum conficit ; haec enim sumuntur, non sacrificantur ; quod accipitur est fructus illius sacrificii olim in cruce peracti (7).

Unicum igitur sacrificium, quod christiani offerre edocti sunt, orationes et gratiarum actiones complectitur, quas etiam coenae suae commemorativae adnectunt. Manducatio hujus convivii in

(1) Bellord, *art. cit.*, p. 259 ; erronee adeo scribit Hugon, *Le Mystère de la Rédemption*, p. 112, Paris, 1910, ill. Bellord thesim adsumere doctoris Renz, uti ex expositis sententiis aperte constat.

(2) *Art. cit.*, p. 4 et p. 263.

(3) Wieland, *Mensa et Confessio. — Studien über den Altar der altchristlichen Liturgie.* I. *Der Altar der vorkonstantinischen Kirche (Veröffentlichungen aus dem Kirchenhistorischen Seminar,* München, II Reihe, n. 11), München, 1906.

(4) Wieland. *Der vorirenäische Opferbegriff* (*Veröffentlichungen aus dem Kirchenhistorischen Seminar*, III. n. 6), München, 1909.

(5) Wieland, *Altar und Altargrab der christlichen Kirchen im IV Jahrhundert. — Neue Studien über den Altar der altchristlichen Liturgie,* Leipzig, 1912.

(6) Wieland, *Mensa et Confessio*, p. 48 : « Die Urkirche hatte ... kein anderes Opfer der Menschen gekannt als das Lob Gottes durch die Eucharistiegebete ».

(7) *Mensa et Confessio*, p. 49 s. : « Das Gebet, welches Leib und Blut des Logos konfiziert, nicht Leib und Blut des Herrn also ist unser Opfer... Bei diesem Verherrlichungsopfer wird zwar Leib und Blut genossen, aber nicht geopfert. Was man geniesst, ist die Frucht des einmal am Kreuz dargebrachten Opfers ».

memoriam mortis Domini, orationes et gratiarum actiones quae faciunt epulas, atque iis innituntur, non autem panis Eucharisticus aut vinum Eucharisticum, sacrificium christianorum fundant (1).

Haec doctrina, quam Wieland Traditione fulciri volebat, magnam eamque acerbam provocavit controversiam (2), itaque non ex occasione liturgiae et archeologiae christianae, sed ex professo eadem placita in altero opusculo vindicavit. Cum hoc scopo, diversos locos Scripturae sacrae, in quibus de sacrificio Eucharistico agitur, et varia testimonia Patrum ante s. Irenaeum, ibidem examinat sed apertius tamen, in ultima dissertatione de altari primitivo, mentem suam pandit et hisce verbis opinionem suam resumit :

Ecclesia primitiva minime cognovit sacrificium, sensu oblationis, qua homo res ex sua possessione Deo offert atque in honorem ipsius destruit. Coena Eucharistica sane tunc temporis nomine sacrificii decorabatur, sed illud sacrificium uti plane spirituale concipiebatur, et perfecte absolvebatur in forma convivii, in quo, juxta mandatum Domini, in memoriam redemptionis et resurrectionis, panis atque vinum in cibum apponebantur. Super illa

(1) Wieland, *Mensa et Confessio*, p. 51 : « Das einziger Opfer also, welche die Christen darzubringen gelernt haben, sind die Gebete und Danksagungen, welche sie « auch » an ihr Gedächtnismahl knüpfen. Das Essen dieses Mahls zur Erinnerung an den Tod Christi und die dasselbe herstellenden und darauf gegründeten Gebete und Danksagungen, das ist das Opfer der Christen, nicht Eucharistiebrot und Eucharistiewein selbst ».

(2) Haec controversia praecipuos auctores habuit E. Dorsch, S. J. et Wieland, et versabatur circa propositionem 49 in Decreto ss. Officii, « *Lamentabili sane exitu* », diei 3 Julii, 1907 (Denziger-Bannwart, *Enchiridion*, n. 2049), et doctrinam traditam in Encyclica « *Pascendi Dominici gregis* », diei 7 Sept. ejusdem anni (*Enchiridion*, n. 2071 s.). Praeter opera a Wieland concinnata et modo relata, atque quasdam ejusdem auctoris notas, in period. *Der Katholik*, quas statim indicabimus, memoranda venit ex parte Wieland, *Die Schrift Mensa et Confessio und P. E. Dorsch, S. J. in Innsbruck*, München, 1908 ; ex parte Dorsch, *Altar und Opfer*, apud period. *Zeitschrift für Kath. Theologie* (= ZKT.), XXXII, p. 307-352, Mainz, 1908, deinde opus dogmatico-patristicum, *Der Opfercharakter der Eucharistie einst und jetzt*, Innsbruck, 1909, et adhuc *Aphorismen und Erwägungen zur Beleuchtung der vorirenischen Opferbegriffs*, apud ZKT., XXXIV, p. 71-117, 1910. — Thesim a Wieland propugnatam jam oppugnavit A. Schmid, apud period. *Der Katholik*, XXXIV, p. 235 s., Mainz, 1906 ; respondit Wieland, *ibidem*, p. 399. — Eamdem impetivit rursum A. Huppertz, in *Katholik*, XXXVII, p. 434, s., 1908 ; XXXIX, p. 126 s. et p. 188 s., 1909 ; similiter Rauschen, apud *Kath.*, XXXIX, p. 74 s. et p. 150 s., 1909 ; respondit Wieland, notatim in *Kath.*, XXXVII, p. 463, 1908. — Cf. insuper Rauschen, *Eucharistie und Buszsakrament in den ersten sechs Jahrhunderten der Kirche*, p. 63 s., Freiburg in B., 1908 et p. 72 s., in altera ed., 1910 ; cf. adhuc D'Alès, apud period. *Les Études*, CXX, p. 408 s., Paris, 1909.

elementa praeses coenae solemnem eucharistiam pronuntiabat, qua panis et vinum in corpus et sanguinem Christi, olim in cruce immolati, nunc autem in coelis gloriose regnantis, convertebantur. Illa tam mirabilis et tam operativa oratio, eucharistia videlicet, sacrificium christianorum habebatur. Panis et vinum adeo nullatenus Deo in oblationem donabantur, sed e contra ut donum a Deo cum gratiarum actione accipiebantur ; objectum enim illius convivii nihil minus erat quam magnum nostrae redemptionis sacrificium, quod Christus Deo semel obtulit, et quod nunc in memoriam ipsius, per « sacrificium » orationis praesens sistebatur... Exeunte vero saeculo II, sub influxu paganismi, qui a primis temporibus oblationes sacrificales et altaria habebat, magis adhuc sub influxu VT., quod oblationes atque altare ut positive a Deo praescripta proponebat, coeperunt christiani notiones extra-christianas « sacrificio » suo applicare, atque panem et vinum Eucharisticum tanquam concreta dona habere, quae Deo in sacrificium offerri poterant. Apud s. Irenaeum notatim illi novi conceptus prima vice ingenue acceptantur.

Cum oblatione concreta vero, jam antiquitus et ubique, rei oblatae destructio, vel, in sacrificiis cruentis, victimae mactatio, constanter connectebatur ; illa rursus ad Eucharistiam transferenda. Verbum Apostoli profecto : « Christus semel oblatus est » (Hebr., IX, 28), tali tendentiae omnem viam praecludebat, ideoque nondum statuitur immolatio nova et distincta a mactatione crucis, sicuti apud hodiernos theologos, sed immolatio cruenta nihilominus, saltem symbolice, in celebratione Eucharistiae exprimenda censetur ; ad symbolicam oblationem igitur, saeculo IV exeunte, timide et confuse, sed reipsa tamen, immolatio symbolica adjungitur. Jampridem in pane et vino Eucharistico mortem Domini annuntiatam esse docebatur, sed non nisi de memoriali cruentae olim peractae immolationis loquebantur ; nunc autem memoria passionis in symbolicam sane, sed actualem mactationem evoluta, sensim sine sensu admittitur (1).

*
* *

Tertiam itaque seriem opinionum de essentia Missae sacrificii examinavimus, quae omnes in hoc conveniunt quod non tantum notam destructionis in notione sacrificii, sed adhuc notam oblationis, quam plerumque donationem audiunt, et imo omnem definitionem traditionalem, recusant.

Cum ultima sententia, quam apud Wieland legimus, a quaestione essentiae, seu quomodo habeatur sacrificium in celebratione Eucha-

(1) WIELAND, *Altar und Altargrab*, p. 1 s.

ristiae, ad quaestionem existentiae, seu quod sit sacrificium, revera redimus. Reformatores etenim saeculi XVI sacrificium laudis et gratiarum actionis pariter non negabant et commemorationem passionis praeterea diserte asserebant; attamen contra istos verum sacrificium, essentialiter simul relativum, definivit ss. Tridentina Synodus, et post hanc definitionem de notis sacrificii generaliori ratione propositis, disputare superabundat, uti superius praemonuimus. Mens etiam nobis non est de existentia sacrificii Missae disserere, sed ad primos revelationis fontes ascendere cogimur, ne controversiam de essentia oblationis sub nova lege, adversus auctores neotericos, de quibus modo diximus, a priori dirimere videamur. Inspiciemus igitur haec primitiva documenta, non eo animo ut demonstremus celebrationem Eucharistiae esse sacrificium, quandoquidem Wieland expressis verbis profitetur ritum Eucharisticum esse sacrificium, sed ut comperiamus quodnam, sive quomodo, sit sacrificium, et cum hac methodo intra limites nostrae disquisitionis permanebimus.

Sectio IV.

Theoriae modernae protestantium.

De duplici tendentia, quam apud hodiernos protestantes reperire est, nunc pauca manent addenda, ut conspectus historicus in hac materia de essentia Missae sacrificii completus habeatur.

Prima tendentia haec ipsa est quam reformatores saeculi XVI innovavere, quaeque hodiedum suos nanciscitur patronos (1). Ut

(1) Institutionem Eucharistiae Christo adhuc adscribunt inter modernos, quorum tantum referimus praecipuos, qui de Eucharistia ex professo scripserunt: Lobstein, *La doctrine de la sainte Cène*, p. 80, Lausanne, 1889; E. Haupt, *Ueber die ursprüngliche Form und Bedeutung der Abendmahlsworte*, p. 24, Halle, 1894; F. Schultzen, *Das Abendmahl im NT.*, p. 44, Göttingen, 1895; R. A. Hoffmann, *Die Abendmahlsgedanken Jesu-Christi*, p. 98 s., Königsberg, 1896; R. Schaefer, *Das Herrnmahl nach Ursprung und Bedeutung in Rücksicht auf die neuesten Forschungen*, p. 261 s., Gütersloh, 1897, et art. ejusdem a., cum eodem titulo, apud period. *Neue Kirchliche Zeitschrift* (= NKZ.), XIV, p. 472 s., Erlangen und Leipzig, 1903; C. Clemen, *Der Ursprung des Abendmahls* (*Hefte zur Christl. Welt*, n. 37), p. 31, Leipzig, 1898 et ejusdem auctoris *Religionsgeschichtliche Erklärung des NT.*, p. 185 s., Giessen, 1909; G. Wohlenberg, *Die biblische Abendmahlsberichte und ihre neue Kritik*, apud NKZ., XVII, p. 181, p. 247 s., p. 358 s., 1906; W. Ramsay, *The autorities for the institution of the Eucharist*, apud period. *The expository times*, p. 246 s., p. 295 s., p. 343 s., p. 473 s., p. 515 s., Edinburgh, 1910; Dibelius, *Das Abendmahl. — Eine Untersuchung über die Anfänge der christlichen Religion*, p. 92, Leipzig, 1911; vide etiam Cremer, art. *Abendmahl*, I, in PRE., I, p. 36 s., Leipzig, 1896[3].

genuinam notionem celebrationis Eucharistiæ adipiscamur, ipsam institutionem, aiunt, inspiciamus, oportet, siculi Lutherus aperte professus est : « Jam Missa quanto vicinior et similior primae omnium Missae, quam Christus in caena fecit, tanto christianior » (1). Similiter dixerunt et Calvinus (2), et Zwinglius (3), sed omnes doctores ad unum adhuc hodie in hac institutione primitiva, non sacrificium proprie dictum, sed solum sacrificium laudis et memoriam passionis detegunt, et ubi in Traditione revera proponi sacrificium annuere debent, illud mere relativum esse, aut scriptores ecclesiasticos pressius rituali judaico inhaesisse contendunt (4).

Ab exeunte autem elapso saeculo, quam plures critici hanc institutionem Eucharistiae a Christo abjudicare conati sunt (5), et in hac tendentia, quae est altera, modo denuntiata, in vias abiere

(1) LUTHERUS, *De Captivitate babyl.*, in WA., VIII, p. 439.

(2) CALVINUS, *Petit Traicté de la saincte Cène*, opera Calvini, V, in CR., XXXIII, 433, 442, 449 s., 453, 457; cf. adhuc *Institut. Relig. christ.*, (1559), lib. IV, cap. XVIII, n. 11, in CR., XXX, 1059.

(3) ZWINGLIUS, *Comm. de falsa et vera relig.*, in ed. SCHULER et SCHULTHESS, III, p. 240.

(4) Cf. HÖFLING, *Die Lehre der ältesten Kirche vom Opfer*, p. V, Erlangen, 1851 et TH. HARNACK, *Der christliche Gemeindegottesdienst im apostolischen und altkatholischen Zeitalter*, p. 411, Erlangen, 1854.

(5) Ita praesertim A. JÜLICHER, *Zur Geschichte der Abendmahlsfeier in der ältesten Kirche (Theol. Abhandl. K. von Weizäcker gewidmet)*, p. 231 s., Freiburg in B., 1892; J. SPITTA, *Zur Geschichte und Litteratur des Urchristentums*, I. *Die urchristlichen Traditionen über Ursprung und Sinn des Abendmahls*, p. 228 s., Göttingen, 1893; GRAFE, *Die neuesten Forschungen über die urchristliche Abendmahlsfeier*, apud period. *Zeitschrift für Theol. und Kirche* (= ZTK.), V, p. 118 s., Freiburg u. Berlin, 1895; ROGAAR, *Het avondmaal en zijn oorspronkelijke beteekenis*, p. 60 s., Groningen, 1897; A. EICHORN, *Das Abendmahl im NT.*, (*Hefte zur Christl. Welt*, n. 36), p. 18, Leipzig, 1898; J. HOFFMANN, *Das Abendmahl im Urchristentum*, p. 28, Berlin, 1903; A. ANDERSEN, *Das Abendmahl in den zwei ersten Jahrhunderten nach Christus*, p. 47, Giessen, 1906[2]; K. G. GOETZ, *Die heutige Abendmahlsfrage in ihrer geschichtlichen Entwicklung*, p. 120 s., Leipzig, 1907[2]; PERCY GARDNER, *Exploratio evangelica*, p. 457, London, 1907[2]; cf. ejusdem auctoris *The origin of the Lord's supper*, p. 14, London, 1893; A. LOISY, *Les Évangiles Synoptiques*, I, p. 181; II, p. 540 s., Ceffonds, 1907-1908; cf. ejusdem auctoris *Autour d'un petit livre*, p. 236 s., Paris, 1903[2] et *L'Évangile et l'Église*, p. 244, Bellevue, 1904[3]; J. RÉVILLE, *Les Origines de l'Eucharistie*, p. 148 s., Paris, 1908; A. HARNACK, *Dogmengeschichte*, I, p. 64, n. 1, Freiburg u. Leipzig, 1894[3], in sententiam negantem cum Spitta inclinatus, jam magis magisque in eamdem negationem propendit, in eodem op. *Dogmengeschichte*, I, p. 75, n. 1, 1909[4]; M. GOGUEL, *L'Eucharistie des origines à Justin Martyr*, p. 82, Paris, 1910; W. HEITMÜLLER, *Taufe und Abendmahl im Urchristentum* (*Religionsgeschichtliche Volksbücher herausgegeben von F. M. Schiele*, I, 22/23), p. 39 s., Tübingen, 1911.

tam diversissimas, ut plerique auctores, quamvis de hac re ex professo scriberent, eorum doctrinas ad praecipua vel etiam capita reducere renuerint (1).

Varia systemata prolata compendiose ad has summas lineas redigere fas est (2) :

Quod textum spectat, plerumque distinguunt narrationem petrinam (Mt., XXVI, 26 s.; Mc., XIV, 22 s.) et paulinam (Lc., XXII, 15 s.; I Cor., XI, 23 s.), et unam prae altera tanquam meliorem, utpote magis primitivam, eligunt. Hanc descriptionem deinde emundant, ex argumento criticae textualis, aut etiam et praesertim ob considerationes generaliores, quoniam Christus v. g. mortem suam non praeviderit, aut certo nullam societatem permanentem instituere intenderit. Quandoque adhuc cum institutione resecant quaedem alia elementa hujus primi convivii, cujus celebrationem in coena plerique admittunt, adeoque quidam moderni non tantum consecrationem vini sed et benedictionem panis uti spuriam respuunt.

Post textuum emendationem, quae tot diversas genuit solutiones, quot fuerunt critici, qui eamdem praestiterunt, jam unusquisque exegeta significationem harum epularum determinare satagit. Duplici praecipua methodo hanc investigationem aggrediuntur : alii nimirum verba in coena prolata magis attendunt, alii vero actionem peractam, sive benedictionem, sive sumptionem, potius perscrutantur ; variae porro theoriae adstructae, aut speciatim ad ideas eschatologicas provocant, aut influxum quemdam externum invo-

(1) Adire licet inter protestantes : Grafe, *o. c.*, p. 101 s. ; A. Schweitzer, *Das Abendmahl im Zusammenhang mit den Leben Jesu und der Geschichte des Urchristentums*, I. *Das Abendmahlsproblem auf Grund der wissenschaftlichen Forschung des 19. Jahrhunderts und der historischen Berichten*, p. 1 s., Tübingen und Leipzig, 1901 ; M. Goguel, *o. c.*, p. 1 s. ; inter catholicos praeprimis W. Berning, *Die Einsetzung der hl. Eucharistie in ihrer ursprünglichen Form nach den Berichten des NT. kritisch untersucht*, p. 4 s., Münster in W., 1901 ; P. Batiffol, *L'Eucharistie dans le NT. d'après des critiques récents*, apud period. *Revue Biblique Internationale* (= RBI.), XII, p. 497 s., Paris, 1903, et *Études d'histoire et de théologie positive. — Deuxième série. — L'Eucharistie, la présence réelle et la transsubstantiation*, p. 58 s., Paris, 1905[2] ; N. Bares, *Die moderne protestantische Abendmahlsforschung*, p. 24 s., Trier, 1909 ; Rauschen, *Euch. und Buszsakrament*, p. 43 s., 1910[2] ; W. Koch, *Das Abendmahl im NT.* (*Bibl. Zeitfragen*, IV, 10, *hrsg. von J. Nikel und I. Rohr*), p. 25 s., Münster in W., 1911 ; Ruch, art. *Eucharistie d'après la Sainte Écriture*, apud *Dict. de Theol. Cath.* (Vacant), V, 1024 s., Paris, 1912.

(2) Ne plures paginas cum notis adhuc inserere debeamus, omittimus ad singulas assertiones eos indicare auctores, qui talem doctrinam propugnavere.

cant, puta Judaismum, et in specie ritum Essenorum, vel adhuc paganismum, et imprimis cultum religionum orientalium.

Tempus praeterea, quo celebratio Eucharistiae tanquam institutio haberi coeperit, definire moliuntur et innovatores indigitant, ipsam communitatem videlicet primitivam, aut Apostolum s. Paulum, qui, conscie vel inconscie, coenam Eucharisticam ad ritum permanentem evexerit.

Haud pauci critici hujus secundae tendentiae, uti pronum est, de sacrificio simpliciter tacent ; alii illud negant et inter Patres aut scriptores ecclesiasticos, talem vel talem de mutata notione coenae Eucharisticae accusant (1) ; attamen quidam jam admittunt s. Cyprianum, cui generatim antiquitus adulterationem coenae in sacrificium impingebant, elementa quaedam novae suae, quam aiunt, sententiae apud praedecessores suos invenisse (2) ; alii denique sacrificium in textu sacro et in ipso ritu a Christo usurpato admittunt, at sacrificium profitentur improprie dictum, sacrificium v. g. solius panis et vini, quae cum gratiarum actione benedicuntur et etiam consumuntur (3).

*
* *

Totum hoc caput brevi compendio repetere fas est : controversia de essentia sacrificii Eucharistici cum tempore Reformationis incepit, postquam ss. Tridentinum Concilium, contra Lutherum et alios haereticos, existentiam sacrificii proprie dicti in Eucharistia vindicavit.

Card. Bellarminus, quia polemice egit, potius in probanda existentia oblationis sub nova lege permansit, et disputatio ideo imprimis viget inter Suarezium, Vasquezium, Lessium et Lugonem, quorum sententiae ad hodiernum usque diem praecipue impugnantur aut excoluntur.

Altera series opinionum constituitur theoriis a Thalhofer, Pell, Lepin et Grivet excogitatis. Tertia complectitur systemata, quae Renz, Bellord et Wieland adstruxerunt.

In theologia protestantica, quaestio pariter paulatim loco mutata est : non disputatur adeo de hoc, quod Christus instituerit,

(1) Cf. J. Réville, *o. c.*, p. 116 s., p. 166 s. et passim ; item M. Goguel, *o. c.*, p, 89 s. et p. 226.

(2) Cf. A. Harnack, *Dogmengeschichte*, I, p. 467 s.. Freiburg und Leipzig, 1909⁴.

(3) Cf. Goetz, *o. c.*, p. 185 s. et Keating, *The agape and the eucharist in the early church*, p. 161, London, 1901, quem Goetz secum assentientem adducit.

sed requiritur num Dominus quidquam instituerit et hodie generatim negative respondetur. Attamen in hac nova tendentia, quae respectum « sacramentalem » Eucharistiae acriter impugnat, minus de aspectu sacrificali disceptatur ; reformatores quinimmo caecitatis accusantur, quoniam negaverunt sacrificium, quod luculenter, secundum Goetz (1), tum ex Scriptura sacra, tum ex primitiva traditione apparet, sed sacrificium adhuc intelligitur improprie dictum, et quoniam simul praesentiam realem magis magisque impetunt (2), reipsa longius a sententia catholica recedunt, ad quam in externa facie accedere videntur (3).

(1) Goetz, *o. c.*, p. 185 : « Die bisherige protestantische wissenschaftliche Forschung ist da, so viel ich sehe, merkwürdig blind gewesen, und die katholische war auch blosz klüger in dem, dasz sie die Opfervorstellung vom Abendmahl als solche stets festgehalten hat ». — Ita etiam Gore, *o. c.*, p. 157 : « There can be no question that from the earliest days the christian church thought of the eucharist as a sacrifice ».

(2) Ita speciatim in Germania, ubi magis florescunt theoriae novae, de quibus modo diximus ; in Anglia, hanc quaestionem praesentiae realis apertam et liberam proclamavit Gore, *o. c.*, p. 234 : « This conclusion, that our present formulas leave the question of the objectiveness of the presence an open one, so that we are not justified in calling one another heretics for holding or denying it, commanded the assent of John Keble... And the same conclusion has recently been clearly reaffirmed in the Archbishop of Canterbury's charge ».

(3) Excipimus ab his tendentiis quosdam anglicanos, ita speciatim Mortimer, *o. c.*, p. 450, qui sententiam catholicam profiteri intendit ; lege adhuc Hammond, *Notes on the sacrificial aspect of the holy Eucharist*, p. 8, Oxford, 1913.

CAPUT II.

DE VARIIS METHODIS IN DEFINIENDA ESSENTIA SS. MISSAE SACRIFICII ADHIBITIS.

Ex diversis sententiis, quae ad determinandam essentiam sacrificii altaris allatae fuerunt, suspicari jam licet easdem, non una, sed varia methodo fuisse productas, adeoque in hoc capite de methodo disputare intendimus, ut rectam viam ineundam detegamus. Haec disquisito eo vel magis necessaria hodie videtur, quod quidam theologi asseveranter dicunt (1), aut haud obscure saltem innuunt (2), auctores dogmaticos in devium declinasse tramitem, et cum hac animadversione neotericas suas theorias argumento jam praemunire satagunt.

Ut disputatio clare procedat prius dicemus de connexione inter duas quaestiones, primam, *quod sit*, sacrificium Eucharisticum, et alteram, *quomodo sit*, quandoquidem duo haec problemata adeo connexa sunt, ut a controversia de existentia sacrificii Missae paulatim ad disceptationem de essentia pervenerimus, et similiter ab inquirenda essentia hujus oblationis facillime ad errorem de existentia ipsius deflectatur.

Sectio I.

De relatione ad invicem quaestionis de existentia et de essentia sacrificii Missae

Objectum materiale actus fidei divinae, cui credens assensum suum praestare debet, est verum a Deo modo supernaturali et proprio revelatum. Revelatio divina vero, sicuti locutio humana, tum explicite, quum implicite veritates manifestare potest. Explicite revelata dicitur veritas, quando totidem expressis verbis vel terminis aequipollentibus in Scriptura sacra aut in Traditione continetur ; implicite revelata pronuntiatur, quando in aliquo explicite revelato reperitur significata, quod duplici modo, formaliter scilicet et virtualiter fieri potest.

Formaliter implicite revelatum declaratur id quod, quoad

(1) Bellord, *l. c.*, p. 3.
(2) Renz, *Geschichte*, I, p. VIII ; Wieland, *Opferbegriff*, p. 193.

conceptum formalem, cum explicite revelato identificatur, et in ipso, licet non totidem verbis, vere tamen et proprie, juxta communem hominum conceptum, dici censetur. Virtualiter implicite revelatum habetur id, quod cum explicite revelato nexum necessarium obtinet, et eruitur ex explicite revelato mediante principio rationali, cujus munus est partialiter etiam movendi mentem, ad modum praemissae in ratiocinatione, ita ut intellectus huic conclusioni assentiat (1).

Agitur impraesentium de essentia sacrificii Eucharistici formaliter implicite in existentia ipsius revelata, id est, de ratione definitionis contenta in ipso definito revelato.

Statim autem apparet difficultas : ex una parte omnes doctores concedent *revelato definito formaliter implicite revelari definitionem*, et ex altera parte controversiam de essentia Missae sacrificii tacente Ecclesiae, inter theologos catholicos vigere non minus certo constat.

Jamautem revelatum definitum, seu melius res revelata per suas notas essentiales definienda, ad definitionem dupliciter se habere potest :

Primo, ipsa definitio ita per se evidens esse valet, aut saltem ita contineri potest in revelatione sufficienter proposita, ut nullam quamlibet notam rei revelatae, in definitione inclusa, quis negare queat, quin statim rem eam esse, quae revelatur, diffiteatur. Per se ita evidens existit, ex demonstratione obvia, naturali lumine comparata, definitio hominis, quapropter si quis Christum corpore et anima rationali componi profiteri renueret, rem explicite revelatam, Christum videlicet esse hominem, reipsa rejiceret. Similiter, revelata veritate Baptismum esse sacramentum novae legis, revelatur implicite sed formaliter Baptismum esse signum sensibile et efficax gratiae, quippe quae definitio sacramenti ex revelatione satis proposita clare dignoscatur.

Secundo, possunt notae essentiales omnes et singulae alicujus rei, cujus existentia revelata est, non esse evidentes per se, ex sola scilicet rei definiendae enuntiatione, et fieri etiam potest easdem non declarari in revelatione satis proposita, adeo ut diligentiori inquisitione comparandae atque comprobandae veniant. In hac hypothesi certo, notae quaedam generaliores, satis tamen rei distinctivae, in revelatione sufficienter proposita ita continentur ut sciatur quid fide tenendum sit, sed quoad notas aliquas speciales et necessarias ad

(1) Cf. Card. Billot, *De Virtutibus infusis*, p. 254, Romae, 1901, qui tertium addit membrum, nimirum revelatum generaliter implicite, « sicut determinatum in indeterminato ».

definitionem specificam, tacente magisterio authentico, controversia et dissensus theologis permittuntur (1).

Nihil autem prohibet, ubi res naturalis agitur, quominus definitio ratione adstruatur ; statim ergo exoritur quaestio utrum necne sacrificium naturale dici queat, utrum ab hominibus, saltem in societate degentibus, possit institui, an potius ad auctorem solum Deum referri debeat. Et enim ex alia et alia solutione hujus problematis dependebit alia et alia methodus, quam ad determinandam essentiam Missae sequi possumus : si sacrificia sint solius institutionis divinae, haec sacrificia positive a Deo instituta, quorum revelatio meminit, praecipue aut etiam unice attendi poterunt ut definitionem sacrificii conficiamus ; si vero sacrificia, quae apud gentes usurpata fuere et usurpantur, considerari valeant ut jure ab ipsis instituta, nihil impedit quin aliquis etiam ex iis sacrificiis notionem oblationis sacrificalis nancisci moliatur.

Sectio II.

De solutione praevia problematis de institutione sacrificii.

Duplici via solvere fas est hoc problema de institutione sacrificii, et quidem :

Primo a priori, quatenus « dicendum, uti ait s. Thomas, quod naturalis ratio dictat homini quod alicui superiori subdatur propter defectus quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adjuvari et dirigi... Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, ut ei quod est supra hominem, subjectionem et honorem exhibeat secundum suum modum. Est autem modus conveniens homini ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitae subjectionis et honoris, secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii. Et ideo oblatio sacrificii pertinet ad jus naturale » (2). Haec verba, ubi videtur, magis obligationem moralem respiciunt, sed, in responsione ad primam difficultatem, statim addit Angelicus : « Similiter etiam oblatio in communi est de lege naturali ; et ideo in hoc omnes conveniunt ; sed determinatio sacrificiorum est ex institutione humana vel divina ; et ideo in hoc differunt ».

(1) Cf. Franzelin, *o. c.*, thes. XIV, p. 381 s.
(2) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 1, c.

Secundo a posteriori, seu quod attinet respectum historicum, haud obscure insinuat Aquinas talem institutionem humanam apud gentes assignandam esse, quum ad objectiones in eadem quaestione praemissas respondet : « Sed contra est quod in qualibet aetate et apud quaslibet hominum nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio. Quod autem est apud omnes, videtur naturale esse ». Et huic doctrinae non offendunt quaedam effata ejusdem s. doctoris, ubi de caerimoniis veteris legis disserens, ad instinctum appellat divinum, quo « etiam ante legem... quidam viri praecipui spiritu prophetico pollentes, ... quasi ex quadam privata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui et conveniens esset interiori cultui et etiam congrueret ad significandum Christi mysteria » (1). In eadem enim quaestione replicat ad primum, ubi objicitur : « Videtur quod caeremoniae legis fuerint ante legem. Sacrificia enim et holocausta pertinent ad caeremonias veteris legis... Sed sacrificia et holocausta fuerunt ante legem » ; « dicendum, quod hujusmodi oblationes, et sacrificia, et holocausta offerebant antiqui ante legem ex quadam devotione propriae voluntatis secundum quod eis videbatur conveniens ; ut in rebus quas a Deo acceperant, et quas in reverentiam divinam offerebant, protestarentur se colere Deum, qui est omnium principium et finis ».

Concludendum igitur videtur secundum s. Thomam haud certo constare de divina et positiva institutione sacrificii ; attamen absque ullo dubio Deus instituit sacrificia mosaica, et adhuc ante legem quosdam homines movit ut tale determinatum sacrificium offerrent.

Censet revera Eusebius primum omnium sacrificium ex animalibus, excogitatum fuisse a viris Deo amicis, « quam sane excogitationem temere exstitisse, aut humano more exortam, putandum non est, sed divino potius nutu insinuatam » (2) ; in alium sensum autem expresse docet s. J. Chrysostomus : « Non enim ab ullo doctus (Abel), neque lege de primitiis haec disserente audita, sed a sua conscientia doctus sacrificium illud obtulit » (3) ; et « sicut in principio, Abel ille primi hominis filius, a seipso commonitus, magna diligentia oblationem perfecit ; sic utique nunc et justus ille (Noe), sua voluntate et arbitrio sano, quantum humanis viribus potuit, utque faciendum putavit, Domino per sacrificia gratiarum actionem retulit » (4).

Cum certitudine proin a posteriori non demonstratur Deum de

(1) *Sum. Theol.*, I-II, q. 103, a. 1, c.
(2) Eusebius, *Demonstr. evang.*, 1, n. 10 (PG., XXII, 83 s.).
(3) S. J. Chrys., *Ad populum antioch. hom.* XII, n. 4 (PG., XLIX, 132).
(4) S. J. Chrys., *In Gen. hom.* XXVII, n. 2 (PG., LIII, 242).

facto sacrificium instituisse (1), et quod quaestionem a priori spectat, plerique theologi cum Aquinate tenent sacrificium institui posse auctoritate divina aut humana, saltem publica (2). Praeterea, supposita institutione positiva et divina, quam non negamus sed, exceptis semper sacrificiis in Levitico praescriptis, haud demon-

(1) ILL. LAMBRECHT, *De ss. Missae sacrificio*, p. 85 s., Lovanii, 1885, institutionem divinam sacrificii propugnat, tum ex Traditione, tum etiam ex sacra Scriptura. Putat in divinis Litteris non expresse definiri sacrificia Patriarcharum divinam habere originem, id tamen sufficienter innui in verbis Gen., IV, 4 : « Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus », collata declaratione epistolae ad Hebr., XI, 4 : « Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo ». — « Per totum caput XI epistolae ad Hebraeos, ait, laudat Paulus fidem antiquorum circa peculiare quoddam objectum ; sic fides Noë versabatur circa diluvium, fides vero Abrahae circa promissam sibi terram. Igitur et Abelis fides tendit in aliquid particulare, in hostiam scilicet, quacum connectitur. Jamvero quaenam fides in hostia veluti in signo relucet, nisi fides futurae redemptionis per Christum, cujus mortis erat symbolum, quod Deo litabat, sacrificium. En verum, uti opinamur, fidei Abelis objectum. Cum autem, eodem Apostolo teste, fides ex auditu, auditus autem per verbum, consequitur omnino Abelem eam ex revelatione immediata seu mediata didicisse, et non sine superno instinctu, in hostia sua attendisse » (p. 89). — Non infitiamur talem interpretationem esse possibilem, sed aeque possibilis est explicatio, quae fidem Abelis circa Deum conditorem et Dominum universorum versatam esse propugnat, et omnem institutionem positivam adeo recusat. Hanc rationem igitur omittere possumus, et quod alias indicationes ex s. Pagina spectat, in quibus legimus Deum intervenisse in quibusdam sacrificiis VT., plane confitemur cum s. Thoma, Deum instinctu suo movisse quosdam homines ut tale sacrificium vel tali momento offerrent, sed tales adnotationes quaestionem de institutione primitiva intactam relinquunt. Ex traditione affert auctor textum s. AUGUSTINI, *De Civit. Dei*, X, n. 10 (PL., XLI, 298), EUSEBII, *Demonstr. evang.*, I. n. 10 (PG., XXII, 83 s.) et s. GREGORII MAGNI, *Moral.*, XXIX, 31 (PL., LXXVI, 515) ; at vero exceptis verbis Eusebii, nullum indicatur testimonium quod explicite eidem sententiae suffragatur ; in his locis enim mere docemur sacrificia vetera praesignificasse sacrificium crucis, quod indubium videtur, ast ea divinitus fuisse instituta non demonstratur. Cf. etiam GRIMAL, *Le sacrifice et le sacerdoce de N. S. J.-C.*, p. 8 s., spec. p. 14 s., Paris, 1911², et in alium sensum lege THALHOFER, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 32 s.

(2) Cf. SUAREZIUM, *o. c.*, disp. 73, sect. III, n. 1 s. et LUGONEM, *o. c.*, disp. XIX, sect. I, n. 10 ; — VASQUEZIUS, *o. c.*, disp. 220, cap. III, n. 19 institutionem humanam privatam sufficientem ducit ; de hac institutione privata inferius pauca subdemus. — Cf. etiam STENTRUP, *o. c.*, II, p. 225 s. ; EINIG, *Tractatus de ss. Eucharistiae mysterio*, p. 111, Treveris, 1888 ; FRANZELIN, *o. c.*, thes. II, p. 310 ; CARD. BILLOT, *De Eccl. Sacramentis*, I, p. 585 ; HURTER, *Theologiae dogm. compendium*, III, n. 402, p. 391, Oeniponte, 1908¹² ; PESCH, *De Sacramentis*, I, n. 846, p. 385 s., Friburgae Brisgoviae, 1908³ ; POHLE, *Lehrbuch der Dogmatik*, III, p. 353, Paderborn, 1912⁵, etc. — Hi omnes doctores in hypothesim institutionis humanae saltem publicae inclinari videntur.

stratam pronuntiamus, nondum probatur sacrificia apud omnes gentes ex hac institutione derivanda atque explananda (1).

Sectio III.

De tribus methodis, quae ad solvendam quaestionem de essentia sacrificii altaris adhibitae fuerunt.

Prima itaque intelligitur methodus, quae ope scientiae illius, quam historiam religionum vocant, examinatis omnibus sacrificiis ubique terrarum oblatis, et non omisso sacrificio judaico, hoc tamen speciali disquisitione non perpenso, notionem sacrificii genericam determinare aggreditur, ut eamdem postea sacrificio altaris applicare possit.

Verum quaedam sacrificia reapse a Deo immediate instituta fuerunt, quare altera procedendi via erit, quae ab illis sacrificiis apprime incipit, et in illis explicandis praeprimis immoratur, ut ex materia, forma et scopo variarum oblationum, quarum revelatio meminit, definitio sacrificii generica, sacrificio Missae deinde adaptanda, adstruatur.

Priorem methodum, quam historicam nominat (2), amplexatus est ill. Bellord, quoniam, ait, ad perfectam aestimationem accipiendam alicujus institutionis, quae a primordiis suis evolutioni progressivae subjecta fuerit, ad primitiva ejus, imo ad inculta ipsius exordia ascendamus oportet, ut requiramus in quonam constiterit, quemadmodum operata sit, quidnam illi adjunctum, quidnam tandem ab illa sublatum fuerit (3). Haud satis est igitur, ad mentem ipsius, ut sacrificio studeamus, quale in tempore splendoris, apud populum electum aut quaslibet gentes, exstiterit (4), sed primitivam institutionem perpendamus necesse est, et hanc ibidem inveniemus notionem genericam sacrificii : sacrificium est convivium commune, quod tribus in unione cum divinitate participat (5).

(1) Cf. De Broglie, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions*, p. 269 s., Paris, 1886[2]; Grimal, *o. c.*, p. 23 s.

(2) Bellord, *art. cit.*, apud *Ecclesiastical Review*, XXXIII, p. 2.

(3) Bellord, *l. c.*, p. 2 : « In order to arrive at a correct estimate of any institution of great antiquity that has been gradually developing from the first, it is necessary to trace it back through all its phases to its primitive and even barbarous beginnings, to inquire what it consisted of and how it worked, what additions have been made to it, and how much has dropped away from it ».

(4) *Ibidem*, p. 14.

(5) *Ibidem*, p. 4 s. : « It (nempe sacrificium) was primitively a common meal of the tribe eaten in conjunction with its Deity ».

Eucharistiam posthac cum tali definitione intelligere est : in ipsa coena et Missa magnum offertur sacrificium novae legis ; attamen ipsa mors Christi in cruce, sacrificium rituale dici nequit, nisi cum coena et Missa in unum coalescat.

Ex sola hac exposita doctrina, quae ad tales conclusiones ducit, a priori suspicari licet, analysim ab auctore perperam fuisse institutam, sed hac consideratione nunc praetermissa, ad unam methodum quod attinet, animadvertimus neminem posse, nisi magno suo periculo, tali incedere via ad quaestionem dogmaticam enucleandam, quandoquidem historiographi religionum in ipsa notione sacrificii assignanda quam maxime dissentiunt. In hodiernis adjunctis igitur nullum argumentum nisi labile haec nova religionum scientia praebere poterit (1).

Ad alteram ergo redeundum est methodum, quam omnes theologi antiquiores et recentiores haud pauci, magni etiam nominis, communi fere ratione secuti sunt.

Statuta prius definitione sacrificii generica ex rituali mosaico deprompta, eamdem postea sacrificio nostro altaris applicant, attenta hujus oblationis indole speciali, quoniam Christus, in ea immolandus, sit impassibilis, et verum nihilominus sit sacrificium, essentialiter relativum ad sacrificium crucis, uti ex institutione Eucharistiae indubie patescit.

Attamen tertiam adhuc methodum indicare est, quam hodierni quidam, Renz nimirum et Wieland, elegerunt.

Principium sibi fuisse fatetur Renz (2) solum sacrificium Christi cruentum uti verum habere sacrificium, quod omnes actiones ceu sacrificia designatas illustrat ; et recta via non est, inquit, quod plerique auctores nihilominus attentant, ex caerimoniis paganis aut judaicis demonstrare quod et quomodo passio Christi et celebratio Eucharistiae tanquam sacrificia considerari possint.

Ita etiam Wieland : Sacrificium, dicit, est actus quo conjunctio Dei cum hominibus perficitur (3) ; atqui oblationes VT. nunquam potuere « juxta conscientiam perfectum facere servientem » (4), itaque non

(1) Cf. Coghlan, *De ss. Eucharistia*, p. 421, Dublini, 1913.

(2) Renz, *Geschichte*, I, p. VIII : « Dabei war es dem Verfasser Princip, das blutige Sakrificium Christi als die Sonne, weil das einzige wahre Opfer, zu betrachten, welche das Licht auf alles, was sonst Opfer genannt wird, fallen lässt, aber nicht, wie es Gewohnheit ist, umgekehrt mit dem heidnischen und jüdischen Opferceremoniell zu beweisen, dass und wie der Tod Christi und die Eucharistie ein Opfer sei ».

(3) Wieland, *Opferbegriff*, p. 194.

(4) *Hebr.*, IX, 9.

fuerunt vera sacrificia, sed conamina sacrificii (1), et ad Eucharistiam explicandam nihil conferre valent.

Consentiunt adeo isti doctores cum ill. Bellord, quando definitionem traditionalem acceptare renuunt, sed quamlibet definitionem genericam, inductione adstructam, insuper recusant, et praecipue ad traditionem patristicam, uti Renz, vel ad sacram Paginam et ad Traditionem simul recurrunt, uti Wieland, ut ex ipsis revelationis fontibus quaestionem de essentia Missae dirimere valeant.

Non infitiabimur hanc tertiam methodum prima fronte meliorem videri prae altera, quum agatur sacrificium Eucharisticum explicandum, et intima ipsius connexio ad sacrificium crucis perpendenda; quare revera obvium videtur solam perscrutari revelationem, in qua haec sacrificia proposita reperiemus.

Attamen, praetermissa rursum ratione, quae invocari posset ex conclusione, ad quam haec methodus eosdem doctores perduxit, ob solas sanae criticae regulas, talem methodum non admittendam esse autumamus. Non dicimus, quod bene animadvertatur, ipsam revelationem non esse inspiciendam, quippe quum modo in altera via explananda, haud obscure innuerimus in applicanda definitione generica sacrificio Eucharistico presse inhaerendum esse Scripturae sacrae et Traditioni, sed investigationem de essentia Missae sacrificii ab accurata et clara definitione sacrificii VT. incipiendam esse declaramus.

Sectio IV.

Probatur methodus quae ad solvendam quaestionem agitatam sola videtur apta.

Scriptura sacra reapse nullatenus indolem prae se fert alicujus tractatus theologici, in quo varia enumerantur sacrificii elementa, quae ad invicem postea conferenda et componenda veniunt, sed e contra, in hac praesertim materia sacrificali, argumenta, quae ex sacra Pagina conferre est in favorem ipsius etiam existentiae oblationis sacrificae sub nova lege, praeprimis procedunt ex modo speciali, quo celebratio Eucharistiae in coena, tali determinata ratione, secundum conceptus nimirum ritualis judaici describitur,

(1) Wieland, *Opferbegriff*, p. 193 : « Die alttestamentlichen Darbringungen waren demnach zwar Opferversuche, aber nicht wahre und eigentliche Opfer ». — Ita etiam Renz, uti diximus in I capite, et in textu modo allato satis aperte innuitur.

et in arcta conjunctione cum ritu paschali et sacrificio foederis antiqui proponitur.

Similiter, quod Traditionem spectat, manifestum est ss. Patres et scriptores ecclesiasticos, qui rem alioquin ex professo non considerant, sed fidem catholicam de Missae sacrificio plerumque in controversiis cum judaeis et paganis propugnant, aut dogma Eucharisticum in homiliis et litteris suis, ex occasione liturgiae exponendae vel abusus tollendi, tractant, eam notionem sacrificii prae mente habuisse, quae lectoribus suis ante oculos obversabatur, quam et Scriptura sacra, cui sedulo innituntur, luculenter supponit. Illud abunde constat, tum ex comparationibus et figuris a VT. mutuatis, quas adducunt, quum praesertim ex unanimi applicatione celebris vaticinii Malachiae ad sacrificium novae legis, quam vix non omnes referunt.

Haud affirmamus profecto hagiographos aut Patres definitionem illam attendisse aut etiam cognovisse, quam mox ex rituali VT. depromemus, sub forma nimirum philosophica in parte sequenti adstruenda; sed declaramus eisdem certissime notam fuisse notionem hanc generaliorem, qua sacrificium dicitur actus supremus cultus externi, quo res substantialis speciali ritu in honorem divinum exhibetur. Atqui, ubi ritum hunc specialem describunt, terminologiam VT. usurpant, comparationes cum illis sacrificiis antiquae legis semper instituunt, quinimmo, juxta prophetiam Malachiae, hoc novum sacrificium illis omnibus oblationibus antiquis substitutum fuisse proclamant, adeoque patenter admittunt cuncta elementa essentialia, quae sacrificium vetus ingrediuntur, in nova adhuc oblatione detegenda : haec oblatio munda, quam Malachias vaticinatus est, quam ipse sacrificiis antiquis opposuit, quam iisdem substituendam pronuntiavit, est ipsum sacrificium Eucharisticum ab ortu solis ad usque occasum apud omnes gentes offerendum ; hoc igitur quoad notas essentiales differre ab oblationibus VT. denuntiare nefas est.

Sed instabunt doctores, quibuscum nobis impraesentium controversia, et dicent se potius a sacrificio crucis incipere suam investigationem, cum omnibus compertum sit hanc crucis oblationem quasi centrum esse tum novae, quum veteris oeconomiae salutis. Hoc explicite advertit Renz, et cum ipso rursus concinit Wieland, qui vetera sacrificia, utpote quae umbra et figurae fuerint illius sublimis et unici sacrificii, non vera fuisse sacrificia, sed conamina sacrificii, ex illo uno sacrificio vero intelligenda, contendit.

Obvia patet responsio huic difficultati : sacrificia VT. dicuntur umbra et figurae in ratione efficaciae, at nullatenus in ratione essentiae ; quinimmo sacrificium crucis, magis adhuc quam

sacrificium Eucharisticum, ex collatione dignoscitur cum rituali VT., quoniam cum singulis sacrificiis antiquis, tum in sacris Litteris, quum apud Patres, comparari deprehendatur.

« Pascha nostrum immolatus est Christus » (1), inquit s. Paulus, et « tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam (προσφορὰν καί θυσίαν) Deo in odorem suavitatis (εἰς ὀσμὴν εὐωδίας) » (2). — « Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit (Deus) ut nos efficeremur justitia Dei in ipso » (3), « justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem (ἱλαστήριον) per fidem in sanguine ipsius » (4).

Similiter epistola ad Hebraeos (5) in arcta connexione ad rituale antiquum proponit sacrificium cruentum Christi, et in scriptis s. Petri (6), necnon s. Joannis (7), eamdem descriptionem ubique reperire est.

Nihil mirum adeo si ss. Patres (8) opus redemptorium Domini nostri praesertim ex exemplis et figuris VT. illustrant, itaque, ut Scripturam et Patres plene intelligamus, sacrificium antiquum penitus pariter noscamus necesse erit (9).

(1) I *Cor.*, V, 7.

(2) *Eph.*, V, 2.

(3) II *Cor.*, V, 21; cf. etiam *Rom.*, VIII, 3.

(4) *Rom.*, III, 24-25. — Cf. PRAT, *La Théologie de saint Paul*, I, p. 283, Paris, 1909[5] et II, p. 266, Paris, 1912.

(5) *Hebr.*, IX, 3-8; 12-14; 24-28; X, 1-4; 14, etc. — Cf. ILL. LAMINNE, *La Rédemption. — Étude dogmatique*, p. 203 s., Bruxelles, 1911.

(6) I *Petr.*, I, 2, 18.

(7) *Jo.*, I, 29; XIX, 36; I *Jo.*, I, 7; II, 2; IV, 10; *Apoc.*, I, 5; V, 6, 12; VII, 14; XIII, 8.

(8) Testimonia citata videsis apud HUGON, *o. c.*, p. 126 s.

(9) Cf. LAMINNE, *o. c.*, p. 191 s. : « Si l'Écriture sainte et principalement l'Épître aux Hébreux enseigne que la mort du Christ a été un sacrifice offert à Dieu, le sens de cette doctrine est évidemment déterminé par la signification que ce mot avait dans la religion d'Israël ». — Circa hanc notionem sacrificii, quatenus redemptioni applicandam, recenter disputavit RIVIÈRE, prius in quibusdam articulis, notatim apud RPA., XIII, p. 5-32, 1911, ac deinde in opere *Le dogme de la Rédemption. — Étude théologique*, p. 202 s., Paris, 1914. — Notionem sacrificii nimis indeterminatam contendit quam ut dogma redemptionis illustrare valeat, itaque, ait, eamdem primum sat latam proponere oportet, ut omnia systemata de sacrificio excogitata continere possit. — Respondetur : utique, si haec omnia systemata aeque vera sint; secus verum eligatur systema, et cetera relinquantur ! Errat insuper cl. auctor (p. 209), ubi censet s. Thomam docere mortem Christi tantum esse *quoddam* sacrificium, seu sacrificium quodammodo, et minus stricte dictum. Angelicus enim aperte pronuntiat Christum in passione sua verum obtulisse sacrificium, in *Sum. Theol.*, III, q. 48, a. 3, c. et q. 47, a. 4, ad 2m; revera

Sectio V.

Indicantur singula problemata ad enodandam quaestionem de Missae essentia solvenda.

Ut tuto igitur quaestionem de essentia Missae sacrificii solvamus, prius definitionem genericam sacrificii ex rituali praesertim judaico adstruemus. In hac inquisitione, quam in I parte praestabimus, praeprimis attendendum erit ne, in analysi sacrificii instituenda, aut in definitione synthetice componenda, influxum patiamur a praevisis difficultatibus, quae, in applicatione hujus definitionis sacrificio Missae, obviabimus. Jampridem enim Suarezio crimini vertit Vasquezius (1), theoriam immutationis perfectivae ob necessitatem causae in disputationem invectam fuisse ; similem accusationem Bellarmino imputavit Schwane (2), et recentius adhuc acute animadvertit ill. Mac Donald (3) quasdam definitiones sacrificii simpliciter factas esse « sur commande » ; *talis* determinatur notio generica sacrificii, quoniam *talis* in explicanda Missa adhibenda erit.

In II parte requiremus quomodo sacrificium Eucharisticum celebrandum veniat, et sacram Paginam pervolvemus, ubi institutionem hujus oblationis legimus, et hoc esse verum sacrificium simul ac essentialiter relativum comperiemus.

At vero ex eisdem sacris Litteris arguit Wieland, et postea adhuc ex Traditione, ut suam notionem sacrificii altaris genuinam esse in

in q. 47, a. 2, c., ubi quaerit num Christus ex obedientia mortuus fuerit, conveniens fuisse proclamat « reconciliationi Dei ad homines », ut Christus ex obedientia pateretur, « in quantum scilicet ipsa mors Christi fuit quoddam sacrificium acceptissimum Deo, secundum illud *Eph.*, V, 2 : Tradidit seipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis ». — Nullatenus igitur affirmat Aquinas mortem Christi fuisse *quoddam* tantum sacrificium, seu sacrificium *secundum quid*, sed asserit hoc fuisse sacrificium *acceptissimum quoddam*, nempe, inter cetera sacrificia, magis Deo acceptum. Cf. etiam D'Alès, *Le dogme catholique de la rédemption*, apud period. *Études*, CXXXV, p. 185 s., Paris, 1913.

(1) Vasquezius, *o. c.*, disp. 220, cap. II, n. 15 ; ibidem manifeste ad verba alludit Suarezii, *o. c.*, disp. 73, sect. V, n. 5.

(2) Schwane, *Dogmengeschichte der neueren Zeit*, p. 384.

(3) Mac Donald, *The sacrifice of the Mass*, apud period. *Ecclesiastical Review*, XLV, p. 179, 1911 : « There could scarce be a more signal instance of the fallacy of begging the question than is involved in these definitions. They are simply made to order. The Mass is proved to be a real sacrifice by means of a definition into which there has been quietly smuggled the notion that there is no need of a real destruction of the victim. » — Cf. adhuc Ill. Hedley, *La sainte Eucharistie* (trad. A. Roudière), p. 195 s., Paris, 1908.

Ecclesia primitiva conficiat. Renz pariter Traditioni innititur ut sententiam « convivii sacrificalis » novis theoriis, quas post ss. Tridentinum Concilium dicit exortas, opponat. Haud satis erit igitur ut brevi negotio elementa, quae sacrificium Eucharisticum constituunt, ex sacra Scriptura eruamus, sed comprobemus oportebit illam definitionem genericam ex rituali judaico depromptam huic sacrificio altaris applicandam esse, et eamdem demonstrationem adstruamus necesse erit ex Traditione, quae etiam in adjumentum harum opinionum neotericarum advocatur.

Hac methodo singularem viam indirecte praecludimus, quam Vasquezius ad eamdem essentiam Missae definiendam inivit. Perpensa difficultate hujus sacrificii rite explanandi, duplex ipse distinguit sacrificium, absolutum primum, « quod non est alterius sacrificii commemoratio, velut mactatio pecudis vel alterius rei consumptio. Aliud vero... relativum seu commemorativum, cujus exemplum solum habemus in sacrificio altaris quod commemorativum dici potest » (1), et in quo nullam immutationem, nedum destructionem indicare est (2). Definitionem adeo sacrificii absoluti, quam plane admittit, sacrificio novae legis applicandam non habet, atque a qualibet difficultate sese expedire valet, donec probetur notionem sacrificii absoluti, suo modo etiam in hac oblatione Eucharistica reperiendam. Quando igitur adversus Renz et Wieland demonstratum erit definitionem genericam sacrificio Missae adaptandam esse, hanc theoriam Vasquezii simul jam indirecte confutatam habebimus.

Nemo autem non novit, si tantisper quaestioni de essentia Missae studuerit, quemadmodum omnes doctores ad unum, ss. Patres, eos praesertim qui in Ecclesia graeca aut latina scientiam theologicam maxime promoverunt, aut etiam scholasticos, ac praesertim s. Thomam, in suas partes attraxerint, atque illis suas theorias imputaverint.

Post I caput ideo, in quo de doctrina sacrae Paginae dicemus, et caput II, in quo de traditione primitiva disputabimus, attentis in hoc utroque capite considerationibus a Renz et Wieland prolatis, in capite deinde III, theologiam graecam et latinam inde a IV saeculo, et scholasticos adhuc interrogabimus ut verum sensum accipiamus quarumdam formularum, quae in disquisitione de essentia Missae jam consecratae existunt, et ut principia hauriamus quibuscum scholastice de Missa postea disputare licebit. Ut tuto fundamento

(1) Vasquezius, *o. c.*, disp. 220, cap. III, n. 26.
(2) *Ibidem*, disp. 222, cap. VIII, n. 65.

innitamur, in fine hujus III capitis in II parte, penitius investigabimus authenticam declarationem Ecclesiae in ss. Tridentina Synodo prolatam, quippe quae non minus ac diversae formulae a Traditione derivandae, aut sententiae apud Patres et scholasticos reperiendae, in omnes theorias promiscue invocetur.

In III parte denique successive examinabimus singula elementa, quae Missae sacrificium, verum simul ac essentialiter relativum, constituunt. Exceptis quibusdam opinionibus, de quibus sufficienter disceptatum fuerit in I aut in II parte, singulas sententias de Missa prolatas brevi negotio ibidem recapitulabimur et crisi subjiciemus, ut ex iisdem refutatis theoriis explicationem dogmaticam, quam de sacrificio altaris omnino tenendam ducimus, magis illustremus atque corroboremus. Cum hac methodo nihil a priori, nihil etiam a genuina mente Traditionis et Ecclesiae alienum, in hac nostra dissertatione statutum iri confidimus.

Pars prima.

Praenotamina de methodo in hac parte adhibenda.

Haud parum refert, quod ex parte prooemiali luculenter apparet, ut apta statuatur definitio generica sacrificii; sed auctores, qui etiam de necessitate talis definitionis conveniunt, in vias statim abeunt diversissimas, sive quando elementa requirunt, quae sacrificium constituunt, sive quando haec elementa in definitione componunt, sive vel imo quando methodum, qua definitionem hanc investigare et demonstrare oportebit, determinare satagunt. De methodo proin, in hac prima parte adhibenda, pauca praenotamina subnectere juvabit, quum varia via reapse hanc disquisitionem instituere fas sit, et varia ratione de facto suscepta fuerit.

* * *

Prima quaedam methodus est, quam *pure a priori* denominare licet, quamque apud Card. Franzelin paucis hisce verbis obrumbatam legimus : « Ipso lumine rationis evidens est, res hominum dominio commissas praesertim illas, in quibus vel est vita animalis vel quae sunt ad vitae humanae sustentationem, per se aptas esse ad ipsam vitam hominis repraesentandam. Possunt ergo illae res honeste et religiose assumi velut repraesentantes vitam hominis, et ita symbolica actione coram Deo vel realiter vel aequivalenter destrui ad exprimendum sensum religiosum absolutae dependentiae a Deo suprema majestate ac supremo Domino, simulque ad exprimendum sensum et agnitionem reatus peccati, cui mors debetur. Appellantur autem oblationes hoc modo factae communi usu et omnium consensu sacrificia. Utrum ipsae solae et utrum sensu proprio sacrificia sint, postea dicetur ; nunc nobis nomine aliquo opus est, quod ex communi usu assumimus ».

« Quamvis hujusmodi res ad talem substitutionem symbolicam pro vita hominis, et immolationes per se aptae sint ad hanc expressionem sensus religiosi, non tamen sunt signa omnino naturalia ;

atque ideo ut sint signa in actu secundo et formae legitimae cultus externi, indigent institutione ac determinatione significationis, et institutione quidem per auctoritatem publicam, cui ipsa subsit religiosa societas, si societas jam supponitur formata et cultus proinde publicus, ad quem hujusmodi actus solemnes, de quibus nunc loquimur, vel maxime pertinent... Quod spectat ministerium publicum et consecratum ad actus externi cultus nomine totius religiosae societatis coram Deo peragendos, sistendo etiam in sola naturali lege, apparet ejus congruentia et connexio cum propria ratione talis cultus religiosi. Sive enim spectes rationem cultus publici exhibendi a tota societate per speciales actus, ad quos certe hi, de quibus loquimur, per se maxime pertinent, sive spectes insitam horum actuum significationem, praesertim vero expressionem reatus cum desiderio expiationis ; sine dubio rerum naturis consentaneum est, ut in religiosa societate sint ministri speciatim segregati et consecrati, qui ex suo saltem munere sancti inter Deum et populum expiandum medii constituantur, et qui nomine totius societatis publicam professionem absolutae dependentiae ac subjectionis hisce solemnibus actibus coram Deo exprimant » (1).

* * *

Em. auctor cum his verbis potius describit quomodo sacrificium concipere vel etiam quemadmodum illud recte peragere fas sit. Quaestio autem est quid de facto sit sacrificium, et ideo statim aliam methodum indicat, quam declarat esse a posteriori, sed quae revera simul est *a priori et a posteriori*, quare illam nuncupabimus *deductivam*, ut a tertia distinguatur via, quam ineundam demonstrabimus, quamque *pure a posteriori* seu *inductivam* vocabimus.

Pergit enim Card. Franzelin, in hoc Suarezium et Vasquezium secutus, et a definitione nominali, quam modo praemisit, exorditur ut hos actus speciales cultus externi, qui communi usu sacrificia appellantur, « ab origine humani generis apud omnes gentes tanquam fundamentum et partem essentialem totius cultus divini » constitutos fuisse ostendat (2). Hanc comprobationem conficiendam vult ex factis, praeprimis ex « cultu divino, ut ab ipso Deo in suo populo electo determinatus » fuit, itaque successive tum materiam et formam, « quibus ipsum sacrificium quodammodo physice componitur », tum ejus significationem essentialem, « quae se habet instar formae metaphysicae in sacrificio visibili ut in subjecto »,

(1) Franzelin, *o. c.*, thes. II, p. 309.
(2) *Ibidem*, p. 312 ; ita adhuc Stentrup, *o. c.*, II, p. 207 s.

tum denique sacerdotium, quod est « velut ministerialis causa et correlatum externum sed proxime nexum », ex sacrificiis mocaisis determinare conatur (1).

Prima fronte vero vel leviter attendenti perspicuum est, quasdam quaestiones, inter doctores acriter disputatas, hac via potius supponi quam resolvi. Notat re quidem vera em. auctor posse primum considerari in definitione materiam et formam, tanquam physicam essentiam oblationis in se, ac deinde significationem ut formam metaphysicam, atque hanc impertinentem disputationem sese praeterire profitetur, quoniam magis sollicitus est « de expressione omnium essentialium proprietatum sacrificii in genere spectati, quam de rigore dialectico in formanda definitione » (2) ; attamen huic divisioni reapse adstipulatur, et huic definiendi modo, per formam physicam videlicet et metaphysicam, inhaesitanter adscribit. Problema de valore hujus terminologiae et hujus divisionis infra perpendemus, at interim, quod methodum attinet, animadvertere juvat, auctores nullatenus unanimes deprehendi in hisce materiis : alii enim formam, quam Franzelin dicit physicam, tanquam elementum praeparatorium considerant et illud a definitione sacrificii excludunt; alii distinctionem recusant inter formam phvsicam et metaphysicam et formale sacrificii in significatione reponunt ; alii tandem, quamvis hanc divisionem accipiant, formale sacrificii in oblatione, alii rursus in destructione requirunt.

*
* *

Ne cuilibet harum opinionum a priori assentire videamur, tertiam eligimus methodum : ex inspectis nimirum sacrificiis mosaicis, collatis hinc inde quibusdam factis, ab historia religionum ut certis admissis, elementa, quae sacrificium constituunt, prius exhauriemus ut sciamus quidnam, quaenam res aut actio, sacrificium dicatur. Haec elementa sacrificii synthetice deinde componemus, nec pronuntiabimus a priori hanc partem esse materiam, aliam vero formam physicam vel metaphysicam, et ita porro, sed ex ipsis collatis ad invicem elementis requiremus quaenam sit materia, quaenam forma physica et metaphysica, demonstratione simul subnexa cur, cum hac definiendi ratione, hoc elementum et non aliud in definitione adstruenda, hoc modo et non alio, considerandum veniat. Hac methodo vel speciem petitionis principii vitatam iri autumamus ; occasionem simul adeo nanciscemur examini ac crisi subjiciendi

(1) FRANZELIN, *o. c.*, thes. II, p. 312.
(2) *Ibidem*, p. 319, n. 1.

singulas successive sententias, quae a recta via deflexisse nobis videntur, sive in analysi sacrificii quam instituunt, sive in synthetica definitione quam proponunt.

Duplici capite igitur constabit haec prima pars : in I capite, post descripta sacrificia judaica in prima sectione, in altera sectione determinabimus elementa, quae sacrificium proprie dictum constituunt ; in tertia sectione cum his elementis definitionem sacrificii genericam synthetice componemus. In II capite, varias theorias examinabimus, quae de sacrificio in genere spectato prolatae fuerunt; in prima sectione, eas confutabimus sententias, quae in ipsis elementis sacrificii definiendis jam errore infectae apparent ; in altera sectione dicemus de opinionibus, quae in his elementis componendis veritatem non assecutae sunt.

CAPUT I.

STATUITUR RECTA DEFINITIO SACRIFICII IN GENERE.

Sectio I.

Descriptio sacrificii.

Inquisitionem nostram de elementis sacrificii, ab his coepimus praescriptionibus, quae varia sacrificia ritualia cultus publici, ante portam Tabernaculi, in ipso templo hierosolymitano, per ministerium sacerdotum offerenda, determinabant.

Art. 1. — Sacrificia in lege judaica praescripta.

Nomine generico haec sacrificia vocabantur *minhâh* (מִנְחָה) seu *qorbân* (קָרְבָּן), id est, oblatio (1) et obvie dividebantur in duplicem seriem : sacrificia primo cruenta, quae sensu lato dicebantur זֶבַח, id est, *mactatio*, et sacrificia deinde incruenta, quae et *minhâh* appellabantur, sensu nunc strictiori sive technico in materia sacrificali. Ambo haec genera ulterius distinguebantur in varias species, quas statim recensebimus.

(1) Ita jam *Gen.*, IV, 4 : « Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus (וְאֶל־מִנְחָתוֹ) » ; I *Reg.* (I *Sam.*), II, 17 etc. ; cf. von Orelli, art. *Opferkultus des A T.*, apud PRE., XIV, 389 s., Leipzig, 1904³.

§ 1. — *Sacrificia cruenta.*

Sacrificium cruentum primo quaedam elementa essentialia complectebatur, quae diverso gradu et diversis cum mutationibus semper invenire erat : primum nempe reperimus adductionem victimae ad altare seu ad locum immolationis ; impositionem manuum postea, cum annexa, in die expiationis, confessione peccati (1) ; occisionem victimae per effusionem sanguinis (2) ; aspersiones varias, juxta varia sacrificia, quas ipse sacerdos cum sanguine peragebat ; combustionem tandem hostiae, sive totalem, sive partialem, secundum diversa rursum sacrificia.

*
* *

Primum ac perfectissimum sacrificium erat *holocaustum* (עֹלָה) (3), hoc nomine decoratum, quia victima integra, sola pelle excepta sacerdotibus tribuenda, super altare holocausti « in suavem odorem Domino » comburenda erat (4).

« Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum, ponetque manum super caput hostiae, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens ; immolabitque vitulum coram Domino, et offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi, detractaque pelle hostiae, artus in frusta concident, et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita, et membra quae sunt caesa, desuper ordinantes, caput videlicet, et cuncta quae adhaerent

(1) Ita *Lev.*, XVI, 21 : « Posita utraque manu super caput ejus, confiteantur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum ».

(2) Cf. *Hebr.*, IX, 22 : « *χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις* ».

(3) Rad. עָלָה = ascendit, in ignem scilicet ; apud LXX : *ὁλοκαύτωμα* seu *ὁλοκάρπωμα*. Vocatur etiam כָּלִיל, quod alii juxta *Deut.*, XXXIII, 10, *I Reg.* (*I Sam.*), VII, 9 et *Ps.* L (LI), 21, vertendum volunt : sacrificium totale ; hanc interpretationem impugnat Lagrange, *Études sur les religions sémitiques*, p. 472, Paris, 1905[2], qui dicit *Deut.*, XXXIII, 10 minus stricte loqui ; in *Ps.* L (LI), 21 censet potius distinctionem adduci inter duo sacrificia : עוֹלָה וְכָלִיל, dum ad textum *I Reg.* (*I Sam.*), VII, 9 dubium de ipsa littera movet, siquidem, ait, non apparet cur diceretur agnum totaliter offerri, quandoquidem unus agnus pro toto populo offertur ; notat insuper LXX legisse : *σὺν παντὶ τῷ λαῷ*, et proponit, cum Klostermann, לכל־יל, abbreviatum pro לכל־ישראל. — Vocem כָּלִיל adeo fortasse ad קלה (ק pro כ) = ussit, reducere fas esset, itaque כָּלִיל rursus = sacrificium per ignem.

(4) *Lev.*, I, 6, coll. *Lev.*, VII, 8.

jecori, intestinis et pedibus lotis aqua : adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum » (1). — « Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret... » (2). — « Si autem de avibus, holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbae, offeret eam sacerdos ad altare » (3).

Quotidie quoddam holocaustum Deo erat offerendum : « Haec sunt sacrificia quae offerre debetis : agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum (עֹלָה תָמִיד) : unum offeretis mane, et alterum ad vesperum » (4). — « Cremabitur in

(1) *Lev.*, I, 3-9. (2) *Lev.*, I, 10. (3) *Lev.*, I, 14, 15a.

(4) *Num.*, XXVIII, 3-4; cf. *Lev.*, VI, 12-16 (hebr. 5-9). — Ex textu *IV Reg.* (*II Reg.*), XVI, 15 concludit WELLHAUSEN, *Prolegomena zur Geschichte Israels*, p. 77, n. 1, Berlin, 1905[6], cui consentit GRESSMANN, art. *Opfer*, I. B (*Opfer und Gaben im AT.*), apud Dict. *Die Religion in Geschichte und Gegenwart unter Mitwirkung von* H. GUNKEL *und* O. SCHEEL *hrsg. von* F. M. SCHIELE *und* L. ZSCHARNACK, IV, 966, Berlin, 1903, illud *sacrificium tâmîdh* ante exsilium constare holocausto matutino atque *minḥâh* vespertina ; sic enim sonat textus : « Praecepit quoque Achaz Uriae sacerdoti dicens : Super altare majus offer holocaustum matutinum et sacrificium vespertinum (אֶת־עֹלַת־הַבֹּקֶר וְאֶת־מִנְחַת הָעֶרֶב) » — Wellhausen cum hoc loco confert *I Esd.*, IX, 4 : « Et ego sedebam tristis usque ad sacrificium vespertinum (עַד לְמִנְחַת הָעָרֶב) », et putat in priore testimonio vocem *minḥâh* sumendam esse sensu suo technico, pro sacrificio scilicet incruento.— Jamautem ex *I Esd.*, IX, 4 potius infirmatur quam confirmatur haec sententia, nam eventus, ad quos alludit *I Esd.*, IX, 4, circa a. 398 ante Christum reponendi videntur; cf. VAN HOONACKER, *Nouvelles études sur la restauration juive après l'exil de Babylone*, p. 8 s., Paris-Louvain, 1896. — Si vero in *I Esd.*, IX, 4, holocaustum vespertinum dicitur *minḥâh*, quum jamdudum, etiam in sententia quam proponit Wellhausen, praescriptiones sacerdotales essent notae, nihil absque dubio prohibet quominus et *IV Reg.* (*II Reg.*), XVI, 15, idem vocabulum sensu latiori sumatur. In *I Esd.*, III, 3 clare alioquin pronuntiatur holocaustum mane et vespere esse offerendum. In *III Reg.* (*I Reg.*), XVIII, 36, tempus vel imo, quo Elias propheta sacrificium suum offert, per relationem indicatur ad *holocaustum tâmîdh* : « cumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum » ; hebr. revera dicitur *minḥâh*, sed *IV Reg.* (*II Reg.*), III, 20, ubi agitur oblatio matutina, de qua non dubitat Wellhausen utrum holocaustum fuerit, eadem voce *minḥâh* designatur illud *holocaustum tâmîdh*. Quoad *II Esd.* (*Neh.*), X, 33 (hebr. 34), ubi legitur « sacrificium sempiternum (וּמִנְחַת הַתָּמִיד) » et « holocaustum sempiternum (וּלְעוֹלַת הַתָּמִיד) », neminem sane fugit hanc descriptionem optime cum illis praescriptionibus congruere, quas apud *Num.*, XXVIII, 3-4, et *Lev.*, VI, 12-16 (hebr. 5-9) legimus. Confirmatio denique, quam Wellhausen adhuc ex *Ezech.*, XLVI, 13-15 adducendam censet, profecto nulla est ; ibidem reapse de unica oblatione matutina agitur, et nihil dicitur de sacrificio quodam vespertino, sed, inspecta indole hujus capitis apud prophetam, nemo hoc silentium negationi aequivalere autumabit.

altari tota nocte usque mane... Ignis autem in altari semper ardebit,... (nam) ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari » (1).

Hoc sacrificium igitur uti centrum totius cultus judaici haberi potest, et revera, ipso ablato, jam cultus quasi ex integro aboleri censetur (2).

Die autem sabbati offerenda erant in holocaustum perpetuum agni anniculi duo et duae decimae similae oleo conspersae in sacrificio et liba (3) ; in calendis lex praescribebat « vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos » (4). — « Hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt » (5).

* *

Alterum *sacrificium* cruentum erat illud *pacificorum* (שֶׁלֶם vel זֶבַח שְׁלָמִים ; apud LXX : *εἰρηνικὴ θυσία*), quod Domino, sive in gratiarum actionem (ז׳תּוֹדָה), sive ad votum solvendum (ז׳נֶדֶר), sive sponte ad beneficia impetranda (ז׳נְדָבָה) offerebatur (6).

Eadem cura, qua pro holocausto, materia et modus hujus sacrificii peragendi in lege determinabantur : « Quodsi hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, et de bobus voluerit offerre, marem sive feminam, immaculata offeret coram Domino, ponetque manum super caput victimae suae, quae immolabitur in introitu tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron sacerdotes sanguinem per altaris circuitum et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino, adipem qui operit vitalia et quidquid pinguedinis est intrinsecus ; duos renes cum adipe quo teguntur ilia, et reticulum jecoris cum renunculis, adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito, in oblationem suavissimi odoris Domino » (7). — « Si vero de ovibus fuerit ejus oblatio et pacificorum hostia... vel si capra fuerit ejus oblatio » (8), simili modo sacrificium perficiendum ; « omnis adeps Domini erit, jure perpetuo in generationibus et cunctis habitaculis vestris ; nec sanguinem nec adipem omnino comedetis » (9).

Post hoc sacrificium erat insuper convivium celebrandum, quod hujus oblationis specificum apparet (10).

(1) *Lev.*, VI, 9b, 12a, 13 (hebr. 2b, 5a, 6).
(2) Cf. *Dan.*, VIII, 11 s. ; XI, 31 ; XII, 11 et adhuc *II Esd.* (*Neh.*), X, 33 (hebr. 34).
(3) *Num.*, XXVIII, 9. (4) *Num.*, XXVIII, 11. (5) *Num.*, XXVIII, 14b.
(6) *Lev.*, VII, 12-16. (7) *Lev.*, III, 1-5. (8) *Lev.*, III, 6, 12.
(9) *Lev.*, III, 16b, 17.
(10) *Lev.*, III, 11 s. ; XIX, 5 s. ; *Deut.*, XII, 7, 17.

*
* *

Sacrificium tertium cruentum offerebatur *pro peccato* (חַטָּאת ; apud LXX : ἁμαρτία sive περὶ ἁμαρτίας), quod per ignorantiam commissum fuerat, et diversa erat ratio offerendi pro peccato sacerdotis, principis vel multitudinis.

« Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino : et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ponetque manum super caput ejus, et immolabit eum Domino. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii, cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum Sanctuarii ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii : omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi. Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum qui vitalia operit quam omnia quae intrinsecus sunt : duos renunculos et reticulum quod est super eos juxta ilia, et adipem jecoris cum renunculis, sicut aufertur de vitulo hostiae pacificorum : et adolebit ea super altare holocausti. Pellem vero et omnes carnes cum capite et pedibus et intestinis et fimo, et reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent : incendetque ea super lignorum struem, quae in loco effusorum cinerum cremabuntur » (1).

Similiter « si omnis turba Israel ignoraverit, et imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, et postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium tabernaculi. Et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino » (2).

Princeps vero pro peccato offeret hircum de capris (3); « quodsi peccaverit anima per ignorantiam, de populo terrae,... offeret capram immaculatam... Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam (offeret) » (4). — « Sin

(1) *Lev.*, IV, 3-12.

(2) *Lev.*, IV, 13, 14, 15a. — Juxta *Num.*, XV, 24 s. pro peccato multitudinis ex ignorantia perpetrato hircum offerendum esse videtur; sed hoc discrimen inde explicandum apparet quod agitur peccatum omissionis, non commisionis uti *Lev.*, IV, 13. — In *Lev.*, IX, 3 et XVI, 5 sacrificium speciale praescribitur, et inde discrepantiae a *Lev.*, IV, 13 s.

(3) *Lev.*, IV, 22 s. — In sacrificio principis vel privati hominis sanguis non ferebatur in tabernaculum testimonii, et victima sacerdoti cedebat, excepto adipe in altari comburendo, et sanguine, quo prius cornua altaris tingebantur, dum reliqua pars ad pedes altaris effundi debebat.

(4) *Lev.*, IV, 27a, 28b, 32.

autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato, et alterum in holocaustum » (1); quinimmo, « si non quiverit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similae partem ephi decimam : non mittet in eam sal, nec thuris aliquid imponet quia pro peccato est » (2).

* * *

Sacrificium pro delicto (אָשָׁם ; *τὸ ὑπὲρ αγνοιάς*), parallelum cum sacrificio pro peccato, haud facile ab eodem distinguitur ; attamen ad reparandum damnum illatum potius quam ad peccatum expiandum ordinatum fuisse videtur (3).

Offerendum proin erat ubi ex ignorantia jus tertii, sive Sanctuarii, sive sacerdotum, sive etiam privati hominis, laesum fuerat : « Anima si.. peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus Sanctuarii : ipsumque quod intulit damnum restituet, et quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, et dimittetur ei » (4).

« Haec lex hostiae pro delicto ;... mactabitur victima pro delicto : sanguis ejus per gyrum altaris fundetur. Offerent ex ea caudam et adipem qui operit vitalia, duos renunculos, et pinguedinem quae juxta ilia est, reticulumque jecoris cum renunculis. Et adolebit ea sacerdos super altare... Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus... Sicut pro peccato offertur hostia, et pro delicto : utriusque hostiae lex una erit : ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit » (5).

§ 2. — *Sacrificium incruentum.*

Praeter sacrificium cruentum lex adhuc SACRIFICIUM INCRUENTUM (מִנְחָה, *δῶρον, προσφορά, oblatio*) praescribebat (6) : « Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila (סֹלֶת) erit ejus oblatio : fundetque super eam oleum, et ponet thus, ac deferet ad filios Aaron sacerdotes : quorum unus tollet pugillum plenum simi-

(1) *Lev.*, V, 7.
(2) *Lev.*, V, 11.
(3) Peccatum ex contemptu, vel ex malitia commissum, morte erat puniendum, juxta *Num.*, XV, 30-31.
(4) *Lev.*, V, 15, 16; *Num.*, V, 6-8.
(5) *Lev.*, VII, 1, 2b-5a, 6a, 7.
(6) *Lev.*, II, 1 s.

lae et olei, ac totum thus, et ponet memoriale (וְהִקְטִיר הַכֹּהֵן אֶת־אַזְכָּרָתָהּ) super altare in odorem suavissimum Domino (1). Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini. Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano : de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, et lagana azyma oleo lita. Si oblatio tua fuerit de sartagine, similae conspersae oleo et absque fermento, divides eam minutatim, et fundes super eam oleum. Sin autem de craticula fuerit sacrificium, aeque simila oleo conspergetur : quam offerens Domino, trades manibus sacerdotis. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, et adolebit super altare... Omnis oblatio, quae offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino. Primitias tantum eorum offeretis ac munera : super altare vero non imponentur in odorem suavitatis. Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal foederis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal. Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, et confringes in morem farris, et sic offeres primitias tuas Domino, fundens supra oleum, et thus imponens, quia oblatio Domini est : de qua adolebit sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti, et olei, ac totum thus ».

Haec oblatio incruenta plerumque annexa erat holocausto vel sacrificio pacificorum : cum « feceritis oblationem Domino in holocaustum, aut victimam, votum solventes vel sponte offerentes munera, aut in solemnitatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino, de bobus sive de ovibus : offeret quicumque immolaverit victimam, sacrificium similae (מִנְחָה סֹלֶת), decimam partem ephi, conspersae oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin : et vinum ad liba fundenda ejusdem mensurae dabit in holocaustum sive in victimam » (2).

Poterat tamen sacrificium incruentum, ratione indigentiae, ut superius audivimus, absque sacrificio cruento, adeoque independenter, offerri ; ita etiam cum עֹלַת תָּמִיד offerenda erat *minhah* quotidiana summi sacerdotis : « Haec est oblatio Aaron, et filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suae. Decimam partem ephi offerent similae in sacrificio sempiterno (סֹלֶת מִנְחָה תָּמִיד),

(1) Pars adeo solummodo oblationis (*memoriale*), cum toto thuri, in altari comburebatur, sed oblatio sacerdotis pro seipso erat integra consumenda : « Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo », secundum *Lev.*, VI, 23 (hebr. 16).

(2) *Num.*, XV, 3-5 ; cf. etiam *Num.*, XV, 6 s. et 12 s.

medium ejus mane, et medium ejus vespere : quae in sartagine oleo conspersa frigetur » (1).

*
* *

Sacrificia praecipue in festis erant offerenda : « ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino » (2), scilicet « in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum et in solemnitate tabernaculi » (3).

« Mense autem primo (*Nisan*), quarta decima die mensis, Phase Domini erit » (4), « quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte. Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, et de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi... Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Aegypto. Et coques, et comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus » (5).

(1) *Lev.*, VI, 20, 21 a (hebr. 13, 14a). — Censet WELLHAUSEN, *Prolegomena*, p. 77, n. 1, hanc oblationem incruentam quotidianam esse antiquiorem ipso holocausto quotidiano, et panes propositionis etiam antiquioris institutionis quam ipsa *minḥâh* affirmat. Ratio hujus usus primitivi fuerit, ait, expensas minuere, et simul insinuat hanc confirmationem : tunc temporis non viguerit consuetudo carnes quotidie manducandi ; atqui cum sacrificium fuerit epulum Deo praeparatum nec ipsi Deo quotidie carnes comedendae proponebantur. Hanc ultimam assertionem, cum theoriis de natura sacrificii connexam, infra confutabimus ; attamen jam advertimus cl. auctorem sibimetipsi haud multum consentire, quum primum sacrificium apud Semitas esse contendat sacrificium agni paschalis, tanquam oblationem primogenitorum (*o. c.*, p. 55), unde concludendum sane foret has gentes prius per desertum migrasse quam agrorum culturae sese dederint, et sacrificium proin prius cruentum immolasse quam oblationem incruentam de fructibus terrae praestiterint ; alibi ceteroquin primum sacrificium per effusionem sanguinis oblatum fuisse propugnat (*o. c.*, p. 62). Quod vitandas expensas attinet, qua consideratione Wellhausen usum incensi pariter explicare satagit, ex historia potius apparet hanc necessitatem imprimis post exsilium exstitisse ; cf. *I Esd.*, III, 12 ; *II Esd.* (*Neh.*), X, 33 (hebr. 34) et etiam *Agg.*, II, 3 ; *Malach.*, III, 8. — Theoriam de usu incensi in templo hierosolymitano a Wellhausen excogitatam videsis refutatam apud VAN HOONACKER, *La date de l'introduction de l'encens dans le culte de Jahvé*, apud period. RBI., NS., XI, p. 161 s., 1914.

(2) *Exod.*, XXIII, 17 ; cf. etiam *Exod.*, XXXIV, 23 ; *Deut.*, XVI, 16.

(3) *Deut.*, XVI, 16.

(4) *Num.*, XXVIII, 16.

(5) *Deut.*, XVI, 1b, 2, 6b, 7a. — Ita etiam apud *Exod.*, XII, 6b s. legitur : « Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum ». Quoad haec adjuncta, manifeste mutanda erat celebratio Paschae, per institutionem cultus templi

Agni paschales mactabantur post meridiem in templo hierosolymitano, et sanguine super altare effuso, adipes in altari holocausti comburebantur; convivium vero vespere per domos celebrabatur (1). In hoc epulo paschali Israelitae jam comedebant azyma (2) et per septem dies, usque vigesimam primam ejusdem mensis, fermentum in habitaculis reperiri nefas erat (3).

Quinta decima dies mensis primi erat enim solemnitas azymorum, sancta ac venerabilis; in hac ipsa et in septima die opus servile peragere non licebat; singulis diebus sacrificium in igne Domino offerendum erat (4), et altera die sabbati manipuli spicarum, primitiae messis, deferendi erant ad sacerdotem, « qui elevabit fasciculum coram Domino... et sanctificabit illum. Atque in eodem die quo manipulus consecratur, caedetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini. Et libamenta offerentur cum eo, duae decimae similae conspersae oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum : liba quoque vini, quarta pars hin. Panem, et polentam, et pultes non comedes ex segete, usque ad diem qua offeretis ex ea Deo vestro » (5).

« Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadae septimae, id est quinquaginta dies : et sic offeretis sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similae

hierosolymitani, quatenus nimirum ablatis altaribus cultus domestici (*Lev.*, XVII), jam omnes immolationes ante ostium Tabernaculi perficiendae erant, sola exceptione admissa, quam statuit *Deut.*, XII, 21. — De his vide Van Hoonacker, *Le lieu du culte dans la législation rituelle des Hébreux*, p. 54 s., Gand et Leipzig, 1894.

(1) Immolationem agni paschalis verum fuisse sacrificium ab auctoribus plerisque admittitur aut conceditur. Hoc alioquin aperte supponitur in *Exod.*, XII, 1-13, si non explicite asseritur ; in *Exod.*, XII, 27 et XXXIV, 25 vocatur victima transitus (זֶבַח־פֶּסַח), vel victima solemnitatis *Phase* (זֶבַח חַג הַפָּסַח) ; *Num.*, IX, 7 et 13 dicitur oblatio Jahve (קָרְבַּן יְהוָֹה). — Ritus praescriptus rem pariter conficit et in eumdem sensum attestantur tum Philo, tum Flavius Josephus ; idem profitetur s. Paulus, cum scribit in *I Cor.*, V, 7 : « τὸ πάσχα ἡμῶν ἐτύθη ». Cf. Thalhofer, *o. c.*, p. 44 ; Bickell, *Messe und Pascha*, p. 40, Mainz, 1872 ; Schanz, *Die Lehre von den hl. Sakr.*, p. 440 ; Berning, *o. c.*, p. 224 ; J. *Z.* L(auterbach), art. *Passover-sacrifice*, apud *Jewisch Encyclopedia*, IX, 556 s., New-York and London, 1905 vel E. G. H(irsch), art. *Sacrifice*, *ibidem*, X, 615 ; Touzard, *La pâque juive*, apud RPA., XVII, p. 32 s., Paris, 1914.

(2) *Exod.*, XII, 18, 19a.

(3) *Ibidem* ; cf. item *Lev.*, XXXIII, 6 et *Num.*, XXVIII, 17.

(4) *Exod.*, XII, 16 s. ; *Lev.*, XXIII, 7 s. ; *Num.*, XXVIII, 18.

(5) *Lev.*, XXIII, 11, 12, 13, 14a.

fermentatae, quos coquetis in primitias Domini. Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, et vitulum de armento unum, et arietes duos, et erunt in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suavissimum Domino. Facietis et hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum. Cumque elevaverit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus » (1).

Speciali festivitate celebrabatur mensis septimus (*Tisri*), in quo jam prima die holocaustum erat offerendum, praeter holocaustum calendarum et holocaustum sempiternum (2). Decima dies autem magna dies erat expiationis (3) et a quinta decima die ejusdem mensis « feriae tabernaculorum Domino (σκηνοπηγία), septem diebus Domino » (4), quando omnes fructus terrae congregati erant. Singulis diebus mactandae erant plures victimae, tum in holocaustum, quum pro peccato, et octavus dies, « celeberrimus atque sanctissimus », conclusio et finis totius seriei dierum festorum, quos Israel observare debebat (5).

Art. 2. — Sacrificia apud gentes usurpata.

His paulisper immorati, breviter expendere intendimus quae de sacrificiis, prout apud ceteros populos usurpabantur, dicenda manerent. Haec alioquin potius in confirmationem quam in argumentum afferuntur.

De sacrificio apud alias gentes semiticas attestantur *Inscriptiones Carthaginienses* (6), quae triplicem distinguunt sacrificiorum speciem : holocaustum videlicet, pacificum et expiatorium. Materiam

(1) *Lev.*, XXIII, 15 s. ; vide etiam *Num.*, XXVIII, 26 s. — Panes cedunt sacerdoti, nam primitiae proprie non offeruntur, sed earum occasione offertur sacrificium.

(2) *Num.*, XXIX, 1 s.

(3) *Num.*, XXIX, 7 s. ; cf. *Lev.*, XXIII, 27.

(4) *Lev.*, XXIII, 34, 39 ; *Num.*, XXIX, 12.

(5) *Lev.*, XXIII, 36 ; *Num.*, XXIX, 35.

(6) Textum videsis apud Lagrange, *Relig. sém.*, p. 468 : *Inscriptions phéniciennes*, I. *Le tarif de Marseille* (CIS., I, 165). « Au Musée de Marseille. Trouvé en 1845. La pierre ... appartient au littoral africain. Entre le IV et II siècle avant J. C. ». — Cf. etiam W. Robertson Smith, *Lectures on the religion of the Semites*, p. 218 s., London, 1894² : « The same quadruples are named upon the carthaginian inscriptions... and Lucian's account of the syrian ritual at Hierapolis. The Israelites neither ate nor sacrificed camels, but among the Arabs the camel was common food and a common offering. The swine on the other hand which was commonly sacrificed and eaten in Greece was forbidden food to all the Semites ».

offerendam eamdem postulant ac lex judaica ; immolationem seu mactationem victimae liquido pariter supponunt.

In religione *assyro-babylonica* eaedem rursus hostiae et idem modus offerendi : occiditur nempe victima et partialiter plerumque comburitur (1).

Sacrificia praecipua adeo apud Semitas erant cruenta (2) : hoc jam insinuat apud Hebraeos denominatio altaris, quod dicitur מִזְבֵּחַ seu locus mactationis, et confirmatur forsitan exinde quod apud Phaenicios ipsa oblatio incruenta eodem nomine זֶבַח, quod proprie indicat sacrificium cruentum, appellari, juxta quosdam, consueverat (3). Opinatur insuper P. Dhorme (4) ideogramma *ovis* determinativum fuisse vocis *niqû*, quae sacrificium generice sumptum designat, et ipse Welhausen advertit sacrificia proprie dicta in antiqua Arabia vocari *nousouk*, quo nomine ad effusionem sanguinis alluditur (5).

* * *

Religiones *Graeciae* et *Romae* si inspexerimus, instituta similia reperiemus :

Holocausta apud Homerum non describuntur sed memorantur apud Xenophontem (6) et alios auctores antiquos, licet tamen ple-

(1) Cf. P. Dhorme, *La religion assyro-babylonienne*, p. 264 s., Paris, 1910. — Vide adhuc Jaussen, *Coutumes des Arabes au pays de Moab*, p. 337 s., Paris, 1903 et art. ejusdem auctoris *L'immolation chez les nomades à l'Est de la Mer Morte*, apud RBI., NS., III, p. 91 s., 1906; Morris Jastrow, jr., *The religion of Babylonia and Assyria*, apud *Dictionary of the Bible* (Hastings), Extra vol., p. 531-584, spec. p. 580 s., Edinburgh, 1904.

(2) Cf. W. R. Smith, *Relig. Sem.*, p. 217; Lagrange, *Relig. sém.*, p. 270 : « Aussi bien à s'en tenir aux textes, qu'à y joindre les monuments figurés, il est clair que le sacrifice véritable et proprement dit est celui de l'animal ». Lege adhuc Condamin, *Religions des Assyriens et Babyloniens*, apud J. Huby, *Christus. — Manuel d'histoire des religions*, p. 527 s., Paris, 1913.

(3) Ita W. R. Smith, *Relig. Sem.*, p. 222, qui arguit ex inscriptione modo memorata, quam videre est apud Lagrange, *l. c.*, ; hic auctor interpretationem a R. Smith propositam censet improbabilem, praecipue vero ob relationem ad vocem *zébaḥ*.

(4) P. Dhorme, *o. c.*, p. 271.

(5) Wellhausen, *Reste des arabischen Heidentums*, p. 118, n., Berlin, 1897².

(6) Xenoph., *Anab.*, 7, 8; cf. Döllinger, *Heidentum und Judentum*, p. 208, Regensburg, 1857 et Hermann, *Lehrbuch der gottesdienstlichen Alterthümer der Griechen* (*Lehrbuch der griechischen Antiquitäten*, II), 2e *Auflage bearbeitet von* K. B. Stark, p. 163 et p. 168, n. 19, Heidelberg, 1858.

raque sacrificia apud Graecos, sive in gratiarum actionem, sive in expiationem offerrentur.

Caerimoniae sacrificii graeci celebrandi accurate determinatae erant, et non tantum animalia, species nempe singulae singulis diis immolandae, sed adhuc ritus et modus eadem offerendi adamussim definiebantur. Victima mactanda debebat sponte accedere ad aram ; quinimmo hostiam quodammodo consentire immolationi necessarium putabant. Litata victima et sanguine ante vel circa aram effuso, partes quaedam hostiae, exta nimirum, comburebantur ; ceterae carnes, si excipiamus sacrificia holocausta vel expiatoria, convivio insequenti plerumque inserviebant (1).

Praeter cultum publicum graeci habebant cultum privatum, in quo ipse paterfamilias sacerdotem agebat. Materia sacrificii, in hoc cultu, ordinarie erat incruenta, sed etiam destruebatur, per combustionem puta quando cibus, per effusionem et libationem, quando vinum offerebatur (2). Sacrificia incruenta ceteroquin in cultu publico comitabantur sacrificium cruentum, et eidem quandoque poterant substitui, itaque pauperibus offerre licebat placenta, in forma alicujus animalis confecta, quae victimam immolandam repraesentarent (3).

In cultu romano eamdem selectionem hostiarum reperimus, quam in religione graeca indicare est, et ritus pariter magna ex

(1) Cf. Döllinger, *o. c.*, p. 202 s. et p. 208 s. ; Hermann-Stark, *o. c.*, p. 162 s. et p. 164 s., nn. 3-28 ; Stengel, *Die griechischen Kultusaltertümer*, in *Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft, hrsg. von* I. von Müller, V, 3, p. 97 s., München, 1898²; Legrand, art. *Sacrificium. — Grèce*, apud *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines* (Daremberg et Saglio), IV, 2, p. 958 et p. 964 s., Paris, s. d. ; Ramsay, art. *The religion of Greece and Asia Minor*, apud *Dictionary of the Bible* (Hastings), Extra vol., p. 109-156, spec. p. 117 s. ; Gruppe, *Griechische Mythologie und Religionsgeschichte*, I-II, in *Handbuch der klass. Altertumswissenschaft, hrsg. von* I. von Müller, München, 1906 ; O. Habert, *La religion de la Grèce antique*, p. 214, Paris, 1910.

(2) Legrand, *art. cit.*, p. 963 et adhuc art. *Sacerdos. — Grèce*, apud *Dict. des antiquités* (Daremberg et Saglio), IV, 2, p. 934.

(3) Cf. Döllinger, *o. c.*, p. 207. — Censet Aristoteles, *Eth. Nicom.*, VIII, 9(11), oblationem sacrificii incruenti primitivum fuisse modum offerendi, et sacrificia cruenta posteriore tempore tantum invecta fuisse putat ; videsis etiam quae dicit Plato, *Legg.*, 6, 471 ; at vero haec assertio parum cum certa lege consentit, qua ex antiquissimis « legendis », et antiqua etiam historia graeca constat sacrificia humana antiquitus usurpata fuisse ; negatur etiam haec sententia ab eruditis ut Döllinger, *o. c.*, p. 206 ; Hermann-Stark, *o. c.*, p. 156 et p. 157, nn. 1-2 ; Habert, *o. c.*, p. 73.

parte similes deprehenduntur (1). Holocausta raro, pacifica saepe et sacrificia expiatoria saepissime offerebantur. Animalia ante mactationem probari et sponte ad locum immolationis accedere maxime oportebat ; injectis in foculum vino et thure, victima vino aspergebatur et *mola salsa* illi imponebatur (2) ; mactationem deinde ipse peragebat sacerdos, primis saltem temporibus, sed eamdem postea perfecerunt victimarii, salvo jure nihilominus sacerdotis, qui cultrum a fronte ad caudam victimae ducebat, ut hanc mactationem suo nomine et auctoritate sua perpetrandam commonstraret (3). Ipse sacerdos adhuc exta sive partes vitales comburebat ; carnes vero inserviebant convivio, aut etiam in lanienis vaenire poterant (4).

Cum sacrificio cruento connexa erant sacrificia incruenta, quae per effusionem et combustionem perficiebantur. In cultu domestico separatim usurpabantur, et pariter Romae offerri poterant placenta, in forma alicujus hostiae confecta (5). Merito vero a studiosis cultus romani affirmatur jam ab ipsis exordiis primum atque praecipuum

(1) Cf. DÖLLINGER, *o. c.*, 530 s. ; MARQUARDT, *Römische Staatsverwaltung*, III, in *Handbuch der römischen Alterthümer*, VI, *von* MARQUARDT-MOMMSEN, *2e Auflage besorgt von* G. WISSOWA, p. 169 s., Leipzig, 1885 ; G. WISSOWA, *Religion und Kultus der Römer*, in *Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft, hrsg. von* I. VON MÜLLER, V, 4, p. 346, München, 1902 et p. 416 s., in altera ed., 1912 ; TOUTAIN, art. *Sacrificium. — Rome*, apud *Dict. des antiquités* (DAREMBERG et SAGLIO), IV, 2, p. 975 ; W. WARDE FOWLER, *The religious experience of the roman people*, p. 179 s., London, 1911.

(2) Immolatio, juxta FESTUM, *Epist.*, 65, 1, est « mola, id est farre molito et sale, hostiam perspersam sacrare » ; Festus ibidem adhuc praeparationem molae a Vestalibus describit ; cf. MARQUARDT, *o. c.*, p. 180 et BAUDRILLART, art. *Mola*, apud *Dict. des antiquités* (DAREMBERG et SAGLIO), III, 2, p. 1962, Paris, 1904. — Immolatio adeo ex etymo est impositio molae salsae, sed mox idem verbum indicavit integrum ritum sacrum, itaque recte notat SCHEEBEN, *Dogmatik*, III, p. 389, immolationem non tantum mactationem materialem in se spectatam seu ablationem vitae signare, sed adhuc quodammodo connotare relationem ad Deum seu oblationem Deo factam, ita ut immolatio supponat pro « mactatione sacra ». Flandrice et germanice eadem idea exprimitur voce : slachtoffer, Schlachtopfer ; immolare videlicet non est tantum occidere = slachten, Schlachten, nec unice est oblatio = offer, Opfer, sed utrumque elementum simul includit.

(3) Hunc gestum symbolicum erronee intelligit WISSOWA, *Religion und Kultus der Römer*, nam in altera ed., *l. c.*, haec addit : « Eine Ceremonie die vielleicht als Bannzauber zu fassen ist » ; bene autem advertit TOUTAIN, *l. c.* : « Dans les sacrifices publics le prêtre ou le magistrat, chargé de la cérémonie, se contentait de faire un geste symbolique, p. ex. de promener un couteau tout le long du dos de la victime... L'animal était mis à mort par les ministri ».

(4) Cf. *I Cor.*, X, 25.

(5) Vide DÖLLINGER, *o. c.*, p. 535 et TOUTAIN, *art. cit.*, p. 979.

sacrificium illud fuisse cruentum, quidquid alioquin auctores classici asserere potuerint (1).

*
* *

Apud *gentes* quasdam hodiernas, quas *primitivas* vocant, in sacrificio proprie dicto, ritus adhuc valde similes cum illis modo descriptis reperire est : vitalia post immolationem comburuntur, sanguis effunditur, carnes tandem epulis reservantur (2).

Ceteras religiones omnes utpote adhuc minus notas, singulas perscrutari non juvat, eo vel magis quod historiographi religionum, quamvis omnes aliquam theoriam de sacrificio excogitaverint, generatim negligunt definire et determinare quid ad essentiam sacrificii stricte et certo pertineat (3). Magnopere nihilominus animadvertatur eosdem doctores, cujusvis tendentiae sint aut scholae, quum, omni respectu ad rem dogmaticam praetermisso, huic quaestioni de sacrificio studuerunt, in describendo sacrificio, satis consentire : *in sacrificio nimirum, ubi saltem de actu sacrificali proprii nominis constat, res inanimata per combustionem et effusionem, sed praecipue victima per immolationem destruitur* (4), *et convivium*

(1) Ita Ovid., *Fast.*, I, 347 s.; Dion. Hali., II, 74; Plin., *Nat. Hist.*, XVIII, 7; Plut., *Numa*, 8, sed eos in errore versari ostendit Wissowa, *Religion und Kultus der Römer*, p. 345 s., München, 1902; cf. etiam Toutain, *art. cit.*, p. 974, qui insuper propugnat, in primitiva religione romana, sacrificia humana fuisse oblata contra Wissowa, *o. c.*, p. 354, quocum consentit W. W. Fowler, *o. c.*, p. 33 et p. 107.

(2) Cf. A. Le Roy, *La religion des primitifs*, p. 311 s., Paris, 1911[2].

(3) Quasdam saltem indicationes reperire est apud Döllinger, *Heidentum und Judentum*, Regensburg, 1857; Chantepie de la Saussaye, *Manuel d'histoire des religions* (trad. H. Hubert et I. Lévy), Paris, 1904; Bricout, *Où en est l'histoire des religions*, I, Paris, 1911, et J. Huby, *Christus. — Manuel d'histoire des religions*, Paris, 1913.

(4) Cf. Hermann-Stark, *o. c.*, p. 140 : « Der wesentliche Unterschied zwischen eigentlichem Opfer und dem Weihegeschenke besteht daher nur darin, dasz letzteres mehr die Bestimmung eines bleibendens Besitzes, ... während jenes nur den augenblicklichen Genuss derselben bezweckte und deshalb auch in der Regel sofort zerstört werden musste ». — Hubert et Mauss, *Essai sur la nature et la fonction du sacrifice*, apud period. *Année sociologique*, p. 39, Paris, 1899 : « On doit appeler sacrifice toute oblation même végétale, toutes les fois que l'offrande... est détruite » ; hanc definitionem nimis arctam dicunt hi auctores, sed modum sacrificii ita descriptum nullatenus carpunt ; cf. *ibidem*, p. 71. — Paterson, art. *Sacrifice*, apud *Dict. of the Bible* (Hastings), IV, p. 330 : « We define sacrifice as an act, belonging to the sphere of worship, in which a material oblation is presented to the Deity and consumed in his service » ; Toutain, *art. cit.*, p. 973 : « Il y avait sacrificium toutes les fois qu'un être animé ou un objet inanimé, offert à la divinité par un individu ou un groupe collectif, ... était ... tué,

deinde in multis saltem adjunctis instituitur. Cum hac animadversione, quae paucis verbis hanc primam sectionem resumit, ad alteram sectionem transimus.

Sectio II.

Elementa quae sacrificium constituunt.

Ex descriptione ritus sacrificalis primo patescit quaestionem praeprimis agi de ipsa actione, quae sacrificium vocatur, « nam et res oblata, et actio ipsa, per quam offertur, solent sacrificium appellari ; propriissime tamen dicitur (sacrificium) de ipsa actione » (1), « et hoc ipsum nomen sonat : nam sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum » (2).

Obvium est insuper hoc « sacrum facere » terminari ad solum objectum, saltem directe, et non ad subjectum, nisi indirecte, quum sanctificatio seu sacrificatio subjectiva ad sacrificium objectivum tanquam effectus ad causam consequatur. Effectus porro nullatenus suam causam constituit, quare nec ullo titulo in definitione sacrificii effectum considerare necesse est (3).

brûlé, détruit de quelque manière que ce fût, partiellement ou totalement ». — Lagrange, *Relig. sém.*, p. 247 : « Le sacrifice se trouve dans toutes les religions, dès les origines, autant du moins que nous pouvons les atteindre. En fait il consiste toujours en une immolation, variant selon la matière offerte, car, si l'objet n'est pas animé, il n'y a lieu qu'à une simple destruction ». — A. Le Roy, *o. c.*, p. 326 : « Pour caractériser plus nettement son intention, il (le primitif) se sépare de l'objet offert en le détruisant pour l'usage des mortels... Et c'est là le Sacrifice » ; ill. auctor, p. 306, adhuc testimonium affert ex Salomon Reinach, *Cultes, mythes et religions*, I, p. 97, Paris, 1905 : « Le sacrifice comporte l'usage d'un corps, d'une matière que l'on abandonne ou que l'on détruit ». — Lege etiam A. Bros, *La religion des primitifs*, apud Bricout, *o. c.*, I, p. 81 ; L. de Grandmaison, *Étude des religions*, apud Huby, *o, c.*, p. 19 et Condamin, *Religion des Assyriens et des Babyloniens*, apud Huby, *o. c.*, p. 527.

(1) Suarezius, *o. c.*, disp. 73, sect. V, n. 3.

(2) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 3, ad 3m ; ita etiam in c. ejusdem art. : « Isti actus proprie sacrificia dicuntur ».

(3) Contra hanc veritatem, sat manifestam tamen, offendit Renz, *Geschichte*, II, p. 483 : « Das Sakrificium ist seinem wesentlichen Begriffe nach Heiligung, aber nicht die Heiligung eines andern Menschen oder Dinges, sondern die active Heiligung seiner selbst ». — Hubert et Mauss, in *art. cit.*, p. 41, similiter effectum in causam attrahunt : « Le sacrifice est un acte religieux qui, par la consécration d'une victime, modifie l'état de la personne morale qui l'accomplit ou de certains objets auxquels elle s'intéresse ». — Ita adhuc Schanz, art. *Opfer*, apud *Kirchenlexicon*, IX, 885 s., Freiburg in B., 1895, qui ad definitionem sacrificii addit offerentem sanctificari per oblationem et ad communionem divinam adduci : « Die Darbringung... welche den Opfernden heiligt, zur Gemeinschaft Gottes bringt ».

*
* *

Praeter has actiones tamen, quae sensu proprio, tum in Scriptura sacra, quum apud gentes, sacrificia nuncupantur, quidam adhuc alii actus eodem nomine condecorantur, et dicuntur *sacrificia*, sed cum restrictione quadam et *secundum quid*, uti ex ipso contextu, in quo tali designatione notantur, plerumque alioquin constat.

Actus cultus interni puta, praecisive sumptos, sacrificia denominare fas est, uti recte advertit s. Thomas (1) : « Oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum. Significat autem sacrificium quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima seipsam offert Domino secundum illud Psalmistae : Sacrificium Deo spiritus contribulatus » (2).

Eodem nomine, sed cum addito quo patenter elucet rem improprio vocabulo appellari, signantur aliae quaedam actiones ipsius cultus externi : « Immola Deo sacrificium laudis : et redde Altissimo vota tua,... sacrificium laudis honorificabit me » (3). « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus » (4).

Aliis in locis non agitur metaphorica appellatio, sed instituitur mera comparatio cum sacrificiis proprii nominis, uti in Psalmo : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum » (5), et eadem ratione ipsa opera bona dicuntur hostiae in hoc testimonio ex epistola ad Hebraeos : « Beneficentiae autem, et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus » (6).

Comparantur adhuc eadem opera cum sacrificio : « Qui facit misericordiam, offert sacrificium » (7), et ipsa vita integerrime ducta appellatur holocaustum : « Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos » (8) ; ita pariter apud Apostolum : « Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum » (9).

Attamen ipsa Scriptura sacra has actiones, quae nomine improprio vocantur sacrificia, ab oblatione sacrificali stricte sumpta patenter discernit, quando unum actum ad alterum opponit : « Misericordiam volui, et non sacrificium », ait Dominus apud Oseam,

(1) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 2, c.
(2) *Ps.* L (LI), 19. (3) *Ps.* XLIX (L), 14, 23.
(4) *Hebr.*, XIII, 15. (5) *Ps.* CXL (CXLI), 2.
(6) *Hebr.*, XIII, 16. (7) *Eccli.*, XXXV, 4. (8) *Sap.*, III, 6.
(9) *Rom.*, XII, 1; cf. etiam *Philipp.*, II, 17.

« et scientiam Dei plus quam holocausta » (1) ; « melior est (enim) obedientia quam victimae » (2).

Eamdem distinctionem apud gentes indicare liceret (3), et talia praenotare supervacaneum foret, nisi quondam quidam reformatores hujusmodi argumento quaestionem obnubilare voluissent (4).

His sacrificiis improprie dictis plane adeo derelictis, ex iis actionibus praecipue, quae sensu proprio in cultu divinitus sancito, aut etiam in cultu pagano, sacrificia nuncupantur, elementa eruere conabimur quae ad essentiam sacrificii necessaria sunt, ut postea aptam sacrificii definitionem ex iisdem conficere possimus.

Art. 1. — Primum elementum sacrificii : res oblata.

Primum elementum invenimus REM OBLATAM, quam ubique gentium esse rem sensibilem et permanentem nemo non novit.

Praecipuum ac primum sacrificium erat sacrificium cruentum : praecipua res oblata igitur erat victima, non quaecumque sed munda, de qua, uti expressis verbis in lege statutum legimus, Israelitis comedere licitum erat. Similiter apud gentes obtinebat, itaque apud Romanos notissimum erat suovitaurile sacrificium, in quo sus, ovis et taurus immolabatur, nam illud prius animal, quod apud populum electum reputabatur immundum, tum Romanis, quum Graecis, ad usum communem et ad sacrificium inservire poterat (5).

In sacrificio incruento, quod sacrificio cruento aliquoties substituebatur, aut etiam separatim offerebatur in cultu praesertim privato, materia deligebatur ex cibariis, quibus vita erat sustentanda, aut adhuc ex liquidis ut vino et lacte, quibus pariter nutriebantur.

Cum de hoc priore elemento auctores parum aut nihil ambigant, ad secundum elementum transimus, ad actionem sacrificalem nimirum, ad id quod circa rem offerendam perficitur.

(1) *Os.*, VI, 6.

(2) *I Reg.* (*I Sam.*), XV, 22 ; cf. *Is.*, I, 11 s. ; *Jerem.*, VII, 21 s. — Vide etiam BELLARMINUM, *De Missa*, I, c. 2 ; SUAREZIUM, *o. c.*, disp. 73, sect. I, n. 1 et FRANZELIN, *o. c.*, thes. III, p. 319.

(3) Cf. TOUTAIN, *art. cit.*, p. 973.

(4) Cf. BELLARMINUM, *De Missa*, I, c. 2, qui talia argumenta confutat, inter alios a Melanchtone proposita.

(5) Cf. DÖLLINGER, *o. c.*, p. 532 ; ROBERTSON SMITH, *Relig. Sem.*, p. 218 s. ; TOUTAIN, *art. cit.*, p. 979 et MORRIS JASTROW, jr., *Die Religionen Babyloniens und Assyriens*, I, p. 59, p. 385 et p. 535, Giessen, 1905.

Art. 2. — Secundum elementum sacrificii : actio sacrifica.

Actio proprie sacrifica in oblatione cruenta, quam describit lex, quinque complectebatur partes, uti diximus, in ritu sacrificali semper reperiendas.

§ 1. — *Prima pars actionis sacrificae : adductio victimae ad altare.*

Prima pars actionis sacrificalis erat victimae adductio ad altare, ut a legitimo ministro acceptaretur et probaretur. In quibusdam religionibus, in religione romana v. g., hanc probationem per aspersionem vini et impositionem molae salsae plastice indicabant; attamen adductio victimae et etiam ejus approbatio per varias caerimonias, non erant nisi stadium praeparatorium et quasi introductio ad ipsam immolationem postea peragendam.

§ 2. — *Secunda pars actionis sacrificalis : impositio manuum.*

Secunda pars in actione sacrifica erat impositio manuum, de qua vix dubitari potest eamdem signare *substitutionem* victimae ipsi offerenti sacrificium, uti explicite declarat sacra Scriptura in textu infra, in inquirenda significatione sacrificii, enucleatius definiendo : « Quia anima carnis in sanguine est : et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit (לְכַפֵּר עַל־נַפְשֹׁתֵיכֶם כִּי־הַדָּם הוּא בַּנֶּפֶשׁ יְכַפֵּר) » (1).
Et revera cum hoc sacrificio expiatorio connexa erat confessio peccati (2), neque ullum affertur solidum argumentum cur in holocaustis (3) aut in pacificis (4) alia supponatur ratio hujus impositionis manuum, eo vel magis quod in omni sacrificio apud Hebraeos, si traditioni judaicae fidere possimus, aliquam confessionem peccati reperire est (5).

(1) *Lev.*, XVII, 11. — Substitutionem, quam in sacrificio judaico indubiam censemus, ad essentiam sacrificii qua talis pertinere non dicimus; « posset enim melius, et verius salvari ejus essentia, si nostra ipsa vita sacrificaretur; sicut Christus Dominus in cruce verum sacrificium obtulit per destructionem, per mortem propriam »; ita scite Card. de Lugo, *o. c*, disp. XIX, sect. I, n. 7.
(2) *Lev.*, XVI, 21.
(3) *Lev.*, I, 4; cf. *Exod.*, XXIX, 10, 15.
(4) *Lev.*, III, 2.
(5) Vide textum citatum apud Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 48; cf. etiam Ill. Laminne, *La Rédemption*, p. 192, qui testimonium adducit ex Kortleitner, *Archaeologiae biblicae summarium*, p. 116, Oeniponte, 1906.

Confirmatur alioquin haec sententia ex aliis ss. Litterarum testimoniis, et primo ex ipsa consecratione Levitarum : « Applicabis Levitas coram tabernaculo foederis, convocata omni multitudine filiorum Israel. Cumque Levitae fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos. Et offeret Aaron Levitas, munus (תְּנוּפָה) in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus. Levitae quoque ponent manus suas super capita boum, e quibus unum facies pro peccato, et alterum in holocaustum Domini, ut depreceris pro eis. Statuesque Levitas in conspectu Aaron et filiorum ejus, et consecrabis oblatos Domino (תְּנוּפָה לַיהוָה) » (1).

Per eumdem ritum impositionis manuum igitur Levitae filiis Israel substituuntur, a quibus sumuntur « pro (תַּחַת) omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel » (2), et ipsis iterum mox hostiae substituuntur, ita ut Levitae reipsa ad modum sacrificii agitationis (*tenûp^h^ah*) offerri censeantur, loco nempe ac vice (תַּחַת) filiorum ac primogenitorum in Israel.

Consecrationem Domino Samuelis in Silo, per immolationem vituli similiter peractam legimus (3), nec immerito sacrificium Isaac in eumdem sensum interpretantur quidam auctores (4), qui volunt populum electum, cui sacrificia humana, apud nationes vicinas saepissime usurpata, stricte prohibita erant, eo ipso edoceri Dei cultum rectè perficiendum esse per mactationen animalium, quae victui communi inserviebant et inde hominibus jure substitui poterant.

Ex eadem idea substitutionis pariter explicatur quare, in oblatione incruenta, ea rursus electa fuerint cibaria, quibus homines vescebantur, et exinde simul intelligitur vetitum quo in sacrificium incruentum pro peccato nec oleum mittere nec thuris aliquid illi imponere permittebatur (5), quippe quod insulsum atque ingratum, peccatorem indignum repraesentare magis idoneum esset (6).

(1) *Num.*, VIII, 9-13.
(2) *Num.*, III, 12.
(3) *I Reg.* (*I Sam.*), I, 24.
(4) Cf. Van Hoonacker, *Le vœu de Jephté. — Étude sur le chap. XI du livre des Juges, suivie d'une notice sur Ézéchiel*, XX, 25-26, p. 13, Louvain, 1893 et Laminne, *o. c.*, p. 195.
(5) *Lev.*, V, 11b : « Non mittet in eam (oblationem) oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est ».
(6) Hanc substitutionem admittunt etiam Hubert et Mauss, *art. cit.*, p. 66 ; cf. adhuc v. Orelli, *art. cit.*, apud PRE., XIV, 389 ; W. Robertson Smith, *Relig. Sem.*, p. 423 ; Volz, *Die Handauflegung beim Opfer*, apud period. *Zeitschrift für AT. Wissenschaft* (= ZATW.), XXI, p. 93-100, Giessen, 1901.

*
* *

Objicitur tamen contra hanc theoriam substitutionis solum peccatum seu delictum, per superbiam aut contemptum commissum, morte plectendum esse : « Anima vero, quae per superbiam aliquid commiserit... peribit de populo suo : verbum enim Dei contempsit, et praeceptum illius fecit irritum : idcirco delebitur, et portabit iniquitatem suam » (1), et ex hoc testimonio concludunt nullam pro peccato ex ignorantia perpetrato admittendam esse substitutionem (2). Verum, facili negotio respondetur objectioni : non demonstratur peccatum ex ignorantia commissum non esse morte puniendum ; non considerant enim differentiam in poena ex diversitate culpae optime explanari : illud prius peccatum, utpote gravius, per sacrificium expiare non licet, dum hoc alterum ex ignorantia commissum per oblationem victimae, peccatori substitutae, delere atque redimere fas est.

Haud major est difficultas, quam movent ex charactere sacro hujus victimae, quae pro peccato aut delicto offertur : « Ista est lex hostiae pro peccato:...immolabitur coram Domino. Sanctum sanctorum est. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi. Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto. Vas autem fictile in quo cocta est, confringetur : quod si vas aeneum fuerit, defricabitur, et lavabitur aqua. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia Sanctum sanctorum est » (3). At vero ex ipso textu sacro statim elucet victimam haberi sanctam post immolationem, ideoque nihil profecto impedit quominus ante mactationem peccatori substituta censeatur.

Opponitur insuper, si theoria substitutionis teneatur, jam nulla ratione explanari quemadmodum hostiae, homini jam substitutae, sacrificium incruentum rursum substituere permittatur. Ex materia porro in hac oblatione offerenda, theoria substitutionis potius confirmatur quam improbatur : perfecte nimirum ita intelligitur, uti diximus, cur nec oleum in oblationem mittere nec thuris aliquid illi imponere fas sit, « quia pro peccato est », atque indignum repraesentat, qui coram Domino appareat.

(1) *Num.*, XV, 30, 31.

(2) Ita O. Schmitz, *Die Opferanschauung des späteren Judentums und die Opferaussagungen des NT.*, p. 42 s., Tübingen, 1910, qui adhuc alios hujus theoriae patronos indicat. Eamdem objectionem vide apud A. Sabatier, *La doctrine de l'expiation et son évolution historique*, p. 15, Paris, 1903.

(3) *Lev.*, VI, 25 s. (hebr. 18 s.) ; cf. etiam *Lev.*, VII, 6 s.

* * *

Eamdem theoriam impugnat etiam ill. Bellord ; attamen ipsam substitutionem non adeo impetit, sed potius contendit hostiam, quando reapse homini substituitur, e communitate expelli et non immolari, quod ex ritu leprosi mundati patenter constare autumat (1).

« Hic est ritus leprosi, quando mundandus est : Adducetur ad sacerdotem : qui egressus de castris, cum invenerit lepram esse mundatam, praecipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum est, et lignum cedrinum, vermiculumque et hyssopum. Et unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes : alium autem vivum cum ligno cedrino, et cocco et hyssopo tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum, qui mundandus est, septies, ut jure purgetur : et dimittet passerem vivum ut in agro avolet » (2).

Similiter in ritu expiationis, sacerdos « suscipiet ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se et pro domo sua, duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii : mittensque super utrumque sortem, unam Domino, et alteram capro emissario : cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato : cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, et emittat eum in solitudinem. His rite celebratis, offeret vitulum et rogans pro se et pro domo sua, immolabit eum... Postquam emundaverit Sanctuarium et tabernaculum, et altare, tunc offerat hircum viventem : et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum : quae imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum, in desertum » (3).

Respondetur : ex ritu modo descripto, et notatim ex locutione : « offeret (וְהִקְרִיב) hircum viventem », sufficienter apparet duos passeres vel duos hircos per modum unius sacrificii considerari ; « alter (nempe) hircus, » uti scite advertit s. Thomas (4), « dimittebatur in desertum... ad significandum effectum illius sacrificii immolati », et ita jam primum habetur responsum ad difficultatem, quam ex hoc testimonio movet Bellord, qui substitutionem reipsa pro passere

(1) Bellord, *art. cit.*, p. 10 s.

(2) *Lev.*, XIV, 2 s.

(3) *Lev.*, XVI, 5-11, 20-21.

(4) *Sum. Theol.*, I-II, q. 102, a. 5, ad 6m ; cf. etiam Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 88, qui ex traditione judaica (*Joma*, VI, 1) indubium censet duos hircos ut unum considerari sacrificium.

aut hirco non mactato non infitiatur. Si vero ambo ritus non ut unum sacrificium habeantur, objectio nihilominus statim evanescit ac comprobatur impositionem manuum de facto signare substitutionem, quandoquidem impositio manuum, quae explicite ad alterum hircum memoratur, ad priorem non negatur ; quod caerimoniam leprae mundatae spectat, ambo passeres aequo titulo pro mundando offerri pronuntiantur.

Instat tamen ill. doctor et advertit insuper in sacra Pagina declarari primogenita inter animalia munda in sacrificium offerenda, et asinum pariter redimendum esse ove, quae immolari debebat ; homini vero nullam hostiam substituendam legimus, quoniam ipse homo nimis sacer erat quam ut mactari posset ; poterat autem redimi pretio sive pecunia, itaque fingere non est, cum theoria substitutionis, simulationem alicujus actus, quem peragere nunquam licitum erat, utpote qui Deo abominabilis esset (1).

Textus, ad quos alludit auctor, ita sonant : « Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus quam de jumentis : mea enim sunt omnia... Separabis omne quod aperit vulvam Domino, et quod primitivum est in pecoribus tuis : quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino. Primogenitum asini mutabis ove (תִּפְדֶּה) : quod si non redimeris (תִפְדֶּה), interficies. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes (תִּפְדֶּה) » (2). — Ita similiter in altero loco huic priori parallelo : « Omne quod aperit vulvam generis masculini, meum erit... Primogenitum asini redimes (תִּפְדֶּה) ove : sin autem nec pretium pro eo dederis (תִפְדֶּה), occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes (תִּפְדֶּה) : nec apparebis in conspectu meo vacuus » (3). — In Num., III, 39 s. et XVIII, 15 s. comperimus quid sacerdotibus pro primogenitis hominum solvendum venerit.

Facile huic instantiae respondetur : primo, Levitae revera primogenitis substituuntur, et uti modo adnotavimus, offerri censentur per modum sacrificii agitationis loco et vice (תַּחַת) primogenitorum in Israel (4). Pretium autem tantummodo postulatur, uti ex Lev., III, aperte patescit, pro iis primogenitis qui, ad recensionem populi, plures erant numero Levitarum, quamvis postea, quod Lev.,

(1) Bellord, *art. cit.*, p. 11.
(2) *Exod.*, XIII, 2, 12-13.
(3) *Exod.*, XXXIV, 19a, 20 ; cf. etiam *Num.*, XVIII, 15. Textum autem in *Exod.*, XXII, 29 de primogenitis inter animalia agere haud certum videtur ; cf. Van Hoonacker, *Le lieu du culte*, p. 9.
(4) *Num.*, VIII, 16 s.

XVIII, 15 manifestat, pretium pro omnibus primogenitis solvendum fuerit.

Praeterea, in textu non dicitur ovem, qua redimi debebat asinus, in sacrificium offerendam esse, et ratio patet obvia, quum asinus, quippe quod animal impurum (1), in sacrificium offerri non posset (2). Ex eodem verbo פָּדָה, quod auctor sacer tum de homine, quum de asino usurpat, satis alioquin insinuatur hanc ovem potius sacerdotibus tribuendam esse, sicuti iisdem solvi debebat pretium pro ceteris animalibus, quae in sacrificium offerri non poterant (3). Hanc ovem non mactandam esse suspicari etiam potuisset ill. Bellord ex sola comparatione utriusque testimonii in ipsa versione Vulgata, itaque statim observasset nullam validam objectionem ex iisdem locis invocandam, et ex oppositione redemptionis hominis et asini nihil arguere attentasset.

Subverso fundamento, cui haec instantia innitebatur, simul cadit conclusio ; attamen haec etiam in se considerata, minus accurata videtur. Contendit ill. auctor simulari non potuisse actum ex se Deo abominabilem, at nescimus quemadmodum post talem assertionem sacrificium Isaac explicaret. Quidquid enim sit de sacrificiis humanis apud Israelitas, certum est Deum auctorem vitae, simul esse vitae dominum, ita ut oblationem ipsius vitae hominis non tantum permittere sed etiam imperare valeat. At vero cum Deus vitam humanam sibi offerri noluerit, et per oblationem Isaac vel imo, populum electum rationem docere voluisse videatur, qua supremum latriae cultum expendere deberent, nihil profecto prohibet quominus homines, cum caerimonia symbolica, victimas sibimet substituerint, itaque ipsam vitam suam Deo devovendam esse per immolationem hostiarum demonstraverint. Manet insuper explicita declaratio Scripturae sacrae : « Quia anima carnis in sanguine est : et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit » (4).

*
* *

Ultima tandem est methodus eamdem substitutionem impugnandi ; et enim quidam auctores hanc impositionem manuum tanquam declarationem proprietatis interpretantur : offerens nimirum victimam, quae in sacrificio immolaretur, per hunc gestum symbolicum,

(1) *Lev.*, XI, 26 ; *Deut.*, XIV, 6-8.
(2) Cf. etiam Lesêtre, art. *Rachat*, apud *Dict. de la Bible* (Vigouroux), V, 923, Paris, 1909.
(3) *Num.*, XVIII, 15. (4) *Lev.*, XVII, 11.

rem esse suam attestatus esset (1) ; alii quidam vero eumdem ritum explanare volunt ex comparatione cum manumissione servi sub jure romano (2).

Facilis est responsio ad hanc alteram explicationem : in caerimonia, de qua jus romanum loquitur, dominus servi tenebat hujus caput sive aliud quodvis membrum, dum formulam liberationis pronuntiabat, et inde prima fronte jam apparet quam parum haec gesta cum praescriptione judaica conveniant (3) ; si quis autem insuper confessionem peccati in die expiationis omnino peragendam (4), et ex traditione judaica ad quodvis sacrificium fortasse conjungendam, attendere voluerit, profundam differentiam inter hunc ritum et manumissionem romanam statim non percipere non poterit (5).

Quod priorem explicationem attinet, advertere sufficiat, quod dilucide ex consecratione sacerdotum eliquet, nullatenus postulari ut victimae, quibus manus ab offerentibus imponuntur, ad ipsos tanquam possessores pertineant ; in sua enim consecratione, sacerdotes manus imponunt hostiis, quae pro ipsis offeruntur, et victimas ad eosdem pertinuisse ut possessores, ex textu sacro nullatenus constat. « Tolle vitulum de armento, et arietes duos immaculatos », ait Dominus ad Moysen, « ... applicabis et vitulum coram tabernaculo testimonii. Imponentque Aaron et filii ejus manus super caput illius, et mactabis eum in conspectu Domini » (6). Patescit igitur quemadmodum hanc impositionem manuum tanquam declarationem possessionis interpretari omnino nefas sit.

* * *

Ceterum, theoriam nostram adhuc confirmare licet : et enim ideam substitutionis in religione etiam pagana posteriore tantum tempore introductam fuisse opinatur ill. Bellord (7), sed ipsi opponere

(1) Cf. A. Sabatier, *o. c.*, p. 14 ; Matthes, *Der Sühngedanke bei den Sündopfern*, apud period. ZATW., XXIII, p. 97-119, spec. p. 118, 1903. Similem opinionem, cum sententia auctoris de significatione vocis כִּפֶּר connexam, vide apud A. Ritschl, *Die christliche Lehre von der Rechtfertigung und Versöhnung*, II, p. 191 s., Bonn, 1889[3].

(2) Cf. Kautzsch, *art. cit.*, p. 720 ; vide etiam Wellhausen, *Prolegomena*, p. 73.

(3) Videsis Volz, *art. cit.*, p. 94, qui in eumdem sensum affert Baehr, *Symbolik des mosaischen Kultus*, II, p. 343, n. 1, Heidelberg, 1839.

(4) *Lev.*, XVI, 21.

(5) Vide supra et lege v. Orelli, *art. cit.*, apud PRE., XIV, 394.

(6) *Exod.*, XXIX, 1b, 10, 11a.

(7) Bellord, *art. cit.*, p. 11.

fas est opinionem historiographorum religionum, quorum conclusiones ipse auctor tam libenter invocat. Et revera hanc notionem substitutionis prorsus familiarem dicit Frazer (1) his populis, quos primitivos dicunt; eamdem, pro sacrificio expiatorio saltem, antiquis omnibus religionibus communem censet A. Jeremias (2); pro cultu Babyloniae similem opinionem, inter alios, propugnat Zimmern (3); ita etiam Stengel (4) pro religione graeca; in cultu romano substitutionem pariter admittendam putat Döllinger (5), qui inde, in cultu, tum romano, quum graeco, explicatum ducit quare tantum referat ut victima sponte ad immolationem procedat, et in ipsam suam mactationem quasi consentire videatur (6).

In solvenda hac quaestione a Bellord suscitata, immorari non juvat, quum magis ad originem quam ad essentiam sacrificii faciat, sed notatu sane dignum est, si haec idea tam communis atque tam obvia videtur, sententiam nostram exinde haud parum commendari.

Advertimus tandem hanc substitutionem non ita propugnandam

(1) Cf. Percy Gardner, *Exploratio evangelica*, p. 376, London, 1907, qui simul remittit ad Frazer, *The golden bough*, II, p. 148, in ed. prima; vide adhuc Frazer, *o. c.*, P. III, *The dying God*, p. 166, n. 1, 1911[3] et P. IV, *Adonis, Attis, Osiris*, p. 114, 1907[2].

(2) A. Jeremias, *Das Alte Testament im Lichte des Alten Orients*, p. 369, Leipzig, 1906[2]; cf. etiam *O. Schmitz, o. c.*. p. 39. — Vide pariter Marquardt, *o. c.*, III, p. 185 et Crawley, art. *Human sacrifice (Introductory and Primitive)* ,apud *Encycl. of Religion and Ethics* (Hastings), VI, p. 840-867, Edinburgh, 1913. — Hanc ideam substitutionis nimis subtilem dicit Lagrange, *Relig. sém.*, p. 274, quam ut primitiva proclamari queat. Haec assertio supponit aliquod systema de origine sacrificii, quod cl. auctor reapse in *op. laudato*, p. 273, paucis verbis adumbrare conatur. Sacrificium nimirum ut institutum naturale habet, saltem apud Semitas, et ab immolatione animalium, homines ad sacrificia humana devenisse censet: « La vie des animaux n'était pas la seule sur laquelle la divinité eût des droits absolus. L'homme, coupable envers elle, n'avait-il pas mérité la mort ? Si la divinité trouvait son compte à des immolations d'animaux, ne serait-elle pas plus flattée en recevant des victimes humaines ? » De quaestione originis sacrificii pauca superius diximus; at vero, si in hypothesi cl. auctoris arguere faveat, magis naturale ac factis consentaneum opinamur, ut dicatur gentes a sacrificiis humanis exorsas ad sacrificia animalium, quae homini substituuntur, paulatim devenisse; haec idea re quidem vera minus subtilis ac magis praesertim practica videtur.

(3) Schrader, *Die Keilinschriften und das Alte Testament, hrsg. von* Zimmern *und* Winckler, p. 597, Berlin, 1903[3].

(4) Stengel, *Die griechischen Kultusaltertümer*, p. 117 s. et p. 144.

(5) Döllinger, *o. c.*, p. 537 s.

(6) Testimonia ex classicis auctoribus, quibus hanc sententiam corroborare fas est, vide apud Döllinger, *o*, et *l. c.*; Lambrecht, *De ss. Missae sacrificio*, p. 96, Lovanii, 1885; Legrand, *art. cit.*, p. 966 et Percy Gardner, *o. c.*, p. 377.

esse, ut realem dicamus transmutationem vitae et dolorum victimae pro vita et doloribus offerentis. Minime ergo nos tangunt objectiones, quas in hunc sensum auctores quidam proposuerunt (1). Symbolicam potius, si ita loqui fas sit, admittimus substitutionem : homo scilicet per effusionem sanguinis alicujus victimae, quam sibimet substituit, vitam suam in sacrificium offerendam esse demonstrat (2), et cum hac adnotatione transimus ad tertiam partem actionis sacrificae, ad mactationem nimirum, quae centrum totius ritus apparet.

§ 3. — *Tertia pars actionis sacrificae : mactatio victimae.*

Momentum praecipuum actionis sacrificalis fuisse in ipsa mactatione ad quam ordinabantur tum adductio victimae, quum impositio manuum, primo constat ex textu sacro, qui maxima acribeia in lege proponebat singula adjuncta hujus ritus, quum locum, sive ante ostium tabernaculi, sive ad latus altaris, et modum, et ministrum offerentem accurate definit. Ex novo Testamento, si aliquid dubii subesse possit, res plane confirmatur : in oblatione cruenta Christi, cujus umbra et figurae fuerunt vetera sacrificia, omissis ceteris omnibus partibus, totum sacrificium, quoad integram essentiam, mactatione absolutum atque perfectum fuit (3).

In illa immolatione offertur Deo ipsa vita humana per substitutionem victimae : « Quia anima carnis in sanguine est : et

(1) A. SABATIER, *o. c.*, p. 12 : « Quant à l'idée d'une substitution pénale, d'un échange de la vie et de la souffrance du coupable contre la vie et la souffrance de la victime, elle n'apparaît pas une seule fois » ; cf. etiam O. SCHMITZ, *o. c.*, p. 42.

(2) Cf. ILL. LAMINNE, *o. c.*, p. 199 s.; v. ORELLI, *art. cit.*, apud PRE., XIV, 389 s. — Substitutionem vero, qua Christus pro hominum salute sese obtulit, realem vocare oportet ; Dominus enim sua morte revera Dei justitiae satisfecit per satisfactionem vicariam proprie dictam ; cf. STENTRUP, *o. c.*, I, p. 83 s. et p. 145.

(3) *Rom.*, V, 6-10 ; *I Cor.*, XV, 3 ; *II Cor.*, V, 15 ; *Gal.*, II, 21 ; *Coloss.*, I, 22 ; *Philipp.*, II, 8 ; *Hebr.*, IX, 15, 27 s. — In his omnibus testimoniis redemptio generis humani absque dubio ad mortem Christi refertur ; in aliis autem textibus, *Rom.*, III, 25 ; *Ephes.*, I, 7 ; II, 13 ; *I Petr.*, I, 19 ; *I Jo.*, I, 7 ; *Apoc.*, I, 5 ; VII, 14 ; *Act.*, XX. 28, ubi ad sanguinem effusum potius alluditur, agitur de sanguine Christi in cruce effuso, uti ex *Rom.*, V, 9 ; *Coloss.*, I, 20 ; *Apoc.*, V, 6, 9, etc., apparet. Similiter in epist. ad *Hebr.*, IX, 22, vox : *αἱματεκχυσία* de immolatione, et non de aspersione sanguinis, audienda venit, secundum generalem hujus epistolae doctrinam. — Cf. THALHOFER, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 58. — Ideo adhuc auctores quidam, quos infra recensebimus, utputa SCHEEBEN, *Dogmatik*, III, p. 441 s., cetera etiam elementa sacrificii, uti v. g. combustionem, in sacrificio Christi indicare satagunt.

ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit » (1), nam sanguis per animam expiat (כִּי־הַדָּם הוּא בַּנֶּפֶשׁ יְכַפֵּר), uti nervose dictum in eodem testimonio legitur. Sub nova lege pariter « venit (Christus) dare animam suam, redemptionem pro multis » (2).

Sanguis consideratur igitur tanquam sedes vitae ; haec autem ad solum Deum pertinet, et inde intelligitur quare omnis mactatio animalium, etiam ad usus profanos, quodammodo sacra habeatur (3) ; ex eadem consideratione pariter procedit prohibitio, saepius repetita, nunc ad oblationem sacrificii proprii nominis, nunc ad mactationem animalium in usum privatum, ne carnes cum sanguine comederentur : « Sanguis enim pro anima est : et idcirco non debes animam comedere cum carnibus » (4).

Eadem ratio assignari debet destructioni rei inanimatae, sive quando haec in sacrificium separatum, sive adhuc quando conjuncta cum sacrificio cruento offertur. Comburebantur enim cibaria, effundebatur potus, quibus vita humana sustentabatur. Advertatur sedulo hanc effusionem vini, aut lactis uti apud aliquas gentes, veram involvere *destructionem*, quam non dicemus realem, siquidem res ipsa in se non destruebatur, sed *aequivalentem, seu destructionem rei quoad formam suam externam, quoad modum*, quae tamen destructio verum sacrificium, proprie dictum, et non sacrificium tantum aequivalens fundat.

(1) *Lev.*, XVII, 11. — Hanc effusionem sanguinis praeprimis de immolatione, non ita de aspersione intelligendam esse, contra quosdam, infra vindicabimus ; cf. alioquin *Is.*, LIII, 12.

(2) *Mt.*, XX, 28 ; cf. pariter *Mc.*, X, 45 et *Jo.*, X, 15, 17.

(3) *Exod.*, XX, 24 s. — Cf. Van Hoonacker, *Le lieu du culte*, p. 31 s. et *Le Sacerdoce lévitique*, p. 417 s. — Vide etiam Legrand, *art. cit.*, p. 956, qui notat verbum ἱερεύειν, apud Homerum, dici de immolatione ordinaria ; cf. pariter v. Orelli, *art. cit.*, apud PRE., XIV, 392 ; Stengel, *o. c.*, p. 95.

(4) *Deut.*, XII, 23 ; cf. *Gen.*, IX, 4 ; *Lev.*, III, 17 ; VII, 26 ; XVII, 10 s. ; XIX, 26 ; *Deut.*, XII, 16 ; XV, 23 ; *I Reg.* (*I Sam.*), XIV, 32 s. — Advertatur has immolationes, quae fiebant in usus profanos et privatos, non fuisse sacrificia proprii nominis, siquidem non erant simpliciter in honorem divinum ordinatae, quod nihilominus minime prohibet quominus sacrae dicantur et cum sacrificiis proprie sumptis conferantur, uti scite adnotat cl. Van Hoonacker, *Le Sacerdoce lévitique*, p. 417 : « L'effusion du sang du bétail demeura de sa nature un acte religieux, analogue au sacrifice proprement dit » ; ita pariter in priore testimonio adducto, *Le lieu du culte*, p. 31. — His verbis non affirmatur has immolationes esse vera sacrificia, quamquam, ratione exposita, ad cultum quemdam privatum pertinere dici possunt ; itaque, ceteris etiam omissis considerationibus, puta quod rationes allatas spectat, non videmus quo tendant asserta ab A. Fernandez, *I sacrifici privati nella legislazione mosaica*, apud period. *La Civiltà cattolica*, LXIV, 2, p. 277-291, Roma, 1913.

§ 4. — *Quarta pars actionis sacrificalis : aspersiones cum sanguine.*

Post immolationem victimae, collecto sanguine ab ipso sacerdote (1), variae perficiebantur aspersiones pro variis sacrificiis ; hae aspersiones quartam partem actionis sacrificalis constituunt.

Legimus ita ad caerimoniam sanciti foederis Deum inter ac populum electum (2) : « Scripsit autem Moyses universos sermones Domini : et mane consurgens aedificavit altare ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Misitque juvenes (3) de filiis Israel, et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis et misit in crateras : partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen foederis, legit audiente populo : qui dixerunt : Omnia quae locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait : Hic est sanguis foederis (הִנֵּה דַם־הַבְּרִית) quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his ».

Similiter in consecratione sacerdotum, attigit Moyses cum sanguine extremum auriculae dexterae Aaron et filiorum ejus, pollices quoque manus eorum ac pedis dextri, reliquum vero sanguinem fudit super altare per circuitum (4). In expiatione altaris pariter : « hauriens sanguinem, et tincto digito, tetigit (Moyses) cornua altaris per gyrum : quo expiato et sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta ejus » (5).

Ex his ultimis exemplis patenter apparet, quod ex priore ritu, in die videlicet ineundi foederis, dubium videri possit, sanguinem jam ante omnem aspersionem expiare ac sanctificare personas ac objecta ; hoc alioquin ex ritu mundandi leprosi (6) atque ex caerimonia in die magnae expiationis (7) abunde confirmatur.

(1) *Mischna, Sebachim,* II, 1. — Vide textum apud Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 57, n. 1.

(2) *Exod.*, XXIV, 4-8.

(3) Notat cl. Van Hoonacker, *Le Sacerdoce lévitique*, p. 140, in hoc loco Exodi per « juvenes de filiis Israel » designari ipsos sacerdotes.

(4) *Exod.*, XXIX, 20 ; *Lev.*, VIII, 24.

(5) *Lev.*, VIII, 15. (6) *Lev.*, XIV, 14.

(7) *Lev.*, XVI, 16. — Cf. Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 60 s., qui ibidem objectionem refellit, quam contra hanc thesim moverunt quidam auctores ex textu *Lev.*, XVII, 11 : « et sanguis pro animae piaculo sit ». — Ex animadversione, quam in textu nostro posuimus, simul apparet quam labilis sit theoria Socinianorum, qui mactationem tanquam elementum habent praeparatorium ad sacrificium proprie dictum, in oblatione sanguinis peragendum ; de hac sententia, et aliis similibus, vide infra, et de systemate Socinianorum lege Stentrup, *o. c.*, II, p. 273 s.

Sacrificium ergo, quoad essentiam suam, absolutum erat per mactationem, et effusio sanguinis super altare ad complendum sacrificium potius referebatur, ut per hanc actionem obvie exprimeretur immolationem fuisse sacram : « Ego dedi illum (sanguinem) vobis ut super altare (עַל־הַמִּזְבֵּחַ) in eo expietis » (1). Ita adhuc aspersiones variae, juxta varia sacrificia, scopum diversum et diversos effectus, quos intendebant diversa sacrificia, quasi plastice demonstrabant, et ad modum caerimoniarum in sacramentis novae legis, reapse ad ritum concretum pertinebant, sed stricto sensu essentiam sacrificii non constituebant, neque illam ingrediebantur.

§ 5. — *Quinta pars actionis sacrificae : combustio adipum.*

Eadem ratione, qua aspersiones, explananda venit combustio, quae est pars quinta actionis sacrificae proprie dictae in lege descriptae; semper enim comburenda erant vitalia, et in religionibus gentium pariter, saltem exta igne consumenda erant (2). Ex parallelismo vero ad praescriptionem de usu sanguinis, haud ambigendum videtur de significatione hujus ritus : « Omnis adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus et cunctis habitaculis vestris : nec sanguinem nec adipem omnino comedetis » (3). Combustio adipum igitur scopum sacrificii perfectius manifestabat, itaque rursus ad ritum sacrificalem concrete spectatum pertinebat, licet ipsam essentiam non fundaret.

* * *

Actione sacrifica peracta, ad pacificum accedebat insuper convivium, quod « coram Domino » celebrandum erat in laetitia (4). Jamvero de convivio nulla speciali ratione agendum est, ubi de elementis sacrificii inquirimus. Nedum enim epulae totam essentiam sacrificii constituant, uti quidam opinati sunt, quos infra redarguemus, illas ne quidem essentialiter ad sacrificium stricte sumptum

(1) *Lev.*, XVII, 11. — Varias aspersiones et ritum effusionis ad descriptionem sacrificii supra indigitavimus; cf. etiam Hubert et Mauss, *art. cit.*, p. 72.

(2) Vide supra descriptionem sacrificii et cf. Döllinger, *o. c.*, p. 208 et p. 534; Marquardt, *o. c.*, III, p. 180; Hubert et Mauss, *art. cit.*, p. 64; Legrand, *art. cit.*, p. 964; Toutain, *art. cit.*, p. 976; Wissowa, *o. c.*, p. 354 in priore ed., et p. 416 s., in ed. altera.

(3) *Lev.*, III, 16b, 17; cf. *Lev.*, VII, 25, 27 : « Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo... Omnis anima, quae ederit sanguinem, peribit de populis suis ».

(4) *Lev.*, VII, 15 s.; XIX, 6 s.; XXII, 30; *Deut.*, XII, 7, etc.

spectare autumamus. Hoc latius in II capite comprobandum suscipiemus.

Art. 3. — Tertium elementum sacrificii : finis qui intenditur.

Hucusque elementum primum sacrificii, rem offerendam scilicet, et alterum elementum, actionem sacrificam, examinavimus. In sacrificio igitur, homo per mactationem alicujus victimae, quam sibimet substituit, vitam suam Deo devovendam esse, per actionem symbolicam, exprimit ; nunc intimius perpendendum manet ad quemnam finem significandum haec actio symbolica referenda sit, id est, cur homo vitam suam Deo devoreve intendat. Hic finis, haec significatio tertium elementum est in sacrificio.

§ 1. — *Determinantur variae significationes sacrificii.*

Primo, quamdam *significationem expiatoriam* in omni sacrificio judaico admittendam esse nemo profecto negabit, qui ritum specialem confessionis peccatorum attenderit, quam in omni oblatione apud legem praescripta, reperiendam esse cum maxima probabilitate vindicavimus. Eamdem significationem etiam demonstrat textus, quem apud Leviticum legimus et saepius jam in explicationem adduximus : « Ego dedi illum (sanguinem) vobis, ut super altare in eo expietis (לְכַפֵּר) pro animabis vestris, et sanguis pro animae piaculo (יְכַפֵּר) sit » (1).

Plerique auctores, ad terminum saltem evolutionis quam in materia sacrificali quidam propugnant (2), hanc significationem alioquin concedunt (3), itaque dubium minime apparet respuendam esse sententiam, quam Ritschl (4) quondam excogitavit. Hic auctor

(1) *Lev.*, XVII, 11. — Haec ex vivida conscientia lapsus originalis, apud populum electum optime servata, omnino explicantur. Attamen « propitiatio pro peccatis... accidit sacrificio in suis essentialibus notis considerato. Sacrificium enim est essentialiter et primario latreuticum », uti recte animadvertit Card. Billot, *De Eccl. Sacramentis*, I, p. 583, et mox infra demonstrabimus.

(2) Cf. v. Orelli, *art, cit.*, apud PRE., XIV, 390 ; Köberle, *Sünde und Gnade im religiösen Leben des Volkes Israel*, p. 316, München, 1905 et O. Schmitz, *o. c.*, p. 17 s.

(3) Ita Wellhausen, *Prolegomena*, p. 53 s.; Kautzsch, *art. cit.*, p. 612-734 ; cf. etiam J. Herrmann, *Die Idee der Sühne im AT. — Eine Untersuchung über Gebrauch und Bedeutung des Wortes kipper*, p. 43, Leipzig, 1905.

(4) A. Ritschl, *o. c.*, II, p. 195 s. et p. 204, ubi scribit : « Endlich ergiebt sich, dasz die Schutzbedeckung. . im allgemeinen keine Rücksicht auf Sünden ... einschlieszt, sondern nur die Rücksicht darauf, dasz sie vergängliche Menschen sind » ; cf. adhuc Lobstein, *La sainte Cène*, p. 63.

nimirum vocem כֹּפֶר derivandam proposuit a verbo כָּפַר =texit, adeo ut sacrificia vetera, ad mentem ipsius, non ad expianda peccata, sed ad tegendum et protegendum offerentem a facie Dei, quem absque interitu aspicere nefas erat, ordinata fuissent (1).

Verum, haud pauci auctores hodie hanc etymologiam deserunt (2), et ex comparatione cum lingua assyriaca, כפר = lavare aut delere, potius interpretantur ; sed A. Sabatier ex hac significatione novam difficultatem eruit (3).

Elementum sacrum prae ceteris, inquit, est sanguis, quia hanc specificam virtutem habet ut non solum personas sed et res materiales purificet ; ad mundandam domum aut vestem, secundum legem (4), sanguis adhibetur, itaque non de expiatione sed de purificatione per sanguinem loquamur necesse est.

Respondetur : agitur purificatio non physica sed moralis, uti indubie patescit ex altero verbo, quo eadem « purificatio » designatur ; ita puta ad consecrationem altaris : « Quo expiato et sanctificato (וַיְחַטֵּא·····וַיְקַדְּשֵׁהוּ לְכַפֵּר עָלָיו) » (5), ad litteram : et expiavit (altare) a peccato... et sanctificavit expiando illud ; similiter ad emundationem domus : « Et in purificationem ejus (scilicet domus) sumet... (וְלָקַח לְחַטֵּא אֶת־הַבַּיִת) » (6),... « purificabitque eam (וְחִטֵּא אֶת־הַבַּיִת) » (7), id est, ad litteram, a peccato expiabit eam. Quia proin agitur purificatio quaedam moralis, haec emundatio sanguini adscribitur, et quamvis sensus primarius vocis כָּפַר sit =

(1) Hanc opinionem jam oppugnavit Riehm, *Der Begriff der Sühne im AT.*, apud *Theologische Studien und Kritiken*, p. 76 s., Gotha, 1877 ; ita etiam Schmoller, *Das Wesen der Sühne in der alttestamentlichen Opferthora*, apud *Theol. Studien und Kritiken*, p. 247 s., 1891 ; cf. O. Schmitz, *o. c.* p. 19.

(2) Cf. J. Herrmann, *o c.*, p. 43 ; O. Schmitz, *o. c.*, p. 19 s. et Prat, *La Théologie de s. Paul*, I, p. 288, in excursu ad vocem : *Expiation*. — Vide adhuc controversiam inter E. König, qui כפר audit : operire, in *Hebr. und Aram. Wörterbuch zum AT.*, p. 665, Leipzig, 1910, et in art. *The hebrew word for « Atone »*, apud period. *Expository Times*, XXII, p. 232-234, Edinburgh, 1911 et S. B. Langdon, nec non C. F. Burney, in art. cum eodem titulo, *ibidem*, XXII, p. 320-325 et p. 325-327, 1911. Respondit E. König, *ibidem*, XXII, p. 378-380, 1911 et deinde rursus Langdon, p. 380-381 ; cf. adhuc Ball, *The hebrew term for « Atone »*, in *Expos. Times*, XXII, 478-479, 1911 ; lege etiam Gesenius, *Hebr. und Aram. Handwörterbuch über das AT., in Verbindung mit* Dr H. Zimmern, *bearbeitet von* Dr F. Buhl, p. 324, ad vocem כפר, Leipzig, 1905[14].

(3) A. Sabatier, *o. c.*, p. 13-16.

(4) *Lev.*, XIV, 34 s.

(5) *Lev.*, VIII, 15 ; verbum חָטָא in forma *qal* significat peccare, in forma *piel* = expiare a peccato.

(6) *Lev.*, XIV, 49. (7) *Lev.*, XIV, 52.

lavare, ubi de rebus etiam materialibus per sanguinem « lavandis » loquitur Scriptura, oportet hunc sensum accipiamus, quem indicat forma *piel* (כִּפֶּר), quae purificationem moralem aut expiationem peccati demonstrat.

Hac animadversione simul praevertitur instantia, quam Ritschl ex « expiatione rerum » contra significationem vocis כִּפֶּר adducit. Ex applicatione nimirum sanguinis ad res materiales לְכַפֵּר, statim infert cl. doctor, quum res materiales purificationis moralis non sint capaces, non agi de « expiandis », sed de « tegendis illis rebus coram facie Domini », ut ipsis congruentia cum scopo, ad quem destinantur, reparetur (1).

Termini vero problematis solvendi hac consideratione potius intervertuntur quam elucidantur. Cum explicatione haud clara vocis כִּפֶּר, Ritschl claram assertionem Scripturae sacrae pervertit : haec enim aperte docet res quasdam materiales esse expiandas (כִּפֶּר) seu a peccato mundandas (חִטֵּא) ; difficultas igitur est, non ut sensum vocis כִּפֶּר definiamus, quoniam hic sensus nullum dubium provocare possit, sed ut intelligamus quemadmodum res materiales expiatione indigere queant. Obvia porro videtur ratio : hae res enim per culpam, aut saltem per aliquam negligentiam, inquinatae censentur, itaque expiatio, quae personas praeprimis spectat, ad illas transferenda consideratur.

Sententiae modo prolatae non offendit, uti quidam opinati sunt (2), per eamdem impositionem manuum adhuc benedictionem (3) et auctoritatem transmitti (4), quandoquidem significationem expiationis non ex sola impositione manuum, sed ex integro ritu, et ex annexa praesertim confessione peccati, demonstravimus (5).

* * *

Attamen, non intendimus asserere, quamvis admittamus omni

(1) Ritschl, *o. c.*, II. 208.
(2) Cf. W. Robertson Smith, *Relig. Sem.*, p. 422.
(3) *Gen.*, XLVIII, 14.
(4) *Num.*, XXVII, 23; *Deut.*, XXXIV, 9; cf. etiam consecrationem Levitarum, in *Num.*, VIII, 10.
(5) Quoad impositionem manuum, de qua in *Lev.*, XXIV, 14, ubi narratur lapidatio blasphemi, cui manus imponunt « omnes qui audierunt », et de qua similiter in *Dan.*, XIII, 34, in causa Susannae, cui senes manus imponunt, dum impudicitia illam accusant, haud necessarium est tenere cum Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 46 s., transferri peccatum illorum, qui puta blasphemiam audierunt, et manus suas ideo blasphemo imponunt. Videtur potius dicendum in priore et etiam in altero casu, testes, per hanc suam manuum impositionem, solemniter profiteri peccatum illis accusatis reipsa imputandum esse.

sacrificio quamdam subesse expiationem, hanc significationem esse unicam vel etiam praecipuam ; ut enim perfecte cognoscatur finis, quem singulis sacrificiis adscribere oportet, non sufficit solam impositionem manuum inspicere, sed integram caerimoniam singula vice perpendamus necesse est. Post impositionem manuum vero, post immolationem et effusionem sanguinis ad altare, quae sunt partes omni sacrificio cruento communes et fere identicae, in aspersione sanguinis contra, in combustione totali vel partiali, in praesentia tandem aut in absentia convivii, sufficiens apparet diversitas, per quam fines diversos in diversis sacrificiis determinare fas erit.

Inter omnia sacrificia principale erat holocaustum, in adjunctis solemnioribus praestandum (1), et in sempiternum quotidie offerendum (2), ita ut sublato hoc sacrificio perpetuo, jam totum cultum judaicum corruisse visum fuerit (3). « Offerebatur Deo specialiter ad reverentiam majestatis ipsius et amorem bonitatis ejus », ait Angelicus, « et ideo totum comburebatur, ut, sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur hominem et omnia quae ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta et ei esse offerenda » (4). « Manifestum autem est quod dominium convenit Deo secundum propriam et singularem quamdam rationem, quia scilicet ipse omnia fecit, et quia summum in omnibus rebus obtinet principatum » (5). — In holocausto igitur praecipue eminebat *finis latreuticus*.

In sacrificio pacifico autem, mactatione peracta, effuso sanguine et combusto adipe, quaedam partes victimae sacerdoti servabantur (6), reliquae vero ipsi convivio offerentium, coram Domino celebrando, inserviebant. Ex hoc ritu et ex occasione praesertim qua pacifica praescripta legimus (7), liquido constat hanc oblationem imprimis eo fuisse ordinatam ut Deo *grates agerentur* « pro salute et prosperitate offerentium, ex debito beneficii vel accipiendi vel accepti » (8), ita ut offerentes sacrificium, rebus omnibus compositis, ad mensam Domini cum pace accumbere potuerint.

Tertium sacrificium, cujus varios ritus supra descripsimus, *condonationem* intendebat *peccati* aut *delicti*, et ex hoc scopo

(1) In die expiationis (*Lev.*, XVI, 3 s.) ; in consecratione sacerdotum (*Exod.*, XXIX, 18), etc.

(2) *Num.*, XXVIII, 3 s. ; cf. etiam *Lev.*, VI, 12-16 (hebr. 5-9).

(3) Cf. *Dan.*, VIII, 11 s. ; XI, 31 ; XII, 11, et adhuc *II Esd.* (*Neh.*), X, 33 (hebr. 34).

(4) *Sum. Theol.*, I-II, q. 102, a. 3, ad 8m.

(5) *Sum. Theol.*, II-II, q. 81, a. 1, ad 3m.

(6) *Lev.*, VII, 32 s. (7) *Lev.*, VII, 12, 16.

(8) *Sum. Theol.*, I-II, q. 102, a. 3, ad 8m.

explicatur quare sacrificio completo per mactationem, per annexam effusionem sanguinis et varias aspersiones, juxta varia sacrificia (1), consumptis tandem vitalibus igne sacrificali in altari, reliquae partes offerenti nunquam cesserint, et hostia pro peccato sacerdotis extra castra comburenda venerit ; « non enim debebant in usum sacerdotum venire ea quae pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret ; et quia hoc non esset satisfactio pro peccato. Si enim cederet in usum eorum, pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videretur ac si non offerretur » (2).

§ 2. — *Inter diversas significationes sacrificii praecipua est latreutica.*

Inter omnes significationes quas sacrificio attribuere oportet, prae ceteris manifeste eminet significatio latreutica, per quam Dei supremam majestatem profitemur. Hic finis alioquin « non excludit sed imo includit alias tres significationes seu alios tres fines sacrificii : eo enim ipso quod sit Deus supremus Dominus agnoscendus, omnia ab ipso nos recipere confiteri debemus, adeoque et gratias agere pro acceptis, et nova postulare ; atque in hypothesi peccati, in statu lapso, in quo sumus, reatum mortis pro peccato in supremum dominum confiteri, et divinam justitiam placare » (3). « Sacrificium enim est essentialiter et primario latreuticum, id est, ad colendum Deum eo cultu, qui semper requiritur ex hoc solo quod ipse est Creator noster, nos autem creaturae ejus » (4).

* * *

Non rationi solummodo sed adhuc legi congruit haec sententia ; Thalhofer nihilominus eamdem respuit ut contra communem opinionem teneat, inde saltem a lapsu, finem propitiatorium excellere in omni sacrificio, et ex hac idea expiationis omnia sacrificii elementa explanare satagit : mactationem hostiae v. g. tanquam poenam mortis habet pro peccato originali ; substitutionem, per impositionem manuum indicatam, praesertim poenalem declarat ; combustionem tandem eadem ratione interpretatur.

(1) Vide speciatim *Lev.*, III, 1 s., ubi describuntur sacrificia pro peccato sacerdotis, principis et multitudinis, et cf. supra descriptionem sacrificii.

(2) *Sum. Theol.*, I-II, q. 102, a. 3, ad 8m.

(3) Ill. ac Rev. Waffelaert, *Scholia de ss. Missae sacrificio*, apud period. *Coll. Brugen.*, XII, p. 736, n. 3., Brugis, 1907.

(4) Card. Billot, *De Eccl. Sacramentis*, I, p. 583 s. ; cf. etiam v. Orelli, *art. cit.*, apud PRE., XIV, 387 et Scheeben, *Die Mysterien des Christentums*, p. 416.

Non sufficit enim, inquit, substitutio symbolica qua homo victimam pro vita sua in honorem divinum mactat, seu potius in poenam morte expiandam immolat ; natura creata irrationalis, quae homini in nutrimentum constituitur, per peccatum protoparentum quadam *φθορά* infecta fuit, itaque cum abstinentia symbolica, in immolatione hostiae exercita, adhuc abstinentia realis conjungi debet ; haec obtinetur per combustionem quarumdam partium victimae, meliorum scilicet, quibus homo sponte sua renuntiat, dum easdem in ignem sacrificalem tradit (1).

Quaedam inter illa asserta, quippe quae connexa cum sententiis, quas claritatis causa in capite sequenti examinare intendimus, infra confutabimus ; quoad fundamentum vero totius hujus elucubrationis, advertere nunc sufficiat, ill. auctorem nimis urgere impositionem manuum cum annexa confessione peccati quam in omni sacrificio judaico reperire est. Revera, ob hanc caerimoniam, ultro agnoscimus in omni sacrificio a lege praescripto quamdam subesse expiationem ; attamen totum sacrificium ex hoc solo ritu explicandum non venit, atque cetera sacrificii elementa etiam ponderanda remanent, itaque ad varias significationes pervenimus juxta varia sacrificia, et inter illas, significationem latreuticam esse praecipuam intelligimus.

Ne argumenta superius jam allata repetamus, uno exemplo rem dirimere conabimur, et dicimus : si in sententia a Thalhofer propugnata, quaedam elementa omni sacrificio communia, ut mactatio et effusio sanguinis satis explicantur, nulla tamen ratio sufficiens assignatur cur diversitatem in ceteris sacrificii partibus, in aspersione puta, in combustione et in epulis denique, reperiamus.

Ut holocaustum explanare possit provocat Thalhofer (2) ad abstinentiam quamdam generalem ; atqui nemo non videt, etiam si haec abstinentia generalis sufficienter dicat cur omnes partes comburi debeant, eamdem tamen minime explicare quare haec combustio totalis in altari perficienda sit, quum in sacrificio pro peccato sacerdotis omnia pariter igne consumenda veniant, sed vitalia in altari, ceterae vero carnes extra castra.

Si finem autem latreuticum ponimus primarium in sacrificio, res statim clarescit : integra victima nimirum in holocausto, uti scite advertit s. Thomas, ad honorem divinum referenda erat ; in sacrificio pro peccato sacerdotis pariter, per combustionem vitalium, supremam Dei majestatem et reatum mortis profiteri debebant,

(1) Cf. Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 53 ; cf. adhuc p. 46 s., p. 68 et p. 66.
(2) *Ibidem*, p. 77.

ideoque in altari comburebantur tales partes victimae, in quibus vitam et animam haberi censebant ; attamen secundum praeceptum sacrificii pro peccato, reliquae carnes sacerdotibus obveniebant, quod in casu omnino erat indecens, ne ipsis ministris, uti pariter cum Angelico adnotavimus, peccatum ipsorum in commodum cederet. Cum autem in sacrificio pro peccato sola vitalia in altari comburenda essent, et aliae carnes ob motivum modo prolatum nihilominus destruendae essent, optima ratione statutum videtur easdem extra castra igne consumendas, « in loco effusorum cinerum », quia reipsa ad sacrificium pertinebant.

Art. 4. — Quartum elementum sacrificii : minister legitime constitutus.

Manet tandem quartum elementum, de quo nunc brevius tractare lubet, quia in responsione ad quasdam objectiones infra, rem penitius perpendere oportebit.

Quaestio disputatur a quonam offerri debeat sacrificium : utrum necne scilicet ministerium alicujus viri legitime constituti necessarium sit, quod alii, duce Suarezio (1), affirmant, alii, Vasquezium (2) secuti, potius infitiantur. Negari autem nequit ubique terrarum sacrificium de facto praecipue fuisse actum cultus publici (3), et a legitimo ministro offerendum. Quaestione igitur a posteriori considerata, ad sacrificium, in perfectione sua historica saltem, MINISTERIUM SACERDOTIS essentialiter pertinere autumamus.

Nullo modo offendit huic nostrae assertioni in cultu hierosolymitano immolationem a laico peragi licitum fuisse ; non enim quicumque vir, sed ille ipse, qui sacrificium offerre cupiebat, immolationem perficiebat, et nomine revera sacerdotis, uti ex acceptatione et probatione victimae a legitimo ministro patenter apparet ; illud idem ex caerimoniis, quae mactationem subsequebantur, adhuc confirmatur, quod mox demonstrabimus. Eamdem dispositionem

(1) SUAREZIUS, o. c., disp. 73, sect. IV, n. 3 et sect. V, n. 8.

(2) VASQUEZIUS, o. c., disp. 220, cap. III, n. 19 ; cf. etiam PERRONE, *Praelectiones theologicae*, VI, *Tract. de Eucharistia*, n. 245, p. 266, Lovanii, 1841.

(3) Infra hanc quaestionem raptim examinabimus ; pro variis religionibus vide locos superius indicatos, et notatim, quoad gentes, quas primitivas dicunt, lege ILL. LE ROY, *Les primitifs*, p. 276. — Quoad religionem judaicam, res nullam difficultatem facit, quamquam doctores disputant de parte sacrificii, quae a sacerdote qua tali peragenda veniat. Solutionem hujus controversiae, in refellendis quibusdam sententiis, infra praestabimus, sed in textu jam indicavimus principium, quo haec disceptatio dissolvi possit.

ceteroquin in aliis quibusdam religionibus reperire est : victimariis nimirum Romae relinquebatur immolatio victimae, sed postquam sacerdos ritu symbolico hanc mactationem suo nomine et auctoritate sua perficiendam esse expresserat.

*
* *

Quattuor elementa igitur complectitur sacrificium proprie dictum : primo, rem aliquam sensibilem et permanentem ; deinde, actionem sacrificam, cujus centrum est in mactatione victimae, aut in destructione cibi et potus si sacrificium incruentum agitur ; tertio, finem seu significationem, ac quarto, ministrum legitimum, qui actionem sacrificam circa rem offerendam peragat, et totam actionem in honorem divinum referat. Cum his elementis, in sectione sequenti, definitionem sacrificii componemus.

Sectio III.

Definitio sacrificii.

In hac definitione generica sacrificii adstruenda, quum tanta inter doctores discrepantia vigeat, ut paucos invenire sit qui essentiam sacrificii eodem modo concipiant, quamvis etiam in definitione nominali concinere videantur, uti solido fundamento innitemur doctrinae s. Thomae, et principia, quae subtemen hujus disquisitionis efformabunt, inde desumemus, ubi divus auctor de virtute religionis ejusque actibus disserens, exempla sua ex rituali VT. depromit.

Agit Aquinas de virtute religionis in seipsa, in II-II, q. 81, deinde tractat de ejus actibus, qui sunt vel interiores, uti devotio (q. 82) et oratio (q. 83), vel exteriores. Inter actus exteriores, primo considerat actus, qui sunt in motu corporis, uti adoratio (q. 84), aut qui circa rem versantur exteriorem, quae Deo offertur, sive immediate, utputa in sacrificio (q. 85), in oblatione et in primitiis (q. 86) ; sive mediate, uti in decimis (q. 87), quae immediate ministris divini cultus solvuntur et mediate tantum Deo offeruntur. Postea agit de voto (q. 88), per quod Deo aliquid promittitur, dein de illis actibus cultus latriae, quibus aliquid divinum ab hominibus assumitur, sive hoc sit sacramentum, — et de sacramentis speciali ratione agit in III parte, — sive hoc sit nomen divinum, quod assumitur per modum juramenti (q. 89), aut per modum adjurationis (q. 90), aut denique per modum invocationis, in oratione scilicet, de qua egit supra, et in laude divina, de qua in q. 91 tractat.

Art. 1. — Sacrificium est in genere oblationis.

Sacrificium ergo proxime distinguit s. Thomas ab oblatione, et oblationem ad sacrificium refert, tanquam genus ad speciem : sacrificium, ait, est oblatio, nam « nomen oblationis commune est ad omnes res quae in cultum divinum exhibentur » (1) ; « oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur » (2), itaque formaliter loquendo, ad mentem Angelici, oblatio est quidquid Deo immediate offertur, sive exhibetur, seu in cultum divinum ordinatur.

Haec definitio oblationis, quam s. doctor nullo argumento munit, reapse ex etymologia dilucide confirmatur : oblatio enim dicitur ab ob-ferre, Deo ob-ferre, quod est in cultum divinum exhibere ; graece dicitur *προσφορά*, hebraice קָרְבָּן, quae voces aperte eamdem significationem prae se ferunt. Quoad *προσφοράν* et קָרְבָּן (a verbo קָרַב, in forma *hiphil* הִקְרִיב = adduxit, admovit) res certo patet, et cum hoc ultimo vocabulo conferre adhuc licet נָגַשׁ (praeteritum inusitatum=appropinquavit, accessit), in forma *hiphil* הִגִּישׁ = adduxit, obtulit, protulit ; eumdem sensum voci מִנְחָה affigendum putant auctores quidam, qui *minhâh*, non ad מָנַח = donavit, sed ad נָחָה =direxit, reducendam autumant (3).

Vertuntur generatim voces : oblatio, *προσφορά*, קָרְבָּן et מִנְחָה per « donum », cum tamen statim appareat notiones « offerre » et « donare » non converti simpliciter ; donatio enimvero translationem dominii supponit, quae in casu obtineri nequit, ideoque s. Thomas, quum de oblatione et sacrificio accurate scribere intendat, recte omnino, ubique in quaestione de oblatione et sacrificio, verbum « dare » aut « donare » evitavit ; in quaestione e contra de decimis, quae « in veteri lege dabantur ad sustentationem ministrorum

(1) *Sum. Theol.*, II-II, q. 86, a. 1, c.

(2) *Ibidem*, q. 85, a. 3, ad 3m.

(3) Lagrange, *Relig. sém.*, p. 269, n. 1 : « On a généralement insisté sur ce que *minhâh* signifie *tribut, présent* offert à un prince, pour lui imprimer un caractère social déterminé : le sacrifice n'est que le don fait à un roi (en phénicien מנחת, don fait à Dieu). Nous pensons que cette idée s'appuie sur une fausse étymologie, celle qui rattache מנחה à l'arabe *manah* « octroyer, donner ». Perles (*Analecten*, p. 78) a objecté avec raison que la racine arabe étant très pauvre en sens dérivés pourrait fort bien être un emprunt. Il propose נחה (déjà soupçonné par Abulawid) qui a le sens de « diriger », et cette dérivation est prouvée par les inscriptions sabéennes, où נחי est employé à la 5e forme arabe dans le sens « d'offrir un sacrifice » (Hommel, *Altisraelitische Ueberlieferung*, p. 322) ».

Dei » (1), statim ab initio, et pluries in decursu disputationis, illam vocem adhibuit. In decimis revera non agitur de rebus, quae Deo immediate offeruntur, sed de iis, quae sacerdotibus immediate solvendae et attribuendae veniunt.

Non infitiamur tamen oblationes, adeoque etiam sacrificia, licite vocari munera aut dona, negative scilicet, in quantum nimirum res, quae Deo offeruntur, reipsa dominio hominis subtrahuntur (2); attamen Deo positive non donantur, sed offeruntur, id est, Deo sacrae atque consecratae, et « cultui divino deputandae » habentur, nisi ex speciali et positiva dispositione Dei, cui immediate exhibentur, in usum cedant ministrorum cultus, uti in primitiis obtinet, itaque ad eosdem ministros mediate pertineant (3).

Art. 2. — Sacrificium distinguitur ab oblatione per notam destructionis.

Distinguitur sacrificium ab oblatione, ex hoc « quod si aliquid exhibeatur in cultum divinum quasi in aliquod sacrum quod inde

(1) *Sum. Theol.*, II-II, q. 87, a. 1, c. — Ubique vero in quaestionibus 85 et 86 leguntur expressiones : offerre, exhibere, facere oblationem, offerre sacrificium etc. Semel habetur verbum dare, et non simpliciter, sed in locutione : « primitiae dantur per modum oblationis » ; ita in q. 86, a. 4, ad 3m. In eadem quaestione, a. 4, c., adducitur textus ex Scriptura, *I Parall.* (*I Chron.*), XXIX, 14 : « Quae de manu tua accepimus, dedimus tibi » ; in hac autem oratione regis David, res agitur generali ratione, nam pro omnibus acceptis beneficiis grates Deo rependuntur per sacrificia et oblationes, itaque in ipso textu sacro haec vox « dedimus » ex oppositione ad « accepimus » explicanda videtur. Ubi vero dicitur primitias accipi vel solvi, potius respiciuntur sacerdotes, quibus a Deo hae primitiae concessae fuerant. Sacerdotes porro accipere possunt, et fideles eisdem dare possunt primitias, quae Deo nihilominus immediate offeruntur.

(2) Ita saepe in Scriptura sacra, utputa in textu bene noto ex epist. ad *Hebr.*, *V*, 1 : « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona (δῶρα), et sacrificia (θυσίας) pro peccatis ». Suarezius, *o. c.*, disp. 73, sect. III, n. 1 et sect. V, n. 2, loquitur de *quasi-donatione* et haec expressio, si bene intelligitur, admitti potest.

(3) *Num.*, XVIII, 19. — *Ibidem*, v. 21, Jahve etiam decimas filiis Levi dedisse legitur, sed tanquam partem eorum in possessione totius populi ; pro hac autem parte ipsi Levitae primitias Deo offerre debebant, uti ex v. 26 s. apparet. Alio igitur et alio titulo, Levitae primitias et decimas percipiebant : primitias accipiebant a Deo, nempe per dispositionem ipsius, licet primitiae immediate Deo offerri deberent ; decimas autem accipiebant immediate a populo, itaque primitiae ad oblationes pertinebant, dum « decimae... proprie loquendo, non sunt sacrificia neque oblationes : quia non immediate Deo, sed ministris divini cultus exhibentur », uti scite adnotat s. Thomas, in q. 85, a. 3, ad 3m.

fieri debeat consumendum, et oblatio est, et sacrificium... Si verò sic exhibeatur, ut integrum maneat,... erit oblatio et non sacrificium » (1).— « Sacrificia (enim) proprie dicuntur quando circa res Deo oblatas aliquid fit : sicut quod animalia occidebantur (et comburebantur), quod panis frangitur et comeditur et benedicitur. Et hoc ipsum nomen sonat : nam sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directe dicitur cum Deo aliquid offertur, etiam si nihil circa ipsum fiat » (2).

Quid faciendum sit ut sacrificium habeatur, tum exemplis in textu allatis (3), quum praesertim ex priore testimonio clare constat : oportet ut res oblata consumatur seu destruatur, et haec rursus ex descriptis sacrificiis, supra in sectione secunda, prorsus corroborantur. Non postulatur tamen ut distincta actione res offeratur et postea consumatur, sed sufficit, uti concinne et recte apud s. Thomam enuntiatur, « ut aliquid exhibeatur in cultum divinum... consumendum ».

Ad partialem definitionem adeo jam pervenimus : sacrificium, juxta doctrinam Angelici, est in genere oblationis, qua res in cultum divinum exhibetur, non integra tamen sed consumenda. Sacrificium igitur est destructio rei in honorem divinum, seu, si definitionem per genus et speciem adstruere velimus, est oblatio, qua rei destructione, non cujuscumque, quod ex sectionibus praecedentibus eliquet, sed talis, quae vitam humanam repraesentat, honorem Deo debitum exhibere cupimus. Haec destructio oblationem determinat ut sit sacrificium, atque inde dicitur *forma* sacrificii, si rem oblatam vocare

(1) *Sum. Theol.*, II-II, q. 86, a. 1, c. — Hunc textum minus recte interpretatur CARD. DE LUGO, *o. c.*, disp. XIX, sect. I, n. 7, qui contentit s. Thomam ibidem docere : « per sacrificium fieri rem sacram, non utcumque sed consumendo illam in illud sacrum quod inde fieri debet » ; s. Thomas autem reipsa dicit sacrificium fieri per hoc quod « aliquid exhibetur in cultum divinum... consumendum », et in parenthesi sensum subdit etymologicum : « quasi in aliquod sacrum quod inde fieri debeat » ; editio critica romana, jussu Leonis PP. XIII edita inde ab a. 1882, revera nullum signum interpunctionis habet. Patet vero rem non consumi in aliquid sacrum, sed per consumptionem fieri sacram ; parenthesis adeo ad membrum prius : « exhibere in cultum divinum », non ad verbum posterius « consumendum », connectenda venit. — Prorsus gratuita ratione contendit RENZ, *Geschichte*, II, p. 488 s., oblationem cum sacrificio identicam esse ; hic error auctoris consertus est cum singulari ipsius notione sacrificii, quippe quod ad mentem ejus, nullam destructionem involvat ; sacrificium, uti diximus, definiendum vult per sanctificationem subjectivam quam ipsum sacrificium operatur.

(2) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a, 3, ad 3m.

(3) Hunc textum adhuc infra, ubi de traditione Scholae tractabimus, ulteriori analysi subjiciemus, quia difficultatem facit, quamvis dubium nullum de necessitate destructionis admittat.

lubet *materiam*, quippe quae eadem esse queat, tum in oblatione simplici, quum in oblatione illa specifica, quae sacrificium appellatur.

Art. 3. — Destructio vocari potest forma physica sacrificii et opponitur ad significationem, quae est ejus forma metaphysica.

Fas est autem per abstractionem, separatim considerare destructionem a significatione, seu a fine, qui per hanc destructionem intenditur. Sacrificium enim dicitur oblatio, qua rei destructione, Deo debitum honorem impendimus, aut dicitur simpliciter destructio, quae in debitum cultum divinum ordinatur. Separatim adeo considerata a significatione, quacum in unum actum religiosum, in sacrificium videlicet, coalescit, ipsa haec destructio uti signum apparet, quo homo utitur, modo sibi convenienti, quippe quum a rebus sensibilibus cognitionem accipiat, ut sensus suos exprimat, et Dei excellentiam simul ac sui subjectionem profiteatur. « Oblatio sacrificii », ait s. Thomas, « fit ad aliquid significandum. Significat autem sacrificium quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima seipsam offert Deo... Anima autem se offert Deo in sacrificium sicut principio suae creationis, et sicut fini suae beatitudinis » (1). « Propter hoc instituta sunt sensibilia sacrificia,... ut repraesentetur homini quod seipsum et omnia sua debet referre in ipsum Deum sicut in finem et sicut in creatorem et gubernatorem et dominum universorum » (2).

Hinc inde igitur divus Thomas actionem sacrificalem, id est, ipsam destructionem, abstractam a significatione respicit, et hac etiam ratione affirmat dari quosdam actus, « qui non habent ex alio laudem nisi quia fiunt propter reverentiam divinam » (3). Atqui

(1) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 2, c.

(2) *Sum. contra gentiles*, III, cap. 119.

(3) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 3, c. — Ubi s. Thomas dicit esse proprie sacrificia illos actus, « qui non habent ex alio laudem, nisi quia fiunt propter reverentiam divinam », non intendit asserere quosvis actus, qui fiunt in reverentiam divinam, esse sacrificia, sed opponit ibidem sacrificia proprie dicta, a virtute religionis elicita, ad alios quoslibet actus exteriores « aliarum virtutum », qui actus « et in reverentiam divinam assumuntur », quatenus scilicet a virtute religionis inspirantur. — Cf. adhuc *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 4, c. et q. 81, a. 1, ad 1m, ubi divus auctor rem generaliori respectu tractat. — Haec Vasquezium, *o. c.*, disp. 220, cap. III, n. 19, omnino praeteriisse videntur; minus accurate pariter in hac materia scribit Suarezius, *o. c.*, disp. 73, sect. V, n. 1 et sect. VI, n. 3, quia hanc oppositionem ad actus imperatos a virtute religionis non attendit.

neminem fugere potest hoc signum, haec destructio, « licet secundum se habeat aliquam congruitatem, ut assumatur ad illud significandum, non tamen esse signum naturale, sed omnino indifferens ad significandum hoc, vel illud » (1) ; ad diversissimos scopos caedi possunt animalia, itaque actus externus immolationis, abstracte consideratus a significatione, sacrificium nondum constituit, sed significatione ipsi superaddita, haec destructio, haec mactatio ad « esse religiosum » evehitur, dum in cultum divinum ordinatur.

His rite perspectis, simul patescit significationem relate ad destructionem esse quasi elementum determinativum et specificativum, quod quidem occisionem cujusdam animalis in honorem divinum refert, adeoque jure declaratur forma, relate scilicet ad ipsam destructionem. Haec destructio porro, si non abstracte a significatione respicitur, sed si concrete consideratur, in hac nimirum actione physica, quae sacrificium nuncupatur, etiam dici debet forma, relate scilicet ad ipsam rem oblatam, quae materiam eamdem constituit tum oblationis proprie dictae, quum oblationis hujus specificatae, quam sacrificium denominamus.

Duplicem ergo formam in sacrificio indicare fas est : unam, quam appellabimus physicam, alteram, quam metaphysicam vocabimus.

Prior forma considerari debet in sacrificio concrete spectato, quando sacrificium pronuntiatur esse oblationem, per rei destructionem, ad debitum Dei cultum impendendum. Haec forma est ipsa destructio, quae dicitur forma physica, quia ordinis physici.

Altera forma percipitur, quando in hac actione, quae sacrificium appellatur, ipsa significatio seorsim seu abstracte a destructione consideratur ; et tunc haec ipsa significatio dicetur forma, et quidem metaphysica, quia ordinis intentionalis, et quia praeterea a priori forma distinguenda (2). In hac altera hypothesi, ipsa forma physica,

(1) CARD. DE LUGO, *o. c.*, disp. XIX, sect. I, n. 11.

(2) SUAREZIUS, *o. c.*, disp. 73, sect. VI, n. 3, duplicem definitionem posuit sacrificii, uti in parte prooemiali notavimus, unam scilicet per partes physicas, alteram per partes metaphysicas. Has definitiones impetivit VASQUEZIUS, *o. c.*, disp. 220, cap. II, n. 14, et revera prior definitio, quam in parte prooemiali retulimus, accuratius diceretur enuntiari per formam physicam, quatenus scilicet proponitur per destructionem tanquam genus, determinatum et specificatum per significationem ; altera definitio tunc diceretur per formam metaphysicam, in quantum nimirum incipit a significatione, per immolationem aut immutationem specificanda et determinanda. Utraque autem definitio reapse partem physicam et adhuc partem metaphysicam seu significationem exhibet, et has partes insuper simul proponit tanquam elementa, quae sacrificium intrinsece constituunt.

sive destructio, haberi potest tanquam materia, relate ad formam metaphysicam, relate scilicet ad significationem, quoniam haec significatio occisionem animalis determinat ut sit actus religionis, itaque rei destructionem in ordinem religiosum transfert.

Art. 4. — Ipsa destructio potius quam significatio debet dici elementum formale sacrificii.

Attamen haec significatio eadem est, essentialiter saltem, juxta doctrinam s. Thomae, in omnibus actibus, quibus Deo debitum cultum et honorem persolvimus ; omnes hi actus enim ad virtutem religionis pertinent, et « per omnes homo protestatur divinam excellentiam et subjectionem sui ad Deum, vel exhibendo aliquid ei, vel iterum assumendo aliquid divinum » (1). Ideo, si signum abstracte consideratum, id est, si destructionem in potentia significandi divinam excellentiam relate ad ipsam significationem, vocare licet materiam, nihilominus in concreto, in actu videlicet significandi debitam reverentiam, dicere oportebit destructionem esse formam sacrificii, imo elementum formale in sacrificio, quoniam hoc elementum, destructio videlicet, hunc actum concretum, qui est sacrificium, non tantum ab oblatione, sed ratione modo exposita, ab omnibus aliis ejusdem virtutis actibus secernit et discriminat.

Forma metaphysica destructionem determinat ut sit actus virtutis religionis, itaque ex forma sua metaphysica distinguitur sacrificium ab aliis actionibus cujuslibet alius virtutis ; ex forma autem sua physica seponitur sacrificium distinctim ab omnibus actibus ejusdem virtutis religionis ; forma physica proin ipsum « esse sacrificii » definit atque specificat.

Non infitiamur tamen ordinationem illam in cultum divinum, quae communis et essentialiter eadem apparet in omnibus actibus ejusdem virtutis religionis, specificum induere respectum, juxta varias species in eodem genere : ita adoratio praeprimis refertur in reverentiam divinam (2) ; oblatio in recognitionem divinae beneficentiae (3), sacrificium denique in protestationem supremi Dei dominii, cum sit « Deus... primum principium creationis rerum et ultimus finis, ad quem... omnia referenda » (4), « sicut in creatorem et gubernatorem et dominum universorum » (5). Verum, haec deter-

(1) *Sum. Theol.*, II-II, q. 81, a. 3, ad 2m ; cf. in eadem quaestione a. 4, c. et a. 5, c.

(2) *Ibidem*, q. 84, a. 1, c. (3) *Ibidem*, q. 86, a. 4, c.

(4) *Sum. Theol.*, I-II, q. 102, a. 3, c.

(5) *Sum. contra gentiles*, III, cap. 119 ; cf. pariter *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 2, c.

minatio in se spectata diversos illos actus religiosos non ita apte ab invicem distinguit, quum oblatio et sacrificium etiam in divinam reverentiam fiant, et sacrificium aeque ac oblatio beneficentiam Dei agnoscere intendat; tota quanta praeterea radicatur haec specificatio in ipsa forma physica, quam illi actus externe prae se ferunt. « In actu voluntario (enim) invenitur duplex actus, scilicet actus interior voluntatis et actus exterior : et uterque horum actuum habet suum objectum. Finis autem proprie est objectum interioris actus voluntarii ; id autem circa quod est actio exterior, est objectum ejus. Sicut igitur actus exterior accipit speciem ab objecto circa quod est ; ita actus interior voluntatis accipit speciem a fine, sicut ab objecto proprio » (1), et ideo « dicendum quod quando multi actus specie differentes ordinantur ad unum finem, est quidem diversitas speciei ex parte exteriorum actuum ; sed unitas speciei ex parte actus interioris » (2).

Omnes actiones itaque, quae ad virtutem religionis pertinent, sunt unius speciei ex parte actus interioris, ex parte nempe formae metaphysicae ; sed specie differunt, seu ab invicem distinguuntur, ex parte actus exterioris seu formae physicae ; haec forma physica quinimmo respectum suum specificum ipsi formae metaphysicae quasi imprimit, nam licet essentialiter eadem maneat ordinatio in cultum divinum, quam in adoratione v. g., in oblatione et in sacrificio reperire est, adoratio nihilominus potius in divinam reverentiam refertur, quoniam hanc reverentiam magis pandit genuflexio aut prostratio, qua voluntas adorandi Deum exterius manifestatur ; oblatio similiter in recognitionem divinae beneficentiae ordinatur, quoniam omnia a Deo accipimus ; per sacrificium autem rem destruimus, itaque patenter supremum Dei dominium profitemur, quia Dominus est creator et gubernator omnium.

* * *

Hanc intimam relationem mutuam formae, tum physicae, tum metaphysicae, concinne jam expressit s. Augustinus : « Sacrificium visibile, ait, invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum, est » (3), et ex contextu constat mentem Hipponensis eam esse : actio sacrifica, quae ex sese signum est ad quodcumque, fit sacrum signum per significationem seu per finem intentum ; pergit enim : « Unde ille poenitens apud prophetam, vel ipse propheta

(1) *Sum. Theol.*, I-II, q. 18, a. 6, c.
(2) *Ibidem*, ad 3m.
(3) S. Aug., *De Civit. Dei*, X, n. 5 (PL., XLI, 282).

quaerens Deum peccatis suis habere propitium : Si voluisses, inquit, sacrificium dedissem utique ; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus ; cor contritum et humiliatum Deus non spernet. — Intueamur quemadmodum, ubi Deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. Illo igitur quod eum nolle dicit, hoc significatur, quod eum velle subjecit. Sic itaque illa Deum nolle dixit, quomodo ab stultis ea velle creditur, velut suae gratiae voluntatis. Nam ea sacrificia quae vult, quorum hoc unum est, cor contritum et humiliatum dolore poenitendi, nollet eis sacrificiis significari, quae velut sibi delectabilia desiderare putatus est, non utique de his offerendis in lege vetere praecepisset » (1).

Per hanc significationem, qua immolatio victimae in cultum divinum refertur, ipsa mactatio signum constituitur, et signum quidem sacrum, quatenus ad sensus religiosos exprimendos ordinatur ; ipsa adjuncta quinimmo, in quibus sacrificium perficitur, et caerimoniae, quae mactationem circumstant, cum ipsa immolatione in unum signum sacrum coalescunt, et ad sacrificium concrete spectatum adeo pertinent, uti in secunda sectione superius affirmavimus.

*
* *

Ex comparatione ad quemvis alium actum ejusdem virtutis religionis haec adhuc illustrare favet :

Adoratio, quae per genuflexionem praeprimis aut per prostrationem exprimitur, « principaliter quidem in interiori Dei reverentia consistit » (2) ; haec intentio Deum colendi, actum ex se indifferentem, qui ad quemvis scopum peragi potest, ad « esse religiosum » evehit et in cultum divinum ordinat. Verum, haec ordinatio externe generatim apparet vel ex modo reverentiali quo fit genuflexio, vel ex aliis circumstantiis, puta loci, ut si ante Sanctissimum perficiatur. Actio externa non refertur ad finem adorationis per illa adjuncta, nam, si fiat genuflexio reverentialis ex hypocrisi aut fictione, vel si peragatur ante Sanctissimum, quavis alia de causa, non autem ex motivo religionis, non erit actus adorationis, licet physice et externe ab actu religioso non differat.

Similiter in sacrificio offerendo, absente intentione offerentis, cunctis etiam adamussim observatis caerimoniis, mactatio non erit

(1) S. Aug., *ibidem*.
(2) *Sum. Theol.*, II-II, q. 84, a. 2, ad 2m.

sacrificium (1); praesente autem intentione colendi Deum, ipsa immolatio fit sacrum signum, et aliae caerimoniae seu alii ritus, qui hanc mactationem circumstant, et intentionem religiosam offerentis magis pandunt atque manifestant, cum ipsa caesione victimae unum efficiunt signum sacrum, adeoque ad sacrificium concrete spectatum pertinent, sed formam metaphysicam non constituunt, uti quidam auctores opinati sunt, quos postea, in objectionibus solvendis, redarguemus; forma physica etiam dici nequeunt, quia sensu stricto ad essentiam sacrificii non faciunt, uti jam animadvertimus, et infra penitius adhuc ostendere intendimus.

Mactatio ipsa, quae est centrum totius actionis externae, est igitur forma physica; significatio est forma metaphysica; caerimoniae, utputa aspersiones variae et combustiones diversae sub VT. praescriptae, aut adhuc ipse locus, in quo victima occiditur, quamquam immolationem non evehunt ad « esse religiosum », (quod quidem praestatur a significatione aut fine intento), manifestant nihilominus hanc immolationem uti sacram; hac de causa simul cum mactatione unum actum religiosum, unum sacrificium concrete consideratum faciunt. Similiter in sacramentis novae legis, caerimoniae non constituunt essentiam sacramenti, sed intentionem et effectum producendum magis pandunt, itaque ad sacramentum concrete spectatum pertinent.

Ex his intelligitur quemadmodum, si excipiamus mactationem, quae essentiam sacrificii uti forma physica fundat, diversi possint

(1) Cf. SUAREZIUM, *o. c.*, disp. 73, sect. VI, n. 3. — Minus nobis probantur quae scribit CARD. DE LUGO, *o. c.*, disp. XIX, sect. I, n. 13: « Licet ex parte ejus, qui offert sacrificium, non esset affectus interior quo suam etiam destructionem offerret, si necessaria esset, in cultum Dei, quam voluntatem diximus significari exterius per actionem sacrificandi; adhuc illud esset essentialiter sacrificium, quia esset signum significans illam voluntatem internam ». — Et enim haec significatio foret mere potentialis, sicuti ipse cl. auctor tacite concedit, ubi destructionem vocat signum congruum, sed ex se ad quemcumque finem exprimendum indifferens. Essentia porro alicujus rei non tantum potentia sed actu esse debet. Ob hanc singularem opinionem affirmare potest Card. de Lugo « mactare » idem dicere ac « sacrificare »; nos autem id plane negamus, nisi mactatio audiatur jam sacra, id est, immolatio, uti supra diximus. — Videsis item ILL. LAMBRECHT, *o. c.*, p. 48 et STENTRUP, *o. c.*, II, p, 233, qui Lugonem sequuntur. — Notamus ex eadem absentia intentionis explicari cur incensationes variae, in cultu christiano adhuc usurpatae, non sint sacrificia, sicuti in cultu hierosolymitano fuere; certo, ex institutione divina excluditur quominus incensationes nunc cum hac significatione adhiberi possint; attamen ratio profunda manet, quia absque tali intentione peragi debent; eadem de causa martyrium inter sacrificia non annumerandum erit.

esse ritus, juxta diversa sacrificia; complexus vel imo caerimoniarum, quae in immolatione victimae, secundum praescriptiones legis, ex integro debebant observari, in aliis sacrificiis pene desiderari poterant, dummodo intentio offerentis alia quavis ratione satis manifestata fuerat.

Art. 5. — De ministro legitimo qui tanquam causa efficiens in sacrificio considerari potest.

Synthetice hucusque expositum habemus, quid ut materia sacrificii, quid deinde ut forma, quid denique ut finis qui intenditur (1), teneri debeat; in sectione praecedenti vero quartum adhuc elementum, in cultu saltem publico, admittendum demonstravimus et diximus ministerium alicujus viri legitime constituti ad sacrificium esse necessarium; hoc ex modo praeoccupatis de connexione signum inter et significationem jam suspicari fas est : destructio enim non est signum naturale, quod ex se determinatam habeat significationem, sed est signum ad quodcumque, quod ad significationem sacram referri indiget.

Disputatur inter doctores utrum determinatio illa, qua mactatio ad debitum Dei cultum exprimendum ordinatur, necessario postulet interventum divinum, an vero sufficiat institutio humana (2); qui institutionem humanam sufficientem pronuntiant, ulterius inquirunt utrum haec institutio fieri possit auctoritate privata, an vero ab auctoritate publica dependere debeat. Affirmat Vasquezius (3) sufficere institutionem privatam; negat vero Card. de Lugo, Suarezium (4) secutus, « quia sacrificium in sua essentia, est signum humanum politicum » (5).

Attamen Suarezius etiam concedit : « Si contingeret, aliquos homines tam solitariam vitam agere, ut nullius reipublicae essent membra, liberum unicuique esset uti decentibus signis externis

(1) S. Thomas adhuc alium sacrificii finem indicat, in *Sum. Theol.*, II-II, q. 81, a. 5, c., nempe « finem cui » offerri debeant sacrificia : « Affertur Deo debitus cultus in quantum actus quidam, quibus Deus colitur, in Dei reverentiam fiunt, puta sacrificiorum oblationes et alia hujusmodi. Unde manifestum est quod Deus... comparatur ad virtutem religionis... sicut finis ».

(2) De hac quaestione, cum origine sacrificii connexa, jam supra verbulum addidimus; cf. adhuc Suarezium, *o. c.*, disp. 73, sect. III, n. 1 s.; Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 13 s.; Ill. Lambrecht, *o. c.*, p. 49 s. et p. 63 s.; Grimal, *o. c.*, p. 8 s.

(3) Vasquezius, *o. c.*, disp. 220, cap. III, n. 19.

(4) Suarezius, *o. c.*, disp. 73, sect. IV, n. 2 s.; sect. V, n. 8.

(5) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. I, n. 11.

proprio arbitrio determinatis ad colendum Deum » (1), et advertit s. Thomam docere, ubi quaerit utrum omnes teneantur ad sacrificia offerenda : « Respondeo dicendum quod duplex est sacrificium,... quorum primum et principale est sacrificium interius, ad quod omnes tenentur : omnes enim tenentur Deo devotam mentem offerre. Aliud autem est sacrificium exterius,... et ad hoc aliter tenentur illi qui sunt sub lege nova vel veteri : aliter illi qui non sunt sub lege. Nam illi qui sunt sub lege, tenentur ad determinata sacrificia offerenda secundum legis praecepta. Illi vero qui non erant sub lege tenebantur ad aliqua exterius facienda in honorem divinum, secundum condecentiam ad eos inter quos habitabant : non autem determinate ad haec vel illa » (2).

Uti ex textu allato apparet, divus auctor quaestionem movet non de illo, qui solitarie viveret, sed de illo, qui inter gentes distinctas a populo judaico habitaret. Angelicum ceteroquin per « exterius facienda » intelligere quaedam alia sacrificia, cum maxima probabilitate asseverari potest, ubi responsum attenditur ad primam objectionem, quam ita dissolvit : « Ergo dicendum quod ad illa determinata sacrificia quae in lege erant praecepta, non omnes tenebantur : tenebantur autem ad aliqua sacrificia interiora vel exteriora, uti dictum est » (3). Ad interiora omnes enim eodem modo,

(1) Suarezius, *o. c.*, disp. 73, sect. IV, n. 6. — Advertatur quemadmodum homo jam sacrificium instituerit eo ipso quod elegerit tale signum determinatum seu talem determinatam formam, qua intentionem suam colendi Deum patefaciat. Similiter dicendum de auctoritate publica, quae solo eodemque actu, quo determinatam formam sacrificii assumit, sacrificium simul instituit. Fieri potest igitur ut electio formae determinatae et institutio determinati sacrificii, ab ipsa intentione offerentium non nisi ratione distinguantur. Haud perspicimus itaque quo spectent haec verba, quae legere est apud Stentrup, *o. c.*, II, p. 214 : « Si proinde significationem intelligis non fundamentalem et remotam, sed actualem, quae ipsa est vis et potestas significandi, ea est ex institutione. Quamobrem haec vis non est realiter aliquid sacrificio intrinsecum, sed est denominatio extrinseca ab institutione proveniens. Quod tamen minime obstat, quominus velut forma metaphysica sacrificii merito consideretur. Vim namque istam mens nostra ad modum alicujus intrinseci in sacrificio ex institutione resultantis concipit; unde eam ens morale intrinsecum appellare licet ». — Uti vero superius exposuimus, haec intentio etiam physice cum actione sacrificali intime cohaeret; adjuncta nimirum ipsius immolationis, puta solius loci aut altaris, caerimoniae deinde, ut aspersiones variae sub VT., hanc intentionem in ipsa actione exprimunt, et hanc actionem uti sacram signant; unum itaque constituitur *signum sacrum*. Finis autem, qui in sacrificio intenditur, dicitur intentio prout in offerente spectatur, sed significatio vocatur, prout externe, per signum sacrum, manifestari concipitur.

(2) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 4, c. (3) *Ibidem*, ad 1m.

ad exteriora vero diversimode tenebantur prout legi suberant, aut liberi a lege censebantur.

Mox addit tamen ipse Suarezius : « Nihilominus... quia neque naturale est homini solitariam vitam agere, neque etiam est moraliter possibile, ut in republica humana, praesertim bene instituta, non sint sacrificia publica auctoritate definita, ideo simpliciter loquendo de sacrificiis, prout moraliter veniunt in usum hominum, dicendum est, ut legitima sint, necessario publica auctoritate fore instituenda; nec nomen sacrificii in propria et usitata significatione, posse attribui alicui signo, nisi publica lege sancitum sit » (1).

Deductione igitur innuitur, quod inductione comprobavimus : ad essentiam sacrificii quartum elementum subjungere oportet, quod ad causam efficientem reducere licet, ministerium scilicet alicujus viri legitime constituti, et in hanc thesim ita pressius definitam omnes doctores profecto convenient ; historice enim si spectatur problema, sacrificium ubique gentium a legitimo ministro fuisse oblatum prorsus indubium apparet.

* * *

Pervenimus itaque ad *definitionem sacrificii* completam, per materiam et formam, per causam finalem et efficientem, quam nunc enuntiamus et in hoc articulo vindicavimus :

Sacrificium est *oblatio, qua, per destructionem ipsius vitae humanae, aut rei sensibilis et permanentis, vitam humanam repraesentantis eique substitutae, a legitimo ministro peractam, supremum Dei dominium agnoscitur.*

Res oblata est *materia* sacrificii ; *destructio*, — quae potest esse *realis*, quando nimirum res oblata *quoad substantiam* per mactationem vel combustionem destruitur, aut etiam *aequivalens*, quando vinum v. g. vel lac effunditur, itaque destruitur, non quoad substantiam, sed *quoad modum*, seu *quoad formam externam*, — dicetur *forma physica* in sacrificio, aut etiam simpliciter dicetur *forma sacrificii*, juxta explicata superius ; *finis*, qui in sacrificio offerendo intenditur quique *significatio* vocatur, prout externe per destructionem, per signum sacrum, manifestari concipitur, est *forma metaphysica ; minister legitimus* tandem, qui rem offert et

(1) Suarezius, *o. c.*, disp. 73, sect. IV, n. 6. — Ubi auctoritate publica, et magis adhuc ubi dispositione divina, cultus determinatus fuerit, quaelibet alia forma cultus excluditur ; inde sub nova oeconomia, combustio incensi, etiam si fieret cum intentione rei destruendae in honorem divinum, non esset sacrificium Deo acceptum.

actionem destructivam circa rem oblatam ad debitum Dei cultum ordinat simul ac eamden intentionem pandit, tanquam *causa efficiens* considerari potest.

Concludimus hanc disquisitionem animadvertentes sacrificium esse actum supremum cultus, quandoquidem « significat omnimodam dependentiam et correspondens dominium Dei in omnes res et signanter in nos absolutum, pertingens usque ad ipsam rationem entitatis nostrae » (1) ; hac de causa adhuc soli Deo offerri potest, nam hoc « videmus in omni republica observari quod summum rectorem aliquo signo singulari honorant » (2) ; soli Deo porro supremum dominium exclusiva et propria ratione convenit (3).

(1) A. Desmet, apud period. *Coll. Brugen.*, IV, p. 328, 1899. — Recte adhuc animadvertit cl. auctor, *ibidem*, p. 328, n. 1 : « Nobilior sane est actus cultus, quo confitemur Dei dominium in nos, quam in bona tantum exteriora ». Ita nimirum intelligitur cur sacrificium incensi, — si substitutionem pro vita humana non involvat, et potius sit in demonstranda nostra reverentia erga Deum, per destructionem nempe alicujus rei pretiosae nobis conjunctae, — sensu minus stricto appellari debeat sacrificium. Hoc sacrificium incensi igitur secundarium videtur relate ad sacrificium cruentum, quod dici potest primarium, quippe quod perfectam nostram submissionem erga Deum exprimat, et simul, supremum Dei dominium in nos absolutum significet ; vide infra, ubi de sententia a Scheeben prolata, disputabimus.

(2) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 2, c.

(3) *Ibidem*, ad 1m.

CAPUT II.

REFELLUNTUR OBJECTIONES QUAE ADVERSUS DEFINITIONEM MODO STATUTAM AFFERUNTUR.

In hoc altero capite partis primae, diversas sententias examinare intendimus, quae de sacrificio in genere propositae fuerunt, easque per modum objectionum contra theoriam a nobis modo prolatam et vindicatam crisi subjiciemus. In sectione prima eas videbimus difficultates, quae potius oppugnant asserta, in sectione secunda prioris capitis allata, ubi elementa ad sacrificium generice sumptum necessaria determinavimus ; in altera sectione objectiones dissolvemus, quae ipsam nostram definitionem, in sectione tertia prioris capitis statutam, magis directe impetunt.

Sectio I.

De variis aliis sententiis, quae elementa sacrificii diversimode determinant.

Sectio prima triplici articulo constabit, sed in omnibus his articulis difficultates coarctabimus ad ipsam actionem sacrificam, quae est forma physica aut imo formale in sacrificio, quoniam objectiones hoc elementum sacrificii directe, cetera vero elementa indirecte tantum attingunt.

In articulo primo ponderabimus argumenta, quibus doctores quidam, praesertim dogmatici, notam destructionis haud essentialem esse sacrificio demonstrare moliuntur ; in articulo secundo librabimus rationes ab iisdem auctoribus excogitatas, ut actionem sacrificalem ad immutationem perfectivam redigant ; in articulo tandem tertio audiemus imprimis historiographos religionum et exegetas, qui convivium declarant esse essentialiter sacrificii constitutivum, aut imo totam essentiam sacrificii reducere satagunt ad epulas quasdam Deo oblatas, vel cum Deo celebratas.

Art. 1. — De theoriis quae notam destructionis in sacrificio necessariam esse negant.

Ex duplici capite praesertim arguunt theologi, qui destructionem ad essentiam sacrificii pertinere infitiantur : primo, *ex ipsis*

terminis, quibus sacrificia designantur : deinde *ex quibusdam sacrificiis* determinatis, quae, ad mentem ipsorum, talem destructionem non involvunt (1).

§ 1. — *Argumenta ex etymologia desumpta.*

Primam difficultatem, ex etymologia hauriendam, jamdudum indicavit Suarezius (2), sed magis ex professo tamen exponitur eadem objectio apud recentiores quosdam, uti Scheeben (3), et plane radicalis hoc modo apud Mortimer enuntiatur : Si quis velit varia vocabula, quae in materia sacrificali usurpantur, crisi subjicere, facile ipsi constabit destructionem nulla ratione sacrificio esse essentialem (4).

* * *

Libenter vero concedimus haec verba, ut « sacrificare », quod est « sacrum facere » ; « mactare » a « magis augere » aut « magis auctare », quod per euphemismum dicitur de ipsa actione animalis caedendi in honorem divinum ; « litare », aut « lutare » secundum antiquiorem formam, quod a « luere » derivandum videtur, et « immolare » tandem, quod usum imponendi molam salsam describit, rem nullatenus dirimere ; hac de causa argumentum ex etymologia, in altera sectione capitis prioris, adducere praetermisimus, sed neque objectionem inde accipimus, nisi ex etymologia clare eluceat oppositio quaedam ad illam notam destructionis, quam ubique gentium in oblatione sacrificii proprie dicti reipsa detegimus, atque omnino admittendam comprobavimus.

Principium erroris apud cl. doctorem in eo videtur, quod supponit necessarium esse ut voces in significatione sua intrinseca (5), occisionem victimae referant, quasi caesio, seu destructio vitae, sacrificium exclusive constitueret. Nunc autem varia haec vocabula non nisi respectum varium indigitant ejusdem oblationis, quae diversa adhuc elementa, praeter destructionem, complectitur. Ita v. g. verbum « sacrificare » solum adspectum genericum actionis

(1) De sententia Vasquezii infra disseremus ; hic enim auctor destructionem ad sacrificium, quod dicit absolutum, omnino necessariam proclamat, sed eamdem negat in sacrificio relativo, quale unicum sacrificium Eucharisticum agnoscit.

(2) Suarezius, *o. c.*, disp. 73, sect. V, n. 4.

(3) Scheeben, *Dogmatik*, III, p. 388 s.

(4) Mortimer, *o. c.*, p. 34.

(5) *Ibidem*, p. 474.

sacrae exprimit, neque addit in quonam sit illud « sacrum facere », quin adeo, uti patet, rem per destructionem esse sacrificandam excludat; magis specificum est verbum illud « lutare » seu « litare »: « lutare est (enim) propitiare ac votum impetrare », itaque cum hac expressione jam quidam finis specialis in oblatione intentus indicatur (1); similiter in verbo « mactare » reperire est significationem generalem omni sacrificio communem : prius enim ipsi dii dicebantur mactari aut honorari, puta extis; deinde potius de victimis pronuntiatum est easdem mactari aut caedi in honorem divinum (2); in locutionibus autem : hostias (pro hostibus arcendis) vel victimas (pro victoria) caedere, scopus jam adumbratur, qui per sacrificium intenditur, sed patenter simul ad destructionem vitae alluditur; verbum denique « immolare » ritum imponendae molae salsae describit at postea totam actionem sacrificalem designavit, et ea quidem ratione, quod bene animadvertit cl. Scheeben (3), ut ipsa occisio, ad quam victimam per impositionem molae consecrabant, jam sancta et in cultum divinum referenda demonstraretur.

* * *

Eamdem analysim pro religione graeca instituere fas est, et rursum alii quidam termini rem generice, alii vero rem magis specifice proponunt; nullum tamen verbum indicare est, quod destructionem excludat (4). Praeprimis immoratur Scheeben (5) in expla-

(1) Cf. Pitisco, *Lexicon Antiquit. Rom.*, II, p. 470, citatum apud Mortimer, *o. c.*, p. 474 et Bréal-Bailly, *Dictionnaire étymologique latin*, ad verbum *lito*, p. 168, Paris, 1911[7]. — Formam antiquam « lutare » reperire est apud Plautum, *Poen.*, II, 42 et Varronem, *Non.*, II, 482; « litare » dicebant prius de diis quos litabant, uti adnotat Serv. ad Virg., *Aen.*, IV, 50; cf. Marquardt, *o. c.*, III, p. 180, n. 9 et p. 182, n. 10.

(2) Cf. Pitisco, *o. c.*, II, p. 510, apud Mortimer, *o.* et *l. c.* et Bréal-Bailly, *o. c.*, ad vocem *magis*, p. 178. — Ita apud Cicer., *Vatin.*, 6, 14, legere est : « Deos ... extis mactare », sed postea de ipsis hostiis mactatis loquebantur, uti advertit Serv. ad Virg., *Aen.*, IV, 57; cf. Marquardt, *o. c.*, III, p. 180, n. 9.

(3) Scheeben, *o. c.*, III, p. 389.

(4) Mortimer, *o. c.*, p. 475 adducit : *προσφέρειν*, *ἀναφέρειν*, *λειτουργεῖν*, *λατρεύειν*, etc.; haec verba manifeste non includunt notam destructionis, sed neque illam excludunt; *σφάζειν*, quod proprie est jugulare, actionem sacrificalem tanquam caesionem describit; *τελετή* (a *τέλλω*, *τελέω*) non ex se, uti putare videtur Vasquezius, *o. c.*, disp. 220, cap. II, n. 13, sed ex contextu, actionem sacram signare potest; ita ceteroquin etiam *ποιεῖν*, *δρᾶν* et *ῥέξειν*.

(5) Scheeben, *o. c.*, III, p. 389.

nanda voce *θύειν* (unde derivantur *θυσιάζειν* et *θυσιατήριον*), cujus sensum primitivum dicit esse « suffire » ; hoc verbum revera cum tali significatione apud Homerum legimus (1), sed sensu, quo posteriore tempore adhibebatur, *θύειν* caesionem animalis sacram signasse nemo sane negabit (2). Ex significatione illa primitiva firmissimum argumentum in favorem sententiae immutationis perfectivae desumendum censet cl. auctor ; de his statim disputabimus, at interim nos latet quemadmodum hoc etymon vocis *θύειν* opinioni offendat, quae destructionem sacrificalem ad essentiam sacrificii necessariam esse vindicat, nisi combustio sit magis actio perfectiva quam destructiva, quod Scheeben reapse dicit, sed immerito, uti statim comprobabimus.

* * *

Hebraice sacrificium dicitur generice מִנְחָה aut קָרְבָּן, id est, oblatio ; magis specifice vocatur שֶׁלֶם (pacificum), חַטָּאת (peccatum) vel etiam אָשָׁם (delictum), et his terminis jam finis sacrificii exprimitur. Holocaustum = עֹלָה (ab עָלָה = ascendere in ignem) actionem sacrificalem per totalem combustionem perficiendam describit ; כָּלִיל probabiliter sacrificium per ignem designat; זֶבַח tandem a זָבַח = caedere, et per synecdochen = caedere in victimam = mactare, cum verbo graeco *σφάζειν* potius conferendum venit ; זָבַח generavit insuper substantivum מִזְבֵּחַ, quod dicit locum mactationis aut altare, et in quibusdam locutionibus adhuc reperitur, uti זֶבַח שְׁלָמִים = sacrificium pacificum, quod ex triplici capite oblatum fuisse legimus : ad gratias agendas scilicet (ז'תּוֹדָה), ad votum solvendum (ז'נֶדֶר), aut sponte tandem ad beneficium impetrandum (ז'נְדָבָה) ; in his expressionibus igitur finis oblationis rursum indicatur et caesio victimae simul patenter demonstratur.

His sat superque constare confidimus nullam validam objectionem afferri ex etymologia ; non percipimus ergo quare Scheeben contendat certo non favere alicui sententiae necessitatem, quam haec habet ut sensum primogenium terminologiae sacrificalis deserat et significationi alicui derivatae unice intendat (3). Paucos revera terminos indicare esset, qui ipsam essentiam hujus rei quam designant, perfecte exprimunt, et hac de causa nullum argumentum ex etymologia deduximus, sed difficultatem ex eadem etiam non admittimus.

(1) Hom., *Ilias*, IX, 219 ; *Odyss.*, IX, 231 ; XIV, 446.

(2) Cf. Herodot., I, 126, 216 ; Pindar., *Od.*, XIII, 96 ; in NT. vide *I Cor.*, X, 19 et *Hebr.*, XIII, 19.

(3) Scheeben, *o. c.*, III, p. 389.

§ 2. — *Argumenta ex quibusdam sacrificiis deprompta.*

Alia est tamen methodus impugnandi theoriam destructionis, arguendo nimirum ex factis : si essent enim sacrificia aliqua proprii nominis, absque destructione rei oblatae peracta, haec nota destructionis procul dubio a definitione sacrificii excludenda foret.

Ideo jam a primo tempore, quo de essentia sacrificii disputarunt, Suarezius comprobare conatus est dari tales oblationes quae proprie nihilominus erant sacrificales; quamvis enim, ait, secundum frequentiorem usum animalia interficerentur, et inanimata torrerentur, « tamen non fuit hoc ita perpetuum, et necessarium, quin absque hujusmodi actione, vel tanta immutatione, interdum legamus sacrificium oblatum. Melchisedech enim, Gen., VII, sacrificium Deo obtulit in pane et vino, ubi non legimus immutationem aliquam factam circa rem oblatam, nisi fortasse, quod panis ille et vinum externa demonstratione oblata sunt Deo cum aliqua benedictione, seu elevatione, vel fractione, et distributione, ac sumptione per modum cibi et potus sanctificati ; et in Levitico similia sacrificia reperientur, praesertim in panibus propositionis » (1).

*
* *

Ut difficultatem hanc evitaret, negavit Card. de Lugo (2) oblationem panum fuisse sacrificium proprie dictum, sed Card. Franzelin (3) characterem sacrificalem hujus oblationis vindicavit et simul hac ratione destructionem in ea demonstrandam suscepit :

« Panes una cum thure imposito, ait, considerandi sunt ut unum totum, in quo thus additum erat ad expressiorem significationem sacrificii. Sicut ergo in aliis sacrificiis non totum cremabatur (exceptis holocaustis), sed per combustionem partis sufficienter expressa erat significatio symbolica et propria ratio sacrificii ; ita etiam hîc combustio partis satis esse poterat ad rationem sacrificii. At panes ipsi non consumebantur per modum convivii ad sustentationem sacerdotum, ut in aliis quibusdam oblationibus fieri solebat, sed per manducationem sacram, cujus finis erat destructio rei consecratae et ita completio sacrificationis : « Eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto : quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini (מֵאִשֵּׁי יְהוָֹה), jure perpetuo » (4).—Ex hac voce : מֵאִשֵּׁי, quam adhuc ad textum refert Levitici, ubi sanctitas a sacer-

(1) Suarezius, *o. c.*, disp. 73, sect. V, n. 5.
(2) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. I, n. 9.
(3) Franzelin, *o. c.*, thes. II, p. 313 s.
(4) *Lev.*, XXIV, 9.

dotibus expostulatur, quia « incensum Domini, et panes Dei sui offerunt » (1), em. doctor argumentum suum confirmat ; panes enim coram Domino propositi expresse sacrificiis proprii nominis annumerari videntur.

Revera difficulter hoc negatur pro priore testimonio, ubi ad litteram, post descriptam praeparationem panum, legitur : « Et pones super eos thus lucidissimum, ut inserviat pani in monimentum (seu memoriale sacrificii) per ignem Jahve (וְהָיְתָה לַלֶּחֶם לְאַזְכָּרָה אִשֶּׁה לַיהוָה) » (2). Ritus hujus oblationis describitur igitur modo omnino parallelo ad illam caerimoniam, qua *minḥâh*, seu sacrificium incruentum, offerendum esse supra comperimus.

Ad alterum locum vero deceptus fuit auctor textu Vulgatae, quae haec habet : « Sancti erunt (sacerdotes) Deo suo, et non polluent nomen ejus : incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt... Et panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos » (3). Lingua primogenia porro apud Leviticum ponitur : « Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen Dei sui, quia (sacrificia) per ignem Jahve, panem Dei sui, ipsi offerentes (כִּי אֶת־אִשֵּׁי יְהוָה לֶחֶם אֱלֹהֵיהֶם הֵם מַקְרִיבִם), et erunt sancti (קֹדֶשׁ, res sacra), ... et habebis eum (sacerdotem nempe) sanctum, quia panem Deo tuo ipse (est) offerens (כִּי אֶת־לֶחֶם אֱלֹהֶיךָ הוּא מַקְרִיב) ; sanctus erit tibi, quia sanctus (sum) ego... ». Uti patet, in hoc secundo textu non agitur de panibus propositionis, sed de quolibet sacrificio, quod *léḥém*, id est, panis Jahve pronuntiatur. Attamen, valida manet interpretatio Card. Franzelin pro priore testimonio, ubi panes simul cum thure, per modum unius sacrificii per ignem, considerari videntur ; in hoc sacrificio pars tantum oblationis, memoriale videlicet, per combustionem sacrificatur.

Qui hanc explicationem haud sufficientem habet, quia rei destructionem nihilominus desiderari putat (4), ritum descriptum

(1) *Lev.*, XXI, 6.

(2) *Lev.*, XXIV, 7 ; in *Vulg.* : « Ut sit panis in monimentum oblationis Domini ».

(3) *Lev.*, XXI, 6, 8.

(4) Vasquezius, *o. c.*, disp. 220, cap. III, n. 28, panes propositionis pariter ut sacrificium habet, et coctionem ut actionem sacrificalem proponit, nam « sacerdotes huic ministerio coquendi panes non minus attendebant, quam ministerio occidendi, et mactandi animalia, quae occisione, et mactatione in sacrificium offerebantur », sed Card. de Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. I, n. 9, recte animadvertit sacrificium non in clibano, sed in altari offerendum esse, et coctionem insuper magis ad confectionem quam ad destructionem ordinari.

cum Lugone ad oblationem stricte dictam reducere poterit ; ita praesertim si solos panes, absque thure imposito, attendere libuerit; « oblatio autem directe dicitur cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat ; sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quos nihil fit » (1).

In confirmationem hujus opinionis auctoritatem s. Thomae, ad locum modo laudatum, invocare licebit, si per panes intelligere fas est panes coram Deo propositos, atque huic sententiae certo favet Scriptura sacra, quae mensam hanc, in qua panes collocandi erant, nullibi nomine altaris designat, neque ubilibet in ipsius descriptione ad cornua alludit, quae elementum distinctivum altaris proprie dicti sub VT. constituebant (2).

* * *

Difficultati tandem, quam urgent quidam doctores ex sacrificio Melchisedech, haud arduo negotio respondetur. Sic enim sonat textus : « At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem et vinum (הוֹצִיא לֶחֶם וָיָיִן), erat enim (וְהוּא ad litteram = et ipse) sacerdos Dei altissimi (כֹהֵן לְאֵל עֶלְיוֹן), benedixit ei... » (3).

Totum argumentum autem in hoc est, quod cum non doceamur modum oblati sacrificii, statim concludunt nihil circa panem et vinum factum fuisse ; omittunt vero iidem theologi rationem assignare cur ritum hujus sacrificii accuratius describere debuisset auctor sacer, et hac animadversione funditus ruit argumentum, quod ex solo silentio deductum erat.

(1) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 3, ad 3m.

(2) Cf. A. Van Hoonacker, *art. cit.*, apud RBI., NS., XI, p. 179, 1914 : « Jamais dans la loi ni dans d'autres documents, là où il est certain que la table est visée, celle-ci (id est, mensa panum propositionis) n'est appelée autel ou n'est caractérisée par quelque trait permettant de lui appliquer ce nom... Pour la table de la loi (eadem mensa scilicet, prout describitur *Exod.*, XXV, 23 s. ; XXXVII, 10), il n'est pas question de cornes, et ceci montre une fois de plus, ... combien peu on lui reconnaissait la qualité d'autel ».

(3) *Gen.*, XIV, 18, 19a. — Ex textu hebraico non ita liquet agi impraesentium de oblatione sacrificii ; hoc pendet enim tum ab interpretatione vocis הוֹצִיא = protulit vel obtulit, (licet tamen sensus prior minus cum contextu conveniat), quum a connexione hujus membri : « et ipse sacerdos », sive cum verbo praecedenti : « obtulit », sive cum sequenti verbo : « benedixit ». At vero, integra traditio christiana, uti infra videbimus, hanc oblationem uti verum sacrificium et typum Eucharistiae habuit; vide etiam *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 1 (*Enchiridion*, n. 938) et Canonem Missae, ubi oblatio Melchisedech vocatur : « sanctum sacrificium, immaculata hostia ».

Absolvimus itaque objectiones praecipuas, quas imprimis theologi contra notam destructionis ex etymologia atque ex textu sacro moverunt. Advertere sufficiat in corroborationem opinionis nostrae, quemadmodum doctores qui historiae religionum quam maxime incubuere, et sacrificia varia descripsere, communi ratione admittant aliquam destructionem ad sacrificium esse necessariam, licet etiam postea in explicanda hac destructione in vias diversissimas abeant. De quaestione facti interim non nisi inter theologos ambigitur, sed *nullum argumentum serium obviavimus, quod hanc notam destructionis a sacrificio excludat.*

Art. 2. — De theoria immutationis perfectivae.

Plerique auctores dogmatici, qui negant destructionem esse essentialem sacrificio, actionem sacrificam praeterea tanquam immutationem perfectivam proponunt, et ita jam Suarezius (1), quamvis rem oblatam secundum usum frequentiorem destruendam esse profiteretur, ob difficultatem sacrificii in Eucharistia vindicandi praevisam, actionem perfectivam etiam sufficere ad verum sacrificium asseveravit. Nullum argumentum speciale ipse attulit, sed characterem supernaturalem transsubstantiationis solum invocavit; cf. Scheeben itaque, qui saeculo elapso praecipuus propugnator hujus theoriae exstitit, novas considerationes excogitare debuit, quas a VT. mutuavit, ut cuncta sacrificia a lege praescripta per immutationem perfectivam explicaret. Quoniam hanc demonstrationem ratiocinatione sat complexa et intricata suscipiat, pressius ipsius verbis insistemus, atque eadem hinc inde ad litteram, quantum licebit, referemus.

§ 1. — *Rationes prolatae in favorem sententiae immutationis perfectivae.*

Praemissa assertione, quam in parte prooemiali memoravimus, Vasquezio nimirum tribuendam esse perversionem et coarctationem notionis sacrificii, advertit Scheeben primo, praeter immutationem destructivam haberi quamdam immutationem perfectivam, seu consummativam, id est, transformativam in melius; in hac immutatione non datur revera consumptio, aut destructio ipsius rei offerendae, sed absumptio potius alicujus objecti imperfecti, quod in objectum magis perfectum transfertur (2). Ad talem immutationem alludit

(1) Suarezius, *o. c.*, disp. 73, sect. V, n. 5.
(2) Scheeben, *Dogmatik*, III, p. 400.

vox graeca τελετή, eamque praeprimis reperimus in oblatione incensi ; haec oblatio autem quasi centrum fuit atque anima totius cultus antiqui foederis ; ex hac igitur cetera sacrificia intelligamus oportet (1).

Jamautem, inquit, verbum graecum θύειν (hebr. : קִטֵּר , הִקְטִיר ; lat. : adolere seu ascendere in fumum, in odorem suavitatis) rem prorsus indubiam facit, nam combustionem describit ut immutationem resinae inanimatae in ens aliquod fortius, levius simul ac vividius, magis etiam spirituale ; eadem de causa sacrificium ipsum Eucharisticum nominatur מִקְטָר sive θυμίαμα in vaticinio Malachiae, et apud varios auctores aeque ac in diversis liturgiis, ignis sacer sacrificalis tanquam imago consideratur ignis illius spiritualis Paracliti, qui in consecratione Eucharistiae operatur (2).

Confirmatur haec consideratio ex oppositione vocis הִקְטִיר, quae absque ulla exceptione de combustione in altari perficienda adhibetur, ad verbum שָׂרַף, quod combustionem extra castra faciendam, in sacrificio puta pro peccato sacerdotis, designat. Haec oppositio praesertim apparet, quando utrumque verbum in eodem textu mutuo oppositum legimus (3), et explananda venit ex intimiore significatione utriusque vocis, quae prior, הִקְטִיר, combustionem sacram, eamque perfectivam, altera vero, שָׂרַף, combustionem communem, eamque destructivam indicat.

Simili ratione intelligendum est sacrificium luminis, nam illud, quod mutatio resinae praestat in oblatione incensi, id idem praestat immutatio olei in oblatione luminis ; pariter audiamus necesse est combustionem adipum, quandoquidem partes comburendae nuncupantur panis seu alimentum ignis Deo. Animadvertatur enim sedulo, pergit cl. doctor, quemadmodum in oblatione incensi aut olei, homo reipsa sese nulla re privare intendat, quoniam haec elementa suam utilitatem per ignem potissimum acquirunt ; idem porro obtinet in combustione adipum et vitalium, nam tales partes hostiae, licet meliores habeantur in usum sacrum, quia tanquam sedes vitae considerari possunt, de facto, ad usum hominum quod spectat, pejora dici debent ; ubi igitur igni traduntur et incensum, et oleum aut vitalia, non tam ipsam destructionem, quam actionem quamdam perfectivam attendamus oportet. Imo, in offerendis cibis, quibus homines vescuntur, certo aliqualem privationem et destructionem indicare fas est, sed in hac oblatione momentum destructionis nihilominus non praevalere prae immutatione perfectiva ex hoc satis constat

(1) Scheeben, *o. c.*, p. 400 et p. 416.
(2) *Ibidem*, p. 400.
(3) *Lev.*, IV, 10, 12 ; XVI, 25 et 27 s.

quod etiam in hoc sacrificio, in quo privatio magis exprimi deberet, in sacrificio nimirum pro peccato, combustio carnium super altari penitus desideratur (1).

Attamen manet in sacrificio cruento victimam reipsa occidi, quod sane non dicit actionem perfectivam, et haec est praecipua difficultas, quae cl. theologo dissolvenda restat. Hanc objectionem autem cum his animadversionibus removere satagit : elementum essentiale cujusvis sacrificii est ipsa combustio sacra, et mactatio hostiae non est nisi quaedam praeparatio ad actionem proprie sacrificalem et perfectivam, quae per ignem obtinebitur ; propter hanc causam immolatio sub VT. peragi poterat a viro laico et nunquam perficiebatur a sacerdote qua tali ; combustio vero exclusive ad sacerdotem pertinebat ; connexionem ergo immolationem inter ac combustionem ita definiemus ut hanc esse partem formalem dicamus in sacrificio, illam vero ut partem materialem aut etiam praeparatoriam habeamus.

Patescit vero statim momentum combustionis non esse tantum ut actionem sacrificalem integram ad eamdem coarctare possimus ; ideo cl. Scheeben aspersionem et effusionem sanguinis eadem ratione, tanquam actionem perfectivam videlicet, explicare molitur. Effusio sanguinis ad pedes altaris, ait, sicuti effusio vini in sacrificio non cruento, ut aliqua dissolutio concipi debet, per quam oblata in odorem suavitatis coram Deo ascendant. Illud in oratione Missalis ad oblationem calicis aperte ceteroquin insinuatur, itaque effusionem aeque ac combustionem ut « appropriationem » quamdam habebimus, per quam res oblatae Deo traduntur atque donantur (2).

Difficultas tamen cum hac explicatione nondum evanescit ; Scripturae sacrae parum consentire videtur, mactationem hostiae tam levi nexu ad sacrificium pertinere ; hac de causa cl. doctor connexionem inter elementum materiale, aut immolationem, et elementum formale, aut combustionem et effusionem, pressius determinat : per aspersionem et effusionem sanguinis ipsa mactatio rata habetur, et sanctificatio objectiva ad ipsam transfertur ; aspersiones quinimmo physice cum immolatione conjunguntur per actionem colligendi sanguinem, quae soli sacerdoti reservatur (3) ; addatur adhuc mactationem haud immerito tanquam dissolutionem quamdam considerari posse, qua hostia offerenda esse suum naturale

(1) Scheeben, *o. c.*, III, p. 401.

(2) *Ibidem*, p. 402 et p. 409 s. ; cf. etiam Ritschl, *o. c.*, II, p. 192 s. et Wellhausen, *Prolegomena*, p. 61 s.

(3) *Ibidem*, p. 411.

amittit, ut sub altera forma perseveret, et altiori scopo jam inservire queat (1).

Hac sententia, eaque sola, explanari vult cl. Scheeben cur ipsa laus divina, « fructus labiorum », tanquam sacrificium proponi possit (2) ; cur christianos hostiam viventem, sanctam, Deo placentem vocare liceat (3) ; cur etiam scribere fas sit : « ego autem in voce laudis immolabo tibi » (4). Sacrificium crucis tandem, quod fuit sacrificium per effusionem sanguinis quam maxime reale, perfecte non intelligitur, ad mentem ipsius, nisi simul sub ratione dissolutionis per ignem sacrum respiciatur (5).

*
* *

Priusquam ad crisim hujus theoriae transeamus, advertimus cl. Thalhofer pariter docere, quamvis essentiale sacrificii in mactatione victimae reponat, abstinentiam realem uniendam esse cum abstinentia aut privatione symbolica, uti ait, quae in immolatione exercetur ; haec abstinentia realis obtinetur per combustionem cibi in sacrificio non cruento, aut per combustionem vitalium in sacrificio cruento, et necessaria est quia per peccatum originale, non modo creatura rationalis sed adhuc creatura irrationalis quadam φθόρα infecta fuit. Ideo rebus creatis frui nefas est, antequam homo per abstinentiam et renuntiationem spontaneam has relationes corruptas restituerit et suum dominium in his rebus reparaverit. Propter hanc causam igitur quaedam objecta, et quidem meliora, usui hominum subtrahi et destrui debent, sed haec destructio non erit destructio simpliciter, sed potius purificatio, aut transformatio, aut adhuc « transfiguratio », qua res suam formam corruptam per ignem amittunt, ut aliam formam magis spiritualem induant, et odor suavitatis coram Deo appareant (6).

§ 2. — *Crisis hujus sententiae.*

Quisquis sententiam a cl. Scheeben prolatam attente perpenderit, statim animadvertet eamdem reduci ad quaedam principia, quae paucis his verbis resumi possunt : sacrificium incensi est quasi centrum et anima totius cultus judaici ; hoc sacrificium autem manifeste

(1) Scheeben, *o. c.*, p. 401.
(2) *Hebr.*, XIII, 15. (3) *Rom.*, XII, 1.
(4) *Jonas*, II, 10 ; cf. *Ps.* L (XLIX), 19.
(5) Scheeben, *o. c.*, p. 402 ; cf. adhuc *ibidem*, p. 436.
(6) Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 64 s. et p. 68 s.

absolvitur actione perfectiva, et pari ratione explicatur combustio tum olei, quum vitalium, quippe quae res nullam utilitatem nisi per combustionem adipiscantur, itaque nullam privationem important et nullam etiam destructionem involvunt. Combustio carnium vero, quae in quibusdam sacrificiis cruentis reperitur, et combustio cibariorum in sacrificio incruento, revera privationem et destructionem supponunt, sed immutatio perfectiva nihilominus in hac etiam combustione praevalet ; imo, ipsa mactatio hostiae considerari potest tanquam dissolutio, qua victima jam altiori scopo in combustione attingendo inservire queat, itaque haberi potest tanquam praeparatio aut adhuc tanquam pars materialis actionis sacrificalis, a viro laico praestanda, sed ipsam combustionem, cum effusione et aspersione sanguinis, ad partem formalem actionis sacrificalis reducamus oportet.

Non negamus hoc systema a cl. theologo excogitatum sibimet cohaerere; num autem ipsi Scripturae sacrae et institutioni mosaicae inhaereat non dubitare non possumus.

Ex descripto supra sacrificio patenter constat sacrificium cruentum esse centrum totius cultus divinitus sanciti apud populum electum : tale est sacrificium perpetuum, quo sublato jam omnem adorationem in Jerusalem cessasse declaratur (1) ; cetera sacrificia, in Sabbato aut in festis offerenda, tanquam complementum potius hujus oblationis *tâmîdʰ* proponuntur (2) ; Leviticus insuper in sacrificio cruento describendo praesertim immoratur, et ex hoc adhuc sacrificio derivatur ipsum nomen altaris, quod dicitur מִזְבֵּחַ sive locus mactationis.

Sacrificio cruento, ut primario, praescribitur addenda oblatio thuris, sed thus in eadem linea ponitur cum sale et oleo, quibus omnia sacrificia aspergenda erant (3). Ipsum sacrificium quotidianum incensi denique, quod Aaron quotidie, mane et vespere, super altari thymiamatis adolere debebat, holocausto quotidiano potius annexum apparet (4) ; oblatio specialis incensi similiter, quae a

(1) *Dan.*, VIII, 11 s.; XI, 31; XII, 11; cf. etiam *II Esd.* (*Neh.*), X, 33 (hebr. 34).

(2) Cf. *Num.*, XXVIII et XXIX. — Ita pariter WELLHAUSEN, *Prolegomena*, p. 77, qui objicit tamen illud sacrificium *tamîdʰ* in Deuteronomio non esse propositum; obvie autem respondetur : sacrificium *tamîdʰ* potius sacerdotes spectat, itaque praescribitur apud *Codicem*, quem dicunt *Sacerdotalem*, et absque ullo incommodo praeteriri potest in Deuteronomio, quod obligationes populi potius respicit.

(3) *Lev.*, II, 1 et 13.

(4) *Exod.*, XXX, 7 s.; cf. VAN HOONACKER, *art. cit.*, apud period. RBI., NS., XI, p. 163 s., 1914.

summo pontifice in die magnae expiationis peragenda erat, cum sacrificio cruento intime conjuncta describitur (1).

Hujus sacrificii cruenti porro pars praecipua erat ipsa mactatio, et nullatenus combustio sive carnium, sive etiam vitalium, uti superius jam animadvertimus; huic nostrae sententiae non offendit, quod cl. Scheeben nihilominus pluries objicit, immolationem videlicet a viro laico peragi potuisse ; non perficiebatur enim a viro laico quocumque, sed ab illo qui victimam praestabat, et adhuc quidem post acceptationem a parte sacerdotis, ita ut ipsa caesio animalis ex auctoritate ministri legitime constituti, peracta compareret. Merito enim vitam victimae suae destruebat ipse, qui vitam suam Deo devovendam esse profiteri cupiebat, et eadem consideratione intelligimus cur ipse sacerdos in sacrificio pro peccato sacerdotis (2), et summus ipse pontifex, qui totum populum repraesentabat, in die magnae expiationis, hanc occisionem sua manu perfecerit (3).

Negamus igitur, quod cl. theologus absque ulla ratione asseveravit, sacerdotem nimirum qua talem nunquam hostiam caesisse, et dicimus : non solum ut sacerdos immolabat, quando propria manu victimam offerebat, sed etiam quando laicus eamdem immolationem peragebat, ipse sacerdos victimam offerre censebatur, quia laicus non nisi nomine et auctoritate sacerdotis ad mactandum procedebat; attamen priusquam hanc nostram opinionem ulteriore argumento muniamus, explicationem a Scheeben allatam primum convellemus.

*
* *

Distinguit auctor inter elementum quoddam materiale, immolationem aut destructionem vitae, et elementum quoddam formale, combustionem, effusionem et aspersiones, quas omnes partes ut unam actionem perfectivam habet ; illud prius elementum ad oblationem laicalem, hoc alterum vero ad functionem stricte sacerdotalem referendum esse declarat, ita tamen ut haec duo elementa simul sumpta totam « substantiam », uti ait, unius actionis sacrificalis constituant (4).

Jamautem, in hac sola enuntiata thesi, statim patescit contradictio : nemo non novit materiam alicujus rei jam ingredi essentiam hujus rei tanquam elementum constitutivum intrinsecum ; nemo insuper non profitebitur oblationem sacrificii qua talis soli sacerdoti competere, post institutionem positivam, praesertim divinam, quae in cultu judaico absque ullo dubio debet admitti. Ergo, si mactatio perficitur a laico qua tali, aut a sacerdote, ex functione non

(1) *Lev.*, XVI, 12 s. (2) *Lev.*, IX, 7 et 8. (3) *Lev.*, XVI, 11.
(4) SCHEEBEN, *o. c.*, III, p. 411.

sacerdotali, tunc immolatio nullo titulo sacrificalis est, et essentiam sacrificii, etiam ut pars materialis, fundare nequit. Si vero mactatio dicitur esse pars sacrificii, etiam materialis, tunc soli sacerdoti reservanda remanet, et non nisi a legitimo ministro, et quidem propria manu, aut ab alio sed nomine sacerdotis, peragi potest ; in hac autem hypothesi, mactatio non ad oblationem laicalem sed ad oblationem sacerdotalem spectat (1).

Indubium omnino videtur hanc alteram suppositionem accipiendam esse pro cultu hierosolymitano, itaque optimam conciliationem nanciscimur inter utrumque requisitum, ut nempe oblatio sacrificii ad solum sacerdotem pertineat, et suo tamen modo in oblatione perficienda concurrat ipse qui victimam offert, et suam vitam in honorem divinum esse destruendam exprimere cupit. Ideo pariter in sacrificio pro suo peccato ipse sacerdos, et in die expiationis summus ipse pontifex, qui populum integrum repraesentat, mactationem peragunt.

Instamus adhuc et animadvertimus secundo, nullatenus explicari in sententia a Scheeben prolata, quemadmodum in expiatione altaris puta (2), aut etiam in consecratione sacerdotum (3), jam ante omnem combustionem aut aspersionem, sanguis habere possit vim expiatoriam aut consecratoriam, si revera sacrificium essentialiter combustione et aspersione absolvatur. Haec autem optime intelliguntur si centrum totius actionis sacrificae in mactatione reponimus, nam ipse Moyses in his sacrificiis hostiam immolavit, itaque forma metaphysica sacrificii seu intentio sacrificantis jam sufficienter expressa fuerit ; cl. doctori autem nefas est ad hanc immolationem provocare, quoniam mactatio, ad mentem ipsius, tantum est pars materialis aut etiam pars praeparatoria actionis sacrificae, uti modo audivimus.

Adnotamus insuper combustionem et aspersiones in quibusdam sacrificiis plane desiderari, ita v. g. in oblatione agni paschalis in Aegypto (4) ; hac de causa omni conatu aliqualem saltem aspersionem

(1) Discernenda venit haec theoria ab aliis quibusdam sententiis, de quibus in sectione secunda dicemus, quaeque potius errant in definitione assignanda ; in his nimirum sententiis materiam vocant ipsam victimam immolatam, et combustionem aut effusionem formam sacrificii denuntiant ; cl. Scheeben e contra in ipsa actione sacrifica partem aliquam materialem, et aliam formalem reperit.

(2) *Lev.*, VIII, 15.

(3) *Lev.*, VIII, 22 ; cf. *Exod.*, XXIX, 19 s.

(4) Cf. etiam *Lev.*, XVI, 14 s., ubi narratur sacrificium in die expiationis offerendum, cum variis multisque aspersionibus, quin tamen de effusione sanguinis ad pedes altaris quidquam praescribatur.

in hoc sacrificio reperire satagit Scheeben, eamque reponit in ritu praescripto apud Exodum : « Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare et utrumque postem » (1) ; combustionem sacram pariter indicare molitur, et eamdem in eo habendum putat quod agnus integer et quidem indivisus igne comburi debet, ut absque destructione substantiae suae, uti dicit, in odorem suavitatis coram Deo ascendat, atque simul in cibum consecrari possit, qui vitam offerentibus sacrificium praestare queat (2).

Patescit sane tales deductiones unice ob necessitatem causae detectas esse, neque alia nobis apparet ratio cur cl. theologus tantam sanctitatem actioni colligendi sanguinis adscribat. Hanc actionem non modo sanctam proclamat, sed eamdem adhuc tali virtute condecorat ut sanctitas ipsius cum ipsa mactatione communicari valeat. Jamvero, sacerdos sanguinem colligit non eo fine ut ipsam immolationem sanctificet, sed, ut varias aspersiones cum sanguine peragat et reliquum deinde sanguinem ad pedes altaris effundat. Haec actio colligendi sanguinis reipsa ad solum sacerdotem pertinet (3), et in die magna expiationis summo pontifici reservatur (4), sed obvia videtur ratio hujus reservationis : haec actio nimirum, simul cum aspersionibus et effusione sanguinis, ad sacrificium concrete spectatum facit ; his variis caerimoniis sacerdos finem sacrificii plastice exprimit, et formam manifestat metaphysicam, qua tota actio sacrificalis in honorem divinum ordinatur atque refertur.

*
* *

Habemus hucusque demonstratum contra Scheeben, sacrificium cruentum esse sacrificium praecipuum in cultu judaico, et centrum hujus oblationis esse ipsam mactationem ; manet adhuc ut de significatione, tum combustionis, quum aspersionum et effusionis sanguinis agamus, et videamus num haec combustio, in ordine sacrificali, tanquam actio perfectiva concipienda veniat.

Recusamus autem primo distinctionem, quam invexit cl. doctor, inter incensum, oleum, vitalia ex una parte, et carnes aut cibaria ex alia parte, quasi illa priora elementa nullam privationem et

(1) *Exod.*, XII, 22.

(2) Scheeben, *o. c.*, III, p. 407 ; cf. pariter Cronin, *The other view of sacrifice*, apud period. *Ecclesiastical Review*, XXXIII, p. 392, 1905 : « The essence of the sacrifice lay in the slaying of the lamb and the sprinkling of its blood on the upper door-posts, which became for the time the family altar ».

(3) Ita juxta traditionem judaicam : *Mischna, Sebach.*, II, 1 ; vide textum apud Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 57, n. 1.

(4) Cf. Thalhofer, *o. c.*, p. 86, n. 2, qui refert tractatum *Joma*, IV, 3.

demutationem, haec autem posteriora abstinentiam et destructionem importarent, ita tamen ut in his offerendis cibariis actio perfectiva adhuc emineret. Et re quidem vera, praetermissa nunc combustione vitalium, de qua statim dicemus, nonne incenso etiam privatur homo, dum illud in honorem divinum consumit, quando in proprium usum et in utilitatem suam idem adhibere posset? Deinde, privatio omnino per accidens se habet ad sacrificium, uti in sectione altera hujus capitis, in enucleanda notione oblationis, quam quidam doctores ut donationem accepere, penitius rimabimur; haec privatio praeterea totalis est in omni sacrificio, si excipiatur solum pacificum, in quo licebat offerentibus convivium participare, quandoquidem aequum est in ratione privationis, relate ad ipsum qui offert victimam, utrum carnes igni tradantur an potius ministris attribuantur.

Advertit insuper cl. Scheeben in sacrificio pro peccato, combustionem carnium in altari penitus excludi, quum ibidem praesertim exspectaretur, siquidem per hoc sacrificium poenam mortis magnopere profiteri intenderent. Respondetur non comprobari necessitatem ut privatio et reatus mortis aequo passu procedant, et additur, in hac oblatione pro peccato etiam totalem esse privationem relate ad ipsum offerentem : in sacrificio pro peccato alicujus viri popularis carnes sacerdoti obveniunt (1), et in sacrificio pro peccato ipsius sacerdotis, post combustionem vitalium in altari, « omnes carnes cum pedibus et intestinis et fimo, et reliquo corpore... extra castra » comburuntur (2).

His praenotatis, et omissa assertione cl. doctoris, qui ipsam mactationem vult esse « dissolutionem » hostiae, quia talis affirmatio nimis gratuito profertur, ad ipsam thesim, qua combustionem vitalium ut actionem perfectivam interpretari conatur, replicamus : nemo profecto combustionem adipum, quibus vitalia operiuntur, sensu proprio vocabit odorem suavitatis, etiam si velit cum Thalhofer meliores vocare easdem partes, quas Scheeben e contra deteriores esse proclamat. Per metaphoram igitur pronuntiatur hanc combustionem esse odorem suavem coram Domino : sacrificium adeo tanquam actus Deo gratus describitur, neque est actio commutativa in melius, sed actio rei destructiva, qua magis appareat et manifestetur ipsam vitam Deo offerendam esse, quoniam vita, juxta textum sacrum, sedem suam in his partibus habet.

Eadem ratione intelligitur combustio carnium in quibusdam sacrificiis cruentis, ut puta in holocaustis, aut etiam combustio ciba-

(1) *Lev.*, V, 7.
(2) *Lev.*, IV, 11, 12a.

riorum in sacrificio incruento, quod supra satis demonstravimus ; pari modo explicatur effusio sanguinis, nam « anima carnis in sanguine est » (1), itaque per effusionem sanguinis et varias aspersiones intimius exprimitur scopus diversus in diversis sacrificiis, licet tamen finis principalis maneat in agnoscenda suprema majestate divina, et in destruenda vita ad hoc supremum Dei dominium praecipue profitendum.

Quod combustionem extra castra in sacrificiis quibusdam pro peccato spectat, haec combustio revera per verbum שָׂרַף indicatur, dum combustio in altari per verbum הִקְטִיר redditur ; sed haec oppositio inter שָׂרַף et הִקְטִיר satis intelligitur ex differentia inter combustionem minus sacrificalem extra castra, et combustionem stricte sacrificalem in altari, quin ad distinctionem inter immutationem consumptivam ac perfectivam recurrere debeamus.

Quoad combustionem tandem incensi, patet sane pro hoc sacrificio, expressionem : ascendere in odorem suavitatis coram Deo, similiter per figuram accipiendam esse, nisi Deum ut hominem fingere velimus ; quamobrem, etiam si fatendum sit substitutionem pro vita humana in hac oblatione incensi non probari (2), dicemus nihilominus supremum Dei dominium coli per destructionem hujus rei pretiosae, quatenus combustio incensi, utpote signum venerationis, ad supremam Dei majestatem agnoscendam ordinatur (3).

Cum hac nostra explicatione satis percipitur cur laus divina, aut bona etiam opera, tanquam sacrificia Deo grata exhiberi possint ; « omne enim opus virtutis dicitur esse sacrificium, in quantum ordinatur ad Dei reverentiam » (4).

Affirmat adhuc Scheeben cum sua sententia perfecte explanari sacrificium cruentum crucis, quandoquidem ait, qua ratione in sacrificiis antiquis, mactatio physica significationem sacram obtinebat per

(1) *Lev.*, XVII, 11.

(2) Haud pauci doctores substitutionem vindicant pro oblatione incensi, et arguunt ex antiquo usu illud in medicamentum adhibendi ; cf. *Sum. Theol.*, I-II, q. 102, a. 3, ad 13m ; Lambrecht, *o. c.*, p. 26. — In alium sensum vide Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 68, n. 2 et Van Hoonacker *La date de l'introduction de l'encens dans le culte de Jahvé,* apud RBI., NS., XI, p. 165, ubi notat Scripturam hunc usum incensi in medicamentum plane ignorare.

(3) Cf. Van Hoonacker, *art. cit.*, p. 165 : « L'encens s'offre comme un témoignage de vénération ; il apaise la colère divine d'une manière indirecte, Dieu se laissant fléchir par l'hommage d'adoration qui lui est rendu ». — Cf. etiam supra p. 103, n. 1.

(4) *Sum. Theol.*, II-II, q. 81, a. 4, ad 1m.

relationem, quam dicebat ad combustionem sacram, eadem ratione in oblatione crucis, immolatio Christi cruenta significationem sacram adepta est quoniam huic occisioni, quam perpetrarunt Judaei, Christus dissolutionem suiipsius per ignem Spiritus sancti adjunxerit (1). Tales deductiones autem theoriam immutationis perfectivae non elucidare sed obnubilare potius natae sunt, et manifestius ostendunt quanto jure hanc sententiam respuamus.

* * *

Statuimus ergo in fine hujus sectionis hanc propositionem tanquam conclusionem : *sacrificium non importat actionem perfectivam sed involvit actionem destructivam rei*, qua supremum Dei dominium perfecte exprimitur.

Art. 3. — De theoria convivii.

Jam pluries advertimus inquisitionem de essentia sacrificii in genere, praeprimis in praescriptionibus mosaicis fundandam esse, neque tamen limites hujus dissertationis nos excedere, aut a scopo a nobis intento nos deflectere opinamur, si quaedam placita adhuc refellimus, quae magis directe ad hanc scientiam pertinent, quam historiam religionum vocant, quoniam haec disciplina ab ill. Bellord in adjumentum opinionis suae de sacrificio Eucharistico ingenue adducitur. In hoc articulo alioquin exegesi VT. praesertim adhuc incumbemus, et raptim potius quasdam conclusiones historiae religionum confutabimus aut in confirmationem etiam invocabimus.

Hypothesim totemismi, in quantum sacrificium explanat per communionem et esum carnis, silentio pene praetereundam autu-

(1) Scheeben, *Dogmatik*, III, p. 436 : « Wenn schon bei den alten Opfern das physische Schlachten resp. das caedere vorzüglich dadurch sacrificale Bedeutung erhielt und zum θύειν oder immolare wurde, dasz es von dem Opferbringer resp. =Darbringer zu dem Altarbrande in Beziehung gesetzt wurde : so erhällt ganz naturgemäsz auch bei Christus die physische Tödtung von Seiten seiner Verfolger ganz naturgemäsz die Bedeutung der Opferschlachtung eben dadurch, dasz von Seiten Christi mit ihr die Auflösung seiner selbst durch das Feuer des ewigen Geistes hinzutritt » ; cf. ejusdem auctoris *Die Mysterien des Christentums*, p. 429 et Thalhofer, *o. c.*, p. 181, qui pariter combustionem aliquam in sacrificio Christi cruento indicare satagit, sed ipse ignem sacrificalem refert ad naturam divinam hypostatice in Christo cum natura humana unitam.

mamus. Propugnatur haec theoria cum maxima eruditione, pro religione semitica, ab auctore magni nominis, W. Robertson Smith (1), qui censet sacrificium essentialiter absolvi convivio, in quo carnes sumunt quasi divinas animalis *totem*, tanquam parentem vel saltem tanquam protectorem gentis consideratum ; verum, haec sententia fundamento tam labili innititur, ut jure meritoque hodie a criticis plerisque prorsus rejiciatur (2). Confutationem hujus opinionis ex professo institutam videre est apud cl. Lagrange, qui sanguinem, in cultu Semitarum, et certo certius in religione judaica, ad pedes altaris effundendum, vel super illud aspergendum esse scite animadvertit ; argumentum ex sacrificio a s. Nilo descripto (3), quod W. Robertson Smith magno apparatu aedificavit, penitus simul dirruit (4).

§ 1. — *Theoria communionis exponitur.*

Theoria communionis nihilominus haud necessario connexa est cum totemismo, quod satis elucet ex sententia, quam proposuit

(1) W. Robertson Smith, *Relig. Sem.*, in 6 ult. cap. ; hanc theoriam concinne exponit Lagrange, *Relig. sém.*, p. 249 s. ; cf. etiam O. Schmitz, *o. c.*, p. 31 s.

(2) Cf. Lagrange, *l. c.* ; vide adhuc Kautzsch, *art. cit.*, p. 613 s. ; F. V. Zapletal, *Der Totemismus und die Religion Israels*, Freiburg in B., 1901 et O. Schmitz, *o. c.*, p. 33 s.

(3) Exemplum narratum servatur apud PG., LXXIX, 613.

(4) Lagrange, *o c.*, p. 251 ; cf. etiam G. Foucart, *Histoire des religions et méthode comparative*, p. 126 s., Paris, 1912 ; W. Schmidt, in *Semaine d'Ethnologie religieuse (Compte-Rendu de la première session, Louvain, 27 Août-4 Sept., 1912)*, p. 256, Paris et Bruxelles, 1913 : « Quant à la communion totémique, à part l'exemple fameux et contestable du chameau de saint Nil, utilisé par Robertson Smith, on n'en a trouvé que deux cas qui soient indépendants des cérémonies *intichiuma* : le R. P. Trilles chez les Fân, et M. N. W. Thomas chez les Binis, de la Nigiera. C'est décidémment trop peu pour affirmer que cette communion appartient à l'essence du totémisme ». Descriptionem harum caerimoniarum legere est apud Dürkheim, *Les formes élémentaires de la vie religieuse. — Le système totémique en Australie*, p. 484 s., Paris, 1912 ; censet hic auctor illas caerimonias tanquam fundamentum considerari posse sententiae a Smith propositae, licet ipse hos ritus penitus ignoraverit. Sed hoc fundamentum valde infirmum esse ostendit W. Schmidt, *l. c.*, p. 256 s. ; cf. etiam F. Bouvier, *Le totémisme est-il une religion ?* in *Semaine d'Ethnologie religieuse (Compte-rendu analytique de la IIe Session, Louvain, 27 Août-4 Sept., 1913)*, p. 129 s., spec. p. 140 s., Paris, 1914. — Secundum hunc auctorem caerimoniae *intichiuma* neque verum important sacrificium, neque veram communionem involvunt, neque denique originem habent totemicam, quam cum certitudine assignare fas esset.

Wellhausen (1) : semota hypothesi totemismi, sacrificium explicare suscipit per epulas, quas homines Deo offerunt, et quas vicissim in unione cum Deo suo participant. Antiquitus, ait, haec communio per effusionem sanguinis obtinebatur, et hujus ritus primitivi meminit I Reg. (I Sam.), XIV, 32-35 (2), sed in VT. primum atque praecipuum sacrificium habeamus oportet pacificum, in quo quaedam partes igne comburebantur, adeoque Deo applicabantur, dum ceterae partes convivio offerentium inserviebant. — Holocaustum primitus fuerit pars quaedam alicujus sacrificii pacifici, tam ingentis ut animal integrum pro plurium victimarum partibus comburi debuerit ; sacrificia vero pro peccato ac delicto, quae prius erant mulctae, pecunia solvendae, posteriore tantum tempore invecta sunt (3). Et haud pauca vestigia consuetudinis antiquae in VT. reperire est : ita v. g. altare vocatur mensa Domini (4) ; sacrificium appellatur panis Jahve (5) ; oblata denique in epulas praeparata Deo proponuntur (6).

Quando determinavimus elementa sacrificii in priore capite, imprimis sacrificium expiatorium examinavimus, atque in illo sacrificio inquisitionem nostram fundavimus ; confutationem itaque theoriae a Wellhausen prolatae, quippe quum in assertione institutionis recentioris sacrificii piacularis praesertim innitatur, ab hac affirmatione convellenda incipere juvat.

§ 2. — *Crisis hujus sententiae.*

Primo asseverat Wellhausen sacrificium in expiationem ante Ezechielem prophetam plane ignorari (7) ; legitur sane ad descrip-

(1) Wellhausen, *Prolegomena*, p. 69 s. ; cf. etiam Kautzsch, *art. cit*, p. 618 s. et p. 661 ; E. Montet, apud *Revue des Sciences Ethnographiques et Sociologiques*, p. 93-98, 1910, quem citat G. Foucart, qui et ipse, post examen variarum religionum, concludit, *o. c.*, p. 168 : « Tel est donc le caractère du sacrifice primitif : un banquet offert au dieu ».

(2) *I Reg. (I Sam.)*, XIV, 32 s. : « Et versus ad praedam tulit (populus) oves, et boves, et vitulos, et mactaverunt in terra : comeditque populus cum sanguine. Nuntiaverunt autem Sauli dicentes quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait : Praevaricati estis : volvite ad me jam nunc saxum grande. Et dixit Saul : Dispergimini in vulgus, et dicite eis ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem, et occidite super istud, et vescimini, et non peccabitis Domino comedentes cum sanguine ».

(3) Wellhausen, *o. c.*, p. 69 et p. 71.

(4) *Mal.*, I, 7 ; cf. *Ezech.*, XLIV, 16.

(5) *Lev.*, III, 11, 16 ; XXI, 17, 21, 22 ; *Mal.*, I, 7, 12.

(6) *Jud.*, VI, 19 ; *I Reg.* (*I Sam.*), II, 12 s.

(7) Cf. *Ezech.*, XLIII, 2 s.

tionem restaurationis templi sub pontificatu Joiadae, tempore quo regnavit Joas, rex Juda : « Pecuniam vero pro delicto, et pecuniam pro peccatis non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat » (1), sed ex hoc testimonio, quo vetus institutio ritus expiatorii luculenter apparet, simul constat, secundum cl. doctorem (2), pro peccatis ac delictis, saltem primis temporibus, solutas fuisse mulctas, quae postea a lege in sacrificia pro peccato ac delicto mutatae fuerunt. In ipso Deuteronomio ceteroquin, ait, nondum recensetur hoc sacrificium in piamen, quamvis, secundum scopum et tendentiam hujus documenti, enumerationem completam atque perfectam omnium sacrificiorum inibi expectare fas esset.

Respondetur : haec necessitas, quam affirmat Wellhausen, nullatenus ex textu Deuteronomii patescit; in loco enim a cl. critico advocato (3), auctor sacer totum cultum cum quadam emphasi describere intendit, uti indubie ostendunt locutiones diversae ibidem adhibitae ; nihil mirum adeo si utilitatem cujusdam nomenclaturae adaequatae non perspexerit. Apud Oseam prophetam deinde, aperte alluditur ad sacrificium quoddam pro peccato : « Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum » (4) ;

(1) *IV Reg.* (*II Reg.*), XII, 16 (hebr. 17).

(2) Wellhausen, *Prolegomena*, p. 72 ; cf. etiam W. R. Smith, *Relig. Sem.*, p. 217. — Connexa est illa sententia cum hypothesi evolutionistica, quae tenet Deuteronomium occasionem et fundamentum praebuisse reorganisationi cultus sub Josia rege, et scriptum fuisse c. a. 620 ante Chr., dum scripta sacerdotalia durante captivitate et post exsilium concinnata fuerint ; cf. Van Hoonacker, *Le lieu du culte*, p. 1 s. ; Mangenot, *L'authenticité mosaïque du Pentateuque*, Paris, 1907 et art. *Pentateuque*, apud *Dict. de la Bible* (Vigouroux), V, spec. 107 s., Paris, 1908.

(3) *Deut.*, XII, 1.

(4) *Os.*, IV, 8. — Cf. Van Hoonacker, *Les douze petits prophètes*, p. 46, Paris, 1908, qui notat ad hunc v. 8 : « Il est bien sûr qu'au premier membre Osée n'a pas précisément pour objet, que ce n'est pas toute sa pensée, d'objecter aux prêtres le profit qu'ils tirent des *sacrifices pour le péché*. Le second membre, qui reprend en d'autres termes l'idée exprimée dans le premier, montre clairement que le prophète veut reprocher aux prêtres d'entretenir, afin de l'exploiter à leur avantage, l'idolâtrie, pour laquelle ils ont eux mêmes échangé la « gloire » de Jahvé (v. 7b). Cependant les termes dans lesquelles le reproche est formulé (v. 8a) n'en sont pas moins dignes de remarque... La manière dont le prophète s'exprime, renferme une allusion à la loi qui attribuait aux prêtres les viandes de la victime pour le péché dans les cas où celle-ci ne devait pas être entièrement consumée (*Lev.*, VI, 17 ss. [*Vulg.*, 25 ss.] ; *Ézéch.*, XLIV, 29) ». — Cf. etiam v. Orelli, *art. cit.* apud PRE., XIV, 397. — Cadit ita simul objectio allata a Wellhausen, *Prolegomena*, p. 72 et O. Schmitz, *o. c.*, p. 16, qui animadvertunt vocem *'âwôn* in v. 8b nullatenus esse terminum technicum, quo peccatum in *Codice Sacerdotali* designatur.

apud Micheam (1) pariter pronuntiatur, Deum « nec in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium » placatum iri; et in I Reg. (I Sam.), III, 14 narratur, quemadmodum Dominus Heli pontifici juraverit « quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in aeternum ». Isaias tandem hoc sacrificium expiatorium etiam cognovit (2), itaque ut haec testimonia infringat, contendit cl. doctor (3) in his locis Micheae ac Isaiae non agi de speciali quodam sacrificio in expiationem, quale postea apud *Codicem*, quem vocat, *Sacerdotalem* (P) praescribitur, sed de qualibet poena, quam innocens pro nocentibus sustinere cogitur; in Reg. (I Sam.), III, 14 praeterea expiationem per holocaustum peragendam docemur, inquit, quin ad sacrificium specificum pro peccato recurrere necesse sit.

Verum, nemo non videt apud Isaiam, qui munus Redemptoris describit (4), imprimis agi de maximo sacrificio crucis, quod obtulit Christus, quando animam suam pro peccato posuit; hoc autem fuit sacrificium expiatorium κατ' ἐξοχήν. Apud Micheam similiter, quamvis propheta per hyperbolam de primogenito loquatur, sufficienter eliquet peccatum per oblationem victimae deleri (5), quod est praecipue sacrificium pro peccato, et in I Reg. (I Sam.) tandem iniquitatem domus Heli nec victimis (בְּזֶבַח), nec muneribus (וּבְמִנְחָה) expiatum iri legimus, quod rursum satis indigitat sacrificium piaculare; textus alioquin de holocausto plane tacet.

Negamus insuper Ezechielem hoc sacrificium in piamen prima vice inducere, quandoquidem ex textu luce clarius apparet prophetam hoc sacrificium pro peccato cognitum habere, et ita quidem prout apud legem praescribitur: docet enim propheta prius hanc oblationem comburendam esse extra Sanctuarium, et deinde illud sacrificium comedendum a sacerdotibus declarat (6), quin ullam necessitatem explicandi hanc saltem apparentem antinomiam suspicari videatur. Ratio porro cur ita scibere potuerit, obvia est: ex lege, et ex ipso *Codice Sacerdotali*, satis notum erat sacrificium pro peccato et sacrificium pro delicto, cujus « utriusque hostiae lex una erit »: a sacerdote manducari debebat, « quia Sanctum sanctorum est » sed « vitulum... et hircum, qui pro peccato fuerant immolati, et quorum sanguis

(1) *Mich.*, VI, 7; cf. Van Hoonacker, *o. c.*, p. 397.
(2) *Is.*, LIII, 10.
(3) Wellhausen, *Prolegomena.* p. 72.
(4) Cf. Condamin, *Le livre d'Isaïe*, p. 325 s., spec. p. 338 s., Paris, 1905.
(5) Cf. Van Hoonacker, *o. c.*, p. 397.
(6) *Ezech.*, XLIII, 21 s. et XLIV, 29.

illatus est in Sanctuarium..., asportabunt foras castra, et comburent igni tam pelles quam carnes eorum ac fimum » (1).

*
* *

In confirmationem suae sententiae haesitationem adhuc invocat Wellhausen (2), quam manifestam reperire est, ad mentem ipsius, in codice, quem *Parvum Leviticum* dicunt (3) ; in hoc documento enim cum *Codice Sacerdotali* intime connexo, duobus in testimoniis (Lev., XVII, 8 ; XXII, 18-21), in quibus quaedam enumeratio oblationum legitur, solummodo עֹלָה atque שְׁלָמִים indicantur, et tertio in alio loco (Lev., XIX, 21 s.), in quo revera docemur arietem mactandum esse pro delicto, cum evidentia apparet interpolatio ; in eodem *Parvo Codice Levitico* praeterea, una restitutio imponitur (Lev., XXII, 14), quando, secundum praescriptionem *Codicis Sacerdotalis* (Lev., V, 15), sacrificium quoddam in expiationem simul offerendum esse exspectatur. In ipso *Codice Sacerdotali* quinimmo quaedam vestigia hujus innovationis et recentioris institutionis sacrificii piacularis indicare fas est : variatur enim descriptio piaculi (Lev., IX, coll. Exod., XXIX et Lev., IV), neque ullam explicationem harum discrepantiarum, praeter recentiorem institutionem oblationis, demonstrare licet (4).

In his autem considerationibus valde sibi illudit cl. exegeta : et enim primo, differentiae ultimo loco recitatae sat superque intelliguntur diversis ex adjunctis in quibus sacrificium oblatum fuisse narratur : in Lev., IX, 1 s., coll. Exod., XXIX, 1 s., describitur sacrificium pro peccato, quod ad consecrationem Aaronis erat praestandum ; in Lev., IV vero traditur modus offerendi hostias pro peccato sacerdotis, principis aut multitudinis, per ignorantiam commisso, extra caerimoniam igitur, quae in priori textu exponebatur (5).

Eadem ratione explanatur discrimen inter Lev., XXII, 14 et Lev., V, 15 s. : non agitur utrimque res eadem, sed res tantummodo analoga : « anima si praevaricans ceremonias, per errorem in his,

(1) *Lev.*, VII, 6, 7 et XVI, 27.
(2) WELLHAUSEN, *Prolegomena*, p. 73.
(3) *Lev.*, XVII s.
(4) WELLHAUSEN, *l. c.* — Advertit *ibidem* cl. criticus ad sacrificium pro delicto non alludi in *Codice Sacerdotali* nisi in partibus, quas secundarias dicit (*Lev.*, IV-VII, XIV ; *Num.*, V, 7-8 ; VIII, 6, 12 ; XVIII, 9). De hac quaestione, quae magis compositionem Pentateuchi spectat, vide MANGENOT, *L'origine mosaïque du Pentateuque*, p. 16-201 et *art. cit.* apud *Dict. de la Bible* (VIGOUROUX), V, 94 s.
(5) Cf. VAN HOONACKER, *art. cit.*, apud RBI., NS., XI, p. 185, 1914.

quae Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus... : ipsumque quod intulit damni restituet, et quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo, offerens arietem, et dimittetur ei » (1). Ita statuitur in priori testimonio ; in altero textu e contra solum damnum sacerdoti illatum respicitur, itaque sola proponitur restitutio, quae sacerdoti fieri debet.

Facili negotio dein refellitur objectio ex interpolatione, quam cl. criticus in Lev., XIX, 21 s. detegit : nihil est enim ex contextu arguendum, quoniam praescriptiones quam maxime diversae in eodem capite juxtaponuntur ; mutationem praeterea ex secunda in tertiam personam, a Wellhausen in adjutorium opinionis suae advocatam, non solum hoc loco sed adhuc ad v. 3 ejusdem capitis reperire est ; additam denique poenam in v. 21, quam etiam ut signum interpolamenti habet, jam ad v. 8, licet diversam pro diverso casu, invenimus.

Addatur tandem ipsum auctorem difficultatem inducere adversus suum systema quando in Lev., XVII, 8 et Lev., XXII, 18-21, sola pacifica et holocausta enumerari advertit. Non intelligitur enim, si Ezechiel revera primas praescriptiones de sacrificiis pro peccato ac delicto offerendis condiderit, quemadmodum haec sacrificia silentio praeteriri potuerint, in ipso illo codice, quem, in sententia cl. doctoris, propheta inspirante, conscriptum fuisse profiteamur oportet. *Parvus Codex Leviticus* re quidem vera distinctionem inter sacerdotes Aaronitas et Levitas luculenter supponit ; atqui talis distinctio, secundum Wellhausen (2), est nota characteristica qua *Codicem*, quem dicunt *Sacerdotalem*, dignoscere licet. Indubium videtur igitur sacrificium pro peccato et pro delicto ad antiquam institutionem pertinere, quod pariter, uti diximus, ex IV Reg. (II Reg.), XII, 17 procedit.

* * *

Quaestio tamen solvenda manet utrum necne ex textu modo laudato concludere necessarium sit חַטָּאת et אָשָׁם prius fuisse mulctas, deinde sacrificia, uti Wellhausen contendit.

Notamus autem primo, secundum ipsam legem, sacrificium pro peccato quandoque involvere mulctam (3), et advertimus secundo,

(1) *Lev.*, V, 15, 16.

(2) WELLHAUSEN, *Prolegomena*, p. 115.

(3) Cf. *Lev.*, V, 15, 16 et XXII, 14 ; quoad anos ac mures aureos, quos Philisthiim cum arca remiserunt (*I Reg.* (*I Sam.*), VI, 3 s.), ut redderent quod pro peccato debebant, videntur explicandi tanquam mera oblatio aut aliquod ἀνάθημα.

peccatum quod agna sive capra erat expiandum, in casu indigentiae, per duos turtures aut duos pullos columbarum, aut etiam per similae partem ephi decimam deleri potuisse (1), adeo ut in hac materia, quaedam substitutio atque permutatio oblationum semper ab initio viguisse videatur. Haec autem substitutio, quam excogitavit Wellhausen, qui mulctas in sacrificia evolutas contendit, minime explicatur per rationem quam cl. criticus assignavit. Non intelligitur revera mulctas in oblationes fuisse mutatas ob favorem praestandum sacerdotibus, uti ipse ait, quum iisdem manifeste mulctae prae victimis faverent; ex alia parte facile percipitur cur ob speciales difficultates, ob impedimentum puta itineris, licitum et usu sancitum fuerit, oblationes cum pecunia permutare, sicuti in ipso Deuteronomio statuitur : « Cum autem longior fuerit via, et locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum haec cuncta portare, vendes omnia, et in pretium rediges... et emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, sive de armentis, sive ex ovibus... » (2).

A priori alioquin minus probabilis apparet sententia modo confutata, quum חַטָּאת proprie indicet peccatum prout hominem reum erga Deum constituit; haec vox describit itaque oblationem victimae, quae in expiationem offerri queat, et per metonymiam vocari possit *peccatum*(3); minus apte porro designat solutionem pecuniae, quippe quum culpa in nummos transferri difficulter concipiatur (4).

*
* *

Transimus nunc ad aliam considerationem, quam Wellhausen

(1) *Lev.*, V, 7, 11.

(2) *Deut.*, XIV, 24 s.

(3) Cum substitutione igitur, quam supra demonstravimus, facile intelligitur quemadmodum victima dici potuerit peccatum, sicut Christus « pro nobis peccatum » effectum esse pronuntiat Apostolus in *II Cor.*, V, 21 ; cf. pariter *Is.*, LIII, 4.

(4) Cf. Van Hoonacker, *Le sacerdoce lévitique*, p. 410 ; ad p. 411, n. 2, cl. professor in eumdem sensum adducit Maybaum, *Entwicklung des Alttest. Priest.*, p. 52 et Hommel, *Altisrael. Ueberl.*, p. 321 s. — Huic sententiae de institutione primitiva sacrificii piacularis assentiunt adhuc, secundum Schmitz, *o. c.*, p. 16 : Köberle, *Sünde und Gnade im religiösen Leben des Volkes Israel*, p. 81, München, 1905 et Stade, *Biblische Theologie des A T.*, p. 176 s., 1905. Theoriam a Wellhausen elucubratam impetit pariter Lagrange, *Relig. sém.*, p. 247 s., sed infra, p. 273, concedit sacrificium pacificum, saltem apud Semitas, quasi typum esse ceterarum oblationum, quia melius essentiam sacrificii explanat. At vero, uti pluries jam monuimus, nihil a priori statuere licet in hac materia, sed ad sola facta respicere

in fulcimen suae sententiae affert (1); putat nimirum holocaustum ex sacrificio pacifico derivandum, quoniam *'ôlâh*, ait, in documentis antiquioribus raro solum occurrit (2), ac plerumque ad pacificum adnectitur, quocum quasi unum sacrificium constituit (3).

Hoc assertum porro Scripturae sacrae aperte contradicit : primo, sacrificia holocausta connexa cum pacificis reperiuntur non tantum in scriptis, quae etiam in sententia a Wellhausen propugnata, post exsilium concinnata fuerunt (4), sed adhuc in ipso *Codice*, quem dicit *Sacerdotalem* (5); haec connexio documentis antiquioribus ergo nullatenus specialis est.

In iisdem monumentis antiquioribus secundo, solum etiam memoratur holocaustum; neque hoc infitiari potest cl. exegeta (6), sed ut argumentum minuat, sacrificia haec mythica vel saltem non ordinaria fuisse declarat. Manet tamen antiquum adeo manifestari usum, quem pariter testantur alia quaedam documenta aeque antiqua, quae *'ôlâh* tanquam sacrificium per se subsistens (7), et vel imo excellens ac conspicuum prae ceteris oblationibus aperte

oportet. Haec facta porro, in statu praesertim hodierno hujus scientiae, quam historiam religionum denominant, nondum satis collecta aut stabilita videntur, ut talem theoriam in iisdem fundare fas sit, et si textum sacrum inspexerimus, primum sacrificium historice, illud dicemus quod obtulit Abel « de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum » ; hoc autem, secundum narrationem *Gen.*, IV, 3, 4, potius holocaustum fuisse videtur; cf. v. Orelli, *art. cit.*, apud PRE., XIV, 389; in aliis sacrificiis alioquin, quorum etiam meminit historia primitiva Israel, quodvis convivium similiter desideratur.

(1) Wellhausen, *Prolegomena*, p. 68 s.

(2) Wellhausen citat : *Gen.*, VIII, 20 ; *Num.*, XXIII, 1 s.; *Jud.*, VI, 20, 26; XIII, 16, 23 ; *I Reg.* (*I Sam.*), VII, 9; *III Reg. (I Reg.)*, III, 4; XVIII, 34 s.

(3) Refert Wellhausen : *Exod.*, X, 25; XVIII, 12 ; XXIV, 5; XXXII, 6; *Jos.*, VIII, 31 ; *Jud.*, XX, 26 ; XXI, 4 ; *I Reg.* (*I Sam.*), VI, 14 s.; X, 8 ; XIII, 9-12 ; *II Reg.* (*II Sam*), VI, 17 s.; XXIV, 23-25 ; *III Reg.* (*I Reg.*), III, 15 ; VIII, 63 s.; *IV Reg.* (*II Reg.*), V, 17 ; X, 24 s.

(4) *Ezech.*, XLIII, 27 ; XLV, 15, 17 ; XLVI, 2 ; *Jud.*, XX, 26; mutationes, sub influxu *Codicis Sacerdotalis* invectas dicunt in *Jud.*, XIX s.; item in librum *Jos.*, qui unicum agnoscit Sanctuarium, et qui in cap. XXII, 26 expressionem eamdem habet ; itaque haec testimonia omittimus, ut argumentum solidum afferamus.

(5) *Lev.*, IX, 22; cf. etiam *I Paral.* (*I Chron.)*, XVI, 1 s.; XXI, 26; *II Paral.* (*II Chron.*), VII, 1 et adhuc *I Mach.*, IV, 56.

(6) Cf. notam 2m in hac p., ubi testimonia referuntur, quae ipse Wellhausen indicavit.

(7) *Jer.*, VI, 20 ; VII, 21 ; XIV, 12 ; cf. etiam *Ezech.*, XLIII, 18, 24 ; XLV, 23. — *'Olâh* cum *minḥâh* componitur apud *Jer.*, XXXIII, 18 ; ita pariter *Amos*, V, 22, etc.

demonstrant (1) ; ita v. g. regem Achaz Uriae sacerdoti demandasse legimus : « Super altare majus offer holocaustum matutinum, et sacrificium vespertinum, et holocaustum regis, et sacrificium ejus, et holocaustum universi populi terrae, et sacrificia eorum et libamina eorum : et omnem sanguinem holocausti, et universum sanguinem victimae, super illud effundes » (2). Agitur in hoc testimonio de holocausto *tâmîd*[h], quod eadem ratione describitur, uti videtur, qua jam apud *Codicem*, quem *Sacerdotalem* vocant, reperiri potest.

Explanare ceterum omittit cl. criticus, quomodo sacrificium holocaustum, siquidem ad mentem ipsius, pars tantum dici debet oblationis, separatim nihilominus ac seorsim indicari potuerit, neque causam indigitat cur in ipsa expressione « holocaustum et pacifica », si holocaustum revera elementum minus praecipuum fuerit, holocaustum semper et ubique ante pacificum reponatur.

Subversis prima et altera consideratione, in quibus cl. doctor theoriam suam fundabat, facile nunc dirruitur sententia, quam de essentia sacrificii excogitavit.

* * *

Sacrificium expiatorium, in quo reipsa desideratur convivium offerentium proprie dictum, quandoquidem ipsi sacerdotes suam victimam pro peccato mactatam gustare non possunt, inspecto praeterea ritu quo celebrari debet, non per epulas sed per immolationem hostiae, homini substitutae, manifeste explicandum venit ; ex idea substitutionis vel imo intelligitur materia hujus sacrificii, nam in piaculo, illa ipsa omittuntur condimenta, quibus sapor rebus adjicitur, quia haec oblatio, uti textus explicite adnotat, « pro peccato est », itaque indignum, qui coram Deo appareat, melius repraesentare nata est.

Verum, substitutionem eamdem in holocausto et pacifico admittamus oportet, nam in omni sacrificio ad impositionem manuum adnectitur confessio peccati, quod ex traditione judaica ediscimus, ideoque nulla denuntiatur ratio, ut diversimode holocaustum aut pacificum explanemus, eo vel magis quod ipse Wellhausen omni sacrificio munus quoddam expiatorium tribuere non renuit (3). Sacrificium igitur non est offerentium epulum cum Deo, neque est convivium quod Deo praeparatur.

(1) Cf. *Deut.*, XII, 13 ; *Jer.*, XVII, 26.
(2) *IV Reg.* (*II Reg.*), XVI, 15.
(3) Cf. Wellhausen, *Prolegomena,* p. 78 ; W. R. Smith, *Relig. Sem.*, p. 237.

Et re quidem vera, primo, combustio non est pars praecipua ritus sacrificalis, sed centrum totius actionis est ipsa mactatio, quod superius sufficienter demonstravimus. Secundo, haec combustio non est modus quo convivium, seu pars epularum quae Deo reservatur, ipsi applicatur, quoniam tunc nullatenus percipitur cur tales partes, vitalia nimirum aut adipes, igne consumantur. Hae partes enim in se pejores sunt et Deo proin minus dignae videntur ; dicetur eas meliores esse in usum sacrum, quod libenter profitebimur, sed addemus easdem hac de causa praecipue meliores declarari, quia aptius exprimunt vitam hominis in honorem divinum devovendam esse, quod imprimis per ipsam immolationem jam monstratum erat.

Advertimus insuper ipsum Wellhausen concedere aspersionem et effusionem sanguinis eximia gaudere sanctitate, ita ut hi ritus semper ad altare peragi debuerint; affirmat dein mactationem apud gentem arabicam non solum cum sacrificio connexam, sed adhuc dicit prorsus idem esse ibidem sacrificium et mactationem ; hunc modum offerendi tandem apud ipsum populum electum antiquiorem quam institutionem convivii declarat (1). Atqui neminem certo fugit quam difficili ratione haec asserta cum sententia a Wellhausen elucubrata componantur, dum optime e contra cum theoria a nobis vindicata concinunt, eamdemque pulchre confirmant, quin etiam ad evolutionem quamdam provocare debeamus, quae ex textibus nullo modo patescit.

In ipsa theoria quinimmo, qualis a cl. critico enuntiatur, latet difficultas, quam auctor nullibi resolvit : ponamus enim combustionem quarumdam partium victimae, aut effusionem adhuc sanguinis, esse modum cibi applicandi summo Numini, et accipiamus tanquam elementum essentiale sacrificii, convivium quod fideles coram Deo cum pace instituunt; nihilominus, quum homines manducare non possint adipes aut sanguinem, qui soli Deo reservantur, communio in ipsis cibariis sumendis reipsa penitus evanescit (2).

(1) Wellhausen, *o. c.*, p. 62; ad hanc ultimam assertionem refert cl. doctor *I Reg.* (*I Sam.*), XIV, 32-35, ubi revera memorari videtur immolatio ad usum communem, de qua pariter in *Exod.*, XX, 24; cf. Van Hoonacker, *Le lieu du culte*, p. 27 s. — Admittimus sane mactationem esse animam totius ritus, sed errat Wellhausen, dum ad locum remittit, in quo de caesione ordinaria animalium agitur; in eodem *I Reg.* (*I Sam.*), nimirum II, 13 s. et VII, 9, sacrificia nihilominus descripta reperire est, quae per immolationem offeruntur.

(2) Bötticher, *Der alttestamentliche Sühnopfer-Gedanke im NT.*, apud *Zeitschrift für Wissenschaftliche Theologie* (= ZWT.), LV (NF., XX), p. 232, Frankfurt a. M., 1913, concludit per verbum « mactare » praeparationem indicari epularum; vide supra, art. primum in hac sectione, ubi de etymologia diximus.

Hoc desideratum statim agnovit Kautzsch (1), qui supponit hunc fuisse primitivum usum : sanguis Deo communicabatur per aspersionem ad altare, et reliqua pars ab offerentibus consumi poterat. Vestigium antiquae hujus consuetudinis adhuc detegendum putat apud VT., ubi narratur : « Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras : partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen foederis, legit audiente populo : qui dixerunt : Omnia quae locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait : Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his »(2). Verum, in hac descriptione, foedus in sanguine initum comperimus, sed ubinam convivium habeatur, non percipimus, nisi aspersionem pro manducatione accipere debeamus.

Sequitur exinde expressiones *mensam Domini* et *panem Jahve*, prout nunc in VT. occurrunt, unice sensum metaphoricum prae se ferre (3); ex testimoniis praeterea, in quibus Wellhausen ad usum quemdam antiquiorem alludi ducit, sententia ipsius potius infirmatur quam corroboratur.

*
* *

Contendit enim reipsa Wellhausen sacrificium, primis saltem temporibus, praeparatum in escas oblatum fuisse, et a *Codice Sacerdotali* consuetudinem invectam putat carnes crudas,aut farinam in panes nondum conditam, in ignem sacrificalem tradendi, atque praeclarum exemplum antiquioris usus in sacrificio Gedeonis se invenisse gaudet (4). Haec autem argumentatio per basim ruit, quoniam eo momento quo Gedeon epulum suum praeparat, characterem divinum sui hospitis adhuc plane ignorat (5), et quia alibi, in I Reg. (I Sam.), I, 24, ad sacrificium Annae, uxoris Elcanae, non panes

(1) Kautzsch, *art. cit.*, p. 618.
(2) *Exod.*, XXIV, 6-8.
(3) Altare reipsa jam ex forma sua exteriori vocari poterat mensa ; ita adhuc appellari poterat per eamdem figuram, per quam sacrificium nuncupabant panem dei ; per hanc ultimam expressionem nimirum, positive exprimebatur idea potius negativa : dicebatur panis Jahve, quia jam non amplius erat panis hominum,quandoquidem homines necessaria sibi ad sustentationem destruebant, et sibimet subtrahebant ut ea in sacrificium Deo offerrent. — Cf. etiam Van Hoonacker, *art. cit.*, apud RBI., NS., XI, p. 179.
(4) Wellhausen, *o. c.*, p. 66.
(5) *I Jud.*, VI, 19-21. — Cf. Lagrange, *Le livre des Juges*, p. 122 s., Paris, 1903 et *Relig. sém.*, p. 248, n. 1.

sed farinam offerri reperimus (1). Haec oblatio equidem, secundum cl. criticum, explicari debet ex exemplo Gedeonis modo citato, ita nempe ut profiteamur Annam secum asportavisse farinam, quacum, in loco oblationis, escas et panes praepararet ! Ad hanc assertionem prorsus gratuitam stabiliendam textum invocat ex Ezechiele propheta (2), et in hoc testimonio agitur revera de condendis epulis, sed post peractum sacrificium, et in ipsis culinis scilicet sacerdotum !

Confirmationem adhuc requirit auctor ex narratione peccati filiorum Heli (3), qui partem suam sacrificii jam crudam exspostulant, ut eam tostam deinde, et non coctam, manducare possint; cum hac descriptione, ait, ad antiquum usum coquendi carnes in sacrificium offerendas aperte alluditur (4).

Textum autem attente consideranti statim apparet duplicem inibi narrari culpam sacerdotum, et quidem ex ordine gravitatis, quod jam insinuat particula *etiam* (גַּם) in v. 15 : sacrificio peracto, dum coquebantur carnes in convivium offerentium, sacerdos primo auferebat partem sibimet nullo modo competentem : « quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis (5), dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum : et omne, quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi : sic faciebant universo Israeli venientium in Silo ».

Hoc erat prius peccatum, laesio nimirum juris immolantium : parte sua legitima jam accepta, sacerdos insuper a convivio tollebat quasdam carnes, et ita praecipue explicatur cur iis partibus contentus fuerit, quas casu fuscinula sua levare poterat.

Sed « (a) etiam (גַּם) antequam adolerent adipem, veniebat puer

(1) *I Reg.(I Sam.)*, I, 24 : « Et adduxit eum (Samuelem) secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, et tribus modis farinae, et amphora vini, et adduxit eum ad domum Domini in Silo ».

(2) *Ezech.*, XLVI, 20 s.; cf. adhuc *Lev.*, VI, 28 (hebr. 21) et *II Paral.* (*II Chron.*), XXXV, 13.

(3) *I Reg.* (*I Sam.*), II, 12 s.

(4) Wellhausen, *o. c.*, p. 66 : « Die alte Sitte ist dies nicht (nempe ut materia sacrificii, puta carnes crudae aut farina in ignem sacrificalem traderentur), wie nicht blosz aus dem bereits angeführten Beispiele Gideons (Jud., VI), sondern auch aus dem I Sam., II beschriebenen Verfahren zu Silo erhellt, wo die Söhne Elis nicht warten wollen, bis das Opferfleisch gekocht und die Altarstücke « geräuchert » sind, sondern ihren Anteil roh zum Braten verlangen ».

(5) Legendum dicit Van Hoonacker, *Le sacerdoce lévitique*, p. 141, non *puer sacerdotis*, sed *puer-sacerdos*.

sacerdotis, et dicebat immolanti : (b) Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti : (c) non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam » (1).

Hoc erat alterum peccatum, priore majus, siquidem laesio ipsius juris divini, quia jam sacrificium completum Jahve offerri nequibat. Ante peractum sacrificium enim, sacerdos rogabat partem sibi competentem, quamvis haec pars ipsi tantummodo post perfectam oblationem concedi potuisset, ideoque pollicebatur se « hac die » nihil de convivio insequenti ablaturum.

Ut haec interpretatio rite percipiatur, textum primogenium attentius pervolvere oportet. Oppositio, quam Vulgata ponit inter v. 15b et v. 15c (« non enim »), apud textum hebraicum non legitur ; ita nimirum sonat : וְלֹא־יִקַּח מִמְּךָ ; praeterea in v. 15b legunt LXX : ἐκ τοῦ λέβητος, ex lebete (hebr. כִּיּוֹר), et non : כִּי אִם־חָי = sed crudam, itaque cl. Van Hoonacker (2), cum Klostermann, hunc locum ita restituendum putat : « et non accipiam a te carnem coctam כַּיּוֹם, scilicet, hac die », seu jam non sumam hac die fuscinula mea quasdam carnes, quae convivio fidelium inservire debent. Cum hac restitutione optime insuper convenit responsio immolantis : « Incendatur primum juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua » (3). Responsum alludit igitur ad solam combustionem adipum, ut sacrificium rite peragi possit, et ita simul constat carnes coctas fuisse ad solum epulum offerentium praeparandum, et minime, uti postulat theoria a Wellhausen elucubrata, ut sacrificium Deo per modum epularum applicaretur.

In ipso *Codice Sacerdotali* ceteroquin ad descriptum sacrificium incruentum, legimus : « Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano : de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, et lagana azyma oleo lita... » (4), quod satis demonstrat hanc oppositionem inter modum offerendi, quem Wellhausen vocat antiquum, et ritum, quem dicit ab ipso *Codice Sacerdotali* invectum, prorsus deficere, quum in hoc etiam documento, cibaria praeparata quandoque offerri praescribantur. Offeruntur igitur cibi in sacrificium, sed haec oblatio perfecte exinde intelligitur quod homo pro acceptis alimentis etiam grates rependere debet, itaque partem escae suae, memoriale videlicet, cum thure, sacrificaliter destruit ;

(1) *I Reg.* (*I Sam.*), II, 15.
(2) Van Hoonacker, *Le sacerdoce lévitique*, p. 415.
(3) *I Reg.* (*I Sam.*), II, 16.
(4) *Lev.*, II, 4 ; cf. etiam *Lev.*, VI, 21 (hebr. 14) ; VII, 9, 12.

ad haec sacrificia explicanda, theoria convivii plane ergo superabundat (1).

Quoad expressiones aliquas, quae apud prophetas aut in psalmis reperiri possunt (2), et in quibus Jahve cibis oblatis satiatum esse pronuntiatur, eaedem manifeste per ironiam dictae sunt, itaque nihil quaestionis de essentia sacrificii dirimere poterunt.

* * *

Merito proin relinquimus theoriam convivii, eamque ex textu sacro non comprobatam sed improbatam contendimus. In fine hujus disputationis pauca tamen addere oportet contra sententiam ill. Bellord, qui generaliori ratione procedit et non tantum sacrificium judaicum, saltem antiquitus, sed quamlibet oblationem sacrificalem apud omnes gentes primitivas, convivium fuisse asseverat, quod tribus in unione cum diis suis participabat (3).

Ut hanc suam thesim demonstret, pro sacrificiis paganis tantum quaedam testimonia affert ex opere superius laudato, quod concinnavit cl. Döllinger (4) ; verum insuper hoc scriptum non nisi ex libro theologiae quodam manuali cognoscere videtur (5), atque indebite praeterea hunc auctorem in suum sensum attrahit, quod

(1) Cum hac explicatione satis intelligitur testimonium ex *I Reg.* (*I Sam.*), X, 3. — Quoad discrimen, quod invocat Wellhausen, inter oblationem hanc, *I Reg.* (*I Sam.*), X, 3, ubi panes videntur communes, praeparati videlicet cum fermento, (quamvis tamen textus revera de praesentia aut absentia fermenti nihil habeat), et praescriptionem quam legere est apud *Lev.*, II, 11, hoc forsitan explicatur ex diverso utrimque sacrificio ; apud ipsum *Codicem Sacerdotalem*, quem vocant, in *Lev.*, VII, 13, panes fermentatos in sacrificio gratiarum actionis offerendos esse legimus, itaque idem videtur agi sacrificium in *I Reg.* (*I Sam*), X, 3 et in *Lev.*, VII, 13, sacrificium nimirum cruentum, quocum panes offeruntur fermentati, qui altari non destinantur. In priore loco e contra, *Lev.*, II, 11, describitur sacrificium incruentum, independenter ab oblatione cruenta praestandum, et cum hoc sacrificio parallela videtur oblatio, de qua dicitur *Lev.*, VII, 12 : « Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento, conspersos oleo, et lagana azyma uncta oleo, coctamque similam, et collyridas olei admistione conspersas ». — Quoad testimonium ex propheta *Amos*, IV, 5, cf. Van Hoonacker, *Les douze petits prophètes*, p. 236. — Advertatur tandem panes propositionis, qui altari non destinabantur, sed a sacerdotibus manducabantur, cum fermento conditos fuisse.

(2) Ita v. g. *Is.*, I, 11 et *Ps.* XLIX (L), 13.

(3) Bellord, *art. cit.*, p. 4.

(4) Döllinger, *Heidentum und Judentum*, Regensburg, 1857

(5) Refert Bellord ubique Wilhelm et Scannell, *Manual of catholic Theology*, I-II, New-York, 1899.

satis conficiunt citationes, quas nosmetipsi in priore capite hujus I partis ex Döllinger adduximus (1).

Arguit praeterea ill. doctor ex VT., et invocat praesertim celebrationem ritus paschalis, quae revera convivium familiale importabat. Omittit autem comprobare hanc oblationem fuisse sacrificium, qua convivium, itaque transimus ad aliud testimonium quod affert ex Exodo : « Ascenderuntque Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta de senioribus Israel : et viderunt Deum Israel : ... et comederunt, ac biberunt » (2). Jamvero, ex hoc loco non sequitur sacrificium esse essentialiter convivium, etiam si cum ill. auctore admittamus hoc epulum cum caerimonia sacra conjunctum fuisse, quod textus plane ignorat (3).

Reprehensio Aaronis autem, quando sacrificium pro peccato non manducaverat (4), quae pariter in confirmationem hujus sententiae citatur, sufficienter intelligitur ex hoc, quod pontifex ritum a Deo praescriptum non observaverit. Nullam difficultatem similiter facit narratio epularum, ad quas Saul ex invitatione Samuelis admittitur (5), quoniam primo controvertitur num agatur ibidem sacrificium proprie dictum, quod ex textu certo minus demonstratur (6), et secundo, quia adhuc comprobandum manet, etiam si verum sacrificium offeratur, hanc oblationem convivio ita constare, ut ipsum epulum totam essentiam sacrificii constituerit.

Absolvitur adeo argumentatio ill. doctoris in favorem hujus sententiae, quam neque ex cultu judaico, neque ex aliis religionibus demonstravit.

* * *

Disputata in hoc articulo paucis hisce verbis resumere fas est : Wellhausen ex VT. non confecit sacrificium essentialiter esse convivium, quod Deo offerebant, aut simul cum Deo sumebant. Etenim

(1) Cf. etiam Cronin, *The other view of sacrifice*, in period. *Ecclesiastical Review*, XXXIII, p. 382 s., 1905.

(2) *Exod.*, XXIV, 9, 10a, 11b.

(3) Cf. etiam Batiffol, *L'Eucharistie dans le NT. d'après des critiques récents*, apud period. RBI., XII, p. 504, n. 2, 1905 : « Puis l'expression « ils mangèrent et burent » signifie que, ayant vu Dieu, ils ne moururent pas, et cela n'a rien à voir avec l'alliance et l'aspersion du sang, ni rien avec un repas sacrificiel ».

(4) *Lev.*, X, 17.

(5) *I Reg.* (*I Sam.*), IX, 10 s.

(6) Negat Van Hoonacker, *Le sacerdoce lévitique*, p. 252, inibidem describi sacrificium ; affirmat Mangenot, *art. cit.*, apud *Dict. de la Bible* (Vigouroux), V, 100.

primo, sacrificium piaculare non probatur institutionis recentioris, neque holocaustum ex sacrificio pacifico oriundum videtur. Secundo, sacrificium expiatorium et etiam holocaustum, quum nullum epulum supponant, nequeunt explanari ex epulis offerentium, et nulla affertur valida ratio ut explicationem diversam pro sacrificiis pacificis accipiamus. Sacrificium insuper non est praeparatio convivii, quod Deo praestandum foret, et ex sola metaphora aut ex ironia quasdam expressiones audiamus oportet, quales in VT. hinc inde leguntur, quin in iisdem formulis vestigia antiquioris alicujus consuetudinis agnoscere liceat.

Quoad sententiam ill. Bellord, minime pariter ex VT. constat, et quod alias religiones attinet, auctor non tam ipsis factis, quam auctoritati cl. Döllinger innititur, sed hunc doctorem immerito in suas partes attrahere conatur.

Attamen ne nosmetipsi rem a priori dirimere videamur, et ne tamen cogamur singulas religiones, minus alioquin adhuc notas, successive omnes perscrutari, sequentes animadversiones subjungere sufficiat :

Certum est non tantum apud populum Israel, sed etiam apud alias gentes, quodam saltem tempore, quaedam fuisse sacrificia, puta piacularia, quae nullum epulum secum connexum habuerunt (1).

Jamautem, quidquid sit de primis sacrificiis inter diversos populos, utrum scilicet pacificum, quod cum convivio celebratur, an expiatorium aut holocaustum, in quibus quodlibet epulum desideratur, typus exstiterit in materia sacrificali, si revera quasdam actiones indicare est, quae sacrificia proprii nominis vocari debent et nullum prandium offerentium involvunt, oportet dicamus hoc convivium cum quibusdam sacrificiis conjunctum, ad essentiam sacrificii qua talis non pertinere, quia hoc, quod sacrificium intrinsece et essentialiter constituit, in omnibus actionibus, quae sacrificia veri nominis nuncupantur, reperiamus necesse est.

Ne dicatur etiam, ipsum ritum sacrificalem, omisso nunc hoc convivio offerentium, esse praeparationem epularum, quae diis praebere intendebant. In hac sententia enim, centrum totius actionis in combustione aut in effusione sanguinis, in applicatione scilicet materiae sacrificalis ad Deum, uti aiunt, reponere debebimus; atqui satis conveniunt varii religionum historiographi ut culmen actionis sacrificae in destruenda re oblata, et in specie in immolanda victima, requirant. Attamen, sive admittant, sive renuant hanc veritatem, combustionem nihilominus ut praeparationem cibi interpretari non

(1) Vide supra descriptionem sacrificii, in hac I parte, p. 54 s.

poterunt, quoniam rursus nullatenus intelligitur in theoria convivii, cur tales partes, vitalia nimirum et adipes praesertim, igne consumendae veniant.

Non infitiabimur tamen homines populares apud multos populos sacrificium concipere potuisse tanquam convivium (1), et quasdam caerimonias tales errores ingerere aut fovere debuisse non negabimus (2), sed ex iis figmentis notionem sacrificii genuinam hauriamus profecto non postulatur (3) ; ex alia parte ceterum haud paucos auctores indicare esset, qui tales conceptus cum irrisione recusarunt (4).

Sed quaenam erat significatio hujus convivii, quod sacrificiis pacificis, in quibusdam religionibus praesertim oblatis, specificum et proprium erat ? — Ratio hujus convivii erat ut ipsa significatio oblationis pacificae intimius exprimeretur, et perfectius commonstraretur quemadmodum offerentes hoc sacrificium pace cum Deo suo fruerentur, ita ut ipsius mensae assidere possent. Cum hac ratione simul intelligitur cur pronuntiaverit Apostolus eos daemoniorum fore participes, qui cum intentione cultus idolis praestandi, idolothyta comedere attentarent (5).

*
* *

Totam hanc sectionem his verbis concludimus : 1. — *Nulla denuntiatur difficultas valida* contra notam destructionis, signanter non *ex etymologia ;* 2. — *non demonstratur* actionem sacrificalem esse *immutationem perfectivam ;* 3. — sacrificium *non absolvitur essentialiter convivio* quod Deo offerunt ; quinimmo ad sacrificium qua tale non pertinet epulum, quod in sacrificiis pacificis ubique reperire est, licet convivium cum his pacificis unum ritum sacrum constituat, quoniam intentionem offerentium tale sacrificium vividius manifestat.

(1) Cf. *Dan.*, XIV, 1 s.

(2) Vide *Lectisternia* descripta, v. g. apud DÖLLINGER, *Heidentum und Judentum*, p. 535.

(3) Cf. LAGRANGE, *Relig. sém.*, p. 261 : « Le rite du sang ne signifiait donc nullement qu'on donnait au dieu à boire. Si quelques malavisés l'ont cru, comme quelques nigauds ont pensé que Bel avalait des mesures de farine, ce ne fut jamais l'opinion de l'élite qui a conçu et créé les rites » ; cf. etiam LEGRAND, *art. cit.* apud *Dict. des antiquités grecques et romaines* (DAREMBERG et SAGLIO), IV, 2, p. 956.

(4) Quosdam textus ex comicis graecis reperire est apud CLEM. ALEX., STROM., VII, n. 6 (PG., IX, 439 s.).

(5) *I Cor.*, X, 14 s. ; vide in II parte exegesim hujus pericopes.

Sectio II.

De aliis variis sententiis de ipsa definitione sacrificii propositis.

In hac secunda sectione, per modum objectionum contra definitionem sacrificii, quam in sectione tertia prioris capitis vindicavimus, varias sententias crisi subjicere intendimus, quae de definitione sacrificii in genere propositae fuerunt.

Omnes difficultates porro, quae contra definitionem a nobis statutam afferri possunt, reducere licet ad tria capita, quorum primum versatur *circa* ipsammet *notionem oblationis ;* alterum *circa necessitatem et circa munus oblationis sensibilis*, quam in quibusdam sacrificiis post immolationem indicare est ; tertium *circa finem* sive circa *significationem* sacrificii.

Diximus enim sacrificium generice *esse oblationem* ; oblatio autem dicitur quidquid in honorem divinum exhibetur seu refertur. Specifice definivimus sacrificium per destructionem ordinatam ad divinam excellentiam agnoscendam, atque destructionem tanquam *formam physicam*, relationem autem ad Deum, per intentionem seu per finem intentum, tanquam *formam metaphysicam* consideravimus. Atqui doctores quidam oblationem uti donationem accipiunt ; haec est prima difficultas, quam in art. primo dissolvemus. Alii rursus, quamquam etiam destructionem sacrificio essentialem esse denuntiant, hanc destructionem nihilominus materiale denominant in sacrificio et formale sacrificii in quadam oblatione sensibili, post immolationem perficienda, reponunt, itaque circa formam physicam praecipue errare videntur ; de hac sententia in art. secundo tractabimus. Alii tandem, omissa distinctione inter formam physicam ac metaphysicam, formale sacrificii integrum in significatione requirunt, adeoque praesertim conceptum formae metaphysicae pervertunt ; hanc opinionem in art. tertio examinabimus. Sedulo animadvertatur oblationem, de qua in art. primo agemus, non eamdem esse cum hac oblatione de qua in art. secundo disputabimus, uti ex dicendis mox apertius apparebit.

Art. 1. — De theoria donationis.

Quamplures auctores, quamquam etiam sententiis diversissimis de essentia sacrificii adstipulantur, oblationem tanquam donationem aliquam audiunt : quidam primo, quos supra jam obviavimus, quia argumenta eorum potius ad ipsa elementa sacrificii definienda

faciunt, hanc donationem in donando cibo collocandam censent (1), saltem ad stadium primarium evolutionis, quam in hac materia profitentur; sed alterum adhuc indicant stadium, sub influxu praedicationis propheticae apud populum Israel invectum (2), in quo idea donationis, quamvis fundamentalis in sacrificio permaneat, magis tamen pura, magis « nobilis » apparet : sacrificium tunc ad modum quo munus dominis terrenis praestatur, ita similiter Jahve offertur, cui magnopere placet hoc donum sanguinis, quoniam sanguis, utpote res maximi pretii atque maximae efficaciae, tanquam sedes et vehiculum vitae haberi potest (3). Accipiunt iidem doctores, uti superius denuntiavimus, impositionem manuum tanquam declarationem qua ille, qui offerebat sacrificium, asseverabat hanc victimam esse rem suam, itaque intelligendum volunt cur pauperibus licitum fuerit « similae partem ephi decimam » offerre pro peccato; patet adeo, aiunt, praecipuum in hac materia non fuisse sanguinem qua talem, sed ipsum valorem intrinsecum rei, quam Deo in sacrificium donare cupiebant (4).

Hoc secundum stadium, in evolutione notionis sacrificii, connec-

(1) Cf. Wellhausen, *Prolegomena*, p. 61; Kautzsch, *art. cit.*, p. 618; O. Schmitz, *o. c.*, p. 40 s.

(2) Cf. Gore, *o. c.*, p. 163 et Bötticher, *art. cit.*, p. 232.

(3) Cf. v. Orelli, *art. cit.*, in PRE., XIV, 387 et Baumgarten, art. *Opfer*, I, A (*religions- und kultusgeschichtlich*), necnon Gressmann, art. *Opfer*, I, B (*Opfer und Gaben im AT.*), apud Dict. *Die Religion in Geschichte und Gegenwart*, IV, 956 et 961, Tübingen, 1913. — Tanquam patroni hujus sententiae citantur apud Paterson, art. *Sacrifice*, in *Dict. of the Bible*, IV, p. 331 : H. Spencer, *Principles of Sociology*, parag. 139, London, 1876; Tylor, *Primitive Culture*, London, 1891[3]; ita adhuc Baudissin, apud *Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft*, p. 833, 1903, quem refert et laudat Lagrange, *Relig. sém.*, p. 267. Vide adhuc F. Jaeckel, *Der Opferbegriff nach seinem Wesen und seiner Bedeutung*, apud period. *Neue kirchliche Zeitschrift*, XX, p. 183 s., Erlangen und Leipzig, 1909. — Renan, *Histoire du peuple d'Israël*, I, p. 52, illud donum per contractum « do ut des » interpretatur, uti affirmat Dürkheim, *Les formes élémentaires de la vie religieuse*, p. 493, qui huic opinioni pariter assentit, sed juxta principia sua philosophica, contractum ita intelligit ut nempe homines vivere non valeant sine diis, sed nec dii sine hominibus esse possint, quia ipsi dii non sunt, nisi in quantum repraesentantur; repraesentantur autem cum ipsis cultus exhibetur. Ideam donationis magis fixam tamen censet Dürkheim quam ideam communionis, quam etiam in sacrificio reperit; in *o. c.*, p. 490 scribit nimirum : « Sans doute, le sacrifice est, en partie, un procédé de communion; mais c'est aussi, et non moins essentiellement, un don, un acte de renoncement. Il suppose toujours que le fidèle abandonne aux dieux quelque chose de sa substance ou de ses biens... Peut-être même l'oblation est-elle plus permanente que la communion ».

(4) Cf. Bötticher, *art. cit.*, p. 233.

tendum putat W. R. Smith cum hac periodo evoluti humani generis, qua gentes jam a peregrinationibus suis cessantes, agros colere incepere et regimen invexere proprietatis individuae ; tunc enim sese tanquam colonos in terris suis habuerunt, ideoque Deo, tanquam regi aut domino, tributum solvendum duxerunt, aut donum saltem in piamentum offerendum esse opinati sunt.

Cum prioribus auctoribus concinit ill. Bellord, qui hunc conceptum sacrificii per donationem muneris, minus primitivum pariter dicit ; formam autem sacrificii antiquiorem autumat esse convivium commune, quod dii reipsa participabant ; in momento evolutionis posteriore vero cibos per ignem diis applicari credebant (1).

Multi theologi porro, qui talem evolutionem prorsus respuunt, ingenue nihilominus theoriam donationis accipiunt, et horum argumenta nunc ponderare volumus.

§ 1. — *Exponitur theoria.*

Conceptum oblationis seu donationis primo apud patronos theoriae immutationis perfectivae reperire licet : apud Scheeben nimirum legimus functionem sacerdotalem in eo reponendam fuisse, quod minister legitime constitutus « donum » ab offerente laico acceptabat ut illud in ignem sacrificalem mitteret, et per combustionem rem Deo traderet (2) ; ita similiter Schanz, qui sacrificium definit oblationem alicujus doni sensibilis ex possessione hominum desumpti et in possessionem Dei transmissi, quod per immutationem, generatim per effusionem et combustionem, a Deo acceptatur (3). — Ipsius enim Dei, ait, sunt omnia, sed homo super omnia creata proponitur procurator, itaque quando quibusdam rebus a se possessis renuntiat, actum exercet privationis, qui actus characterem induit religiosum, quoniam res istae Deo tanquam domino atque creatori appropriantur (4).

Ideam donationis essentialem esse pariter proclamat Lepin :

(1) Bellord, *The notion of sacrifice*, apud period. *Ecclesiastical Review*, XXXIII, p. 6 et p. 9.

(2) Scheeben, *Dogmatik*, III, p. 409 ; paulo inferius hanc functionem sacerdotalem stricte vocandam dicit : « Opferdarbringen... d. h. *Z*ueignen und Uebergeben der gebrachten Gabe ». — Cf. adhuc ejusdem auctoris *Mysterien des Christentums*, p. 490. Eadem ratione combustionem explicant Wellhausen, *Prolegomena*, p. 61 et Ritschl, *o. c.*, II, p. 192, nimirum tanquam « appropriationem » Deo rei offerendae.

(3) Schanz, art. *Opfer*, in *Kirchenlexicon*, IX, 882.

(4) *Die Lehre von den hl. Sacramenten der kath. Kirche*, p. 466.

sacrificium, inquit, proprie consistit in dono quod Deo offertur ; est enim proprie actus oblationis sive donationis Deo (1).

Ita rursum Thalhofer, qui licet quam maxime theoriam destructionis defendat, et destructionem omni sacrificio essentialem esse denuntiet, nihilominus in hac eadem destructione, quam abstinentiam symbolicam appellat, adhuc « renuntiationem materialem » exercendam docet, quae per combustionem obtinetur, quando res quaedam utiles atque amoenae, meliores scilicet partes victimae, in « poenam possessionis », igne consumuntur. Quod igni traditur, ad mentem ipsius, nullatenus considerari debet uti substitutum quoddam homini, sed hac combustione res creatae irrationales a φθορά liberantur, qua inficiebantur inde a lapsu originali, ut homo postea ceteris omnibus suis rebus libere frui posset (2).

Hanc explicationem a Thalhofer allatam recusat Pohle, qui in explicando sacrificio Eucharistico magis in sententiam Lugonis inclinare videtur (3) ; asserit tamen rem oblatam per combustionem (sacrificalem) usui profano subtrahi, ut ex possessione hominum in possessionem Dei transeat, itaque in oblatione sacrificii, donationem aliquam manifeste subaudit (4).

Auctores modo citati communi ratione vertunt voces *minhâh* et *qorbân* per « donum » seu « munus », et ipsis revera, primo saltem aspectu, favent testimonia quaedam Scripturae sacrae, utpute : « Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona (ἵνα προσφέρῃ δῶρά), et sacrificia pro peccatis » (5) ; « ad offerendum munera

(1) Cf. Litteras quas scripsit Lepin ad Mortimer, in hujus *o. c.*, p. 582 : « Le sacrifice consiste proprement dans un présent offert à Dieu... ; le sacrifice est donc proprement un acte d'offrande ou de donation à Dieu » ; vide adhuc Lepin, *o. c.*, p. 62 et P. Dhorme, apud Bricout, *o. c.*, I, p. 154 : « Le sacrifice n'est pas seulement expiatoire. C'est le plus souvent un don, une offrande qu'on fait aux dieux pour leur témoigner de la piété et obtenir leurs faveurs ».

(2) Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 66 et p. 68, n. 2 ; cf. etiam Hurter, *Theologiae dogmaticae compendium*, III, p. 389, Oeniponte, 1908[12], qui praeter significationem quam dicit symbolicam, significationem profitetur practicam, « nam victimae destructione reali quaedam exercetur abnegatio, mortificatio, satisfactio, qua homo non solum symbolice peccati sensum exprimit, sed et facto spiritum prodit poenitentiae, renunciando grato cuidam objecto, quod ad ipsum spectat ».

(3) Pohle, *Lehrbuch der Dogmatik*, III, p. 399, Paderborn, 1912[5].

(4) *Ibidem*, p. 347.

(5) *Hebr.*, V, 1 ; cf. *Mt.*, XXIII, 19 : « Quid enim majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum ? ». — Vide adhuc in VT. (juxta *Vulg.*) *Lev.*, XXIII, 38 et *Ezech.*, XX, 31.

(δῶρά), et hostias constituitur : unde necesse est et hunc habere aliquid, quod offerat : si ergo esset super terram, nec esset sacerdos : cum essent qui offerrent secundum legem munera (τὰ δῶρα), qui exemplari, et umbrae deserviunt coelestium » (1).

Verum, ex hoc praecipue capite, ex idea nimirum donationis, Lutherus dogma sacrificii Eucharistici jampridem oppugnavit, quando analysim narrationis evangelicae instituit. Ibidem legitur, ait, Christum gratias egisse et panem cum benedictione discipulis porrexisse, quin ullum addatur verbum de donatione Deo facienda : corpus Christi nobis datur sed nos Deo nihil donare possumus (2).

Eodem fere argumento recentissime Wieland (3) confutare conatus est definitionem, quam supra stabilivimus : oblationem prius « donationem » audit, et facili negotio conficit sacrificium Eucharisticum, sive proprie, sive improprie donatio sumatur, nullatenus cum hac notione congruere, quare et postea hanc celebrationem Eucharistiae per « orationem eucharisticam » explanare satagit.

§ 2. — *Crisis hujus sententiae.*

His rite perpensis, notionem oblationis penitius perscrutati, sacrificium quod concrete est in immolatione victimae, homini substitutae, generice per oblationem definiendum demonstravimus, sed principiis a s. Thoma statutis pressius innixi, offerre diximus esse « exhibere aliquid in cultum divinum », adeoque (quamvis res oblata ex possessione offerentis plerumque desumatur (4), ac de facto renuntiationem et abnegationem supponat, imo gradationem aliquam in materia offerenda admittat, ita ut in sacrificio piaculari abstinentia quaedam realis cum expiatione symbolica intime conjungatur), nihilominus abnegationem hanc quasi per accidens se habere ad significationem propriam sacrificii denuntiamus. Instituta sunt enim sensibilia sacrificia « non propter hoc quod

(1) *Hebr.*, VIII, 3, 4; cf. *Mt.*, V, 23 s.; VIII, 4; XV, 5; *Hebr.*, IX, 9; XI, 4, etc.; in VT. vide *Gen.*, IV, 3 s.; *Lev.*, II, 12 s., etc.

(2) Videsis quaedam excerpta ex scriptis Lutheri, quae in parte prooemiali retulimus. Hanc positionem a Luthero electam accepit Card. Bellarminus, *De Missa*, I, c. 24, et demonstrare conatus est nos simul posse aliquid a Deo accipere, et illud idem ipsi donare; inde fortasse haec notio in controversiam irrepserit.

(3) Wieland, *Opferbegriff*, p. 182 s.; ita pariter Renz, *Geschichte*, I, p. 94 et passim.

(4) Essentiae sacrificii minime tamen officit rem oblatam ad offerentem non pertinere; lege enim *Exod.*, XXIX, 1 s. et ea quae p. 76 s., ubi de ritu impositionis manuum, disputavimus.

Deus eis indigeat, sed ut repraesentetur homini, ait Angelicus, quod seipsum et omnia sua debet referre in ipsum (Deum) sicut in finem et sicut in creatorem et gubernatorem et dominum universorum » (1). Ideo « in oblatione sacrificii non pensatur pretium occisi pecoris, sed significatio, qua hoc fit in honorem summi rectoris totius universi » (2).

Expiatio realis igitur, formali sua ratione, refertur non ad virtutem religionis, sed ad virtutem temperantiae ; elicitive spectat ad temperantiam, licet imperative ad religionem pertinere poterit.

Sacrificium revera est oblatio, sed oblatio non est donatio, quandoquidem Deo, sensu proprio verborum, nihil donari potest ; offerre proprie est aliquid in cultum divinum exhibere, quod dominio hominum reipsa subtrahitur, et hac de causa vocatur donum aut munus, ex aspectu suo negativo scilicet, uti supra annuimus, quamvis nihil in dominium Dei positive transferatur.

* * *

Difficultas, quam movent ex facultate, qua pauperibus sub VT. licebat sacrificium incruentum sacrificio cruento sufficere, satis ex substitutione explicatur : hostia erat homini substituta, et qua talis destruenda erat, sed ideo rursus commutari poterat cum alimoniis, quibus eadem vita humana sustentanda erat. Simul inde patescit significationem sacrificii principalem, seu agnitionem supremae divinae majestatis, magis attendi et eminere prae valore intrinseco ipsius rei oblatae, quoniam sacrificium praeprimis ad colendum Deum ordinatur ; quod autem piamentum attinet, nihil certo prohibet, quominus, (siquidem peccatum est simul conversio ad creaturas), cum actu religionis, qui in destructione rei vitae humanae repraesentantis exercetur, conjungatur adhuc actus expiationis realis et proportionalis ad culpam, et hic actus imperative ad religionem, elicitive vero ad temperantiam pertinebit (3).

Libenter deinde fatemur textum sacrum re quidem vera saepe saepius sacrificium tanquam donum aut munus designare, ast ex adjecta voce « oblatio », aut ex conjuncto verbo « offerre », quae in sacra Pagina vix non semper cum terminis « donum » et « munus » occurrunt, sufficienter constat quemadmodum hoc donum aut

(1) *Sum. contra Gent.*, III, c. 119.

(2) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 2, ad 2m ; cf. etiam q. 81, a. 7, ad 2m.

(3) Haec gradatio proin, quam in *Lev.*, *l. c.*, pro sacrificiis piacularibus comperimus, optime componitur cum idea expiationis, dummodo distinctio attendatur inter expiationem symbolicam et realem, quae distinctio latuisse videtur A. Sabatier, *o. c.*, p. 15 ; cf. Laminne, *La Rédemption*, p. 202.

munus, non ad translationem dominii, sed ad exhibitionem cultus faciat.

Addatur tandem substitutionem minime essentialem esse sacrificio, hoc nimirum sensu, quod melius ac verius salvari posset essentia sacrificii, si ipsam vitam humanam in honorem divinum destruere liceret, sicuti Christus de facto animam suam pro nobis posuit. Jamvero, vitam nostram proprie non possidemus, et ita luculenter denuo apparet nullo titulo postulari ad essentiam sacrificii ut res aliqua ex nostra possessione in possessionem seu in dominium Dei transmittatur (1).

Quidam doctores certo in hac controversia ad auctoritatem Aquinatis provocabunt, sed nullum adjumentum « sententiae donationis » provenit ex dictis s. Thomae, in textu, ubi divus doctor oblationem sacrificii ad jus naturale spectare commonstrat. Ex ratione procedit, inquit, « quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitae subjectionis et honoris, secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii » (2). Uti ipse Angelicus expressis verbis adnotat, comparationem seu similitudinem proponit, quae nullo modo exigit ut res, Deo atque domino terreno, eadem ratione offerantur. Explicite vel imo docet supremum dominium Deo convenire, « secundum propriam ac singularem rationem, quia scilicet ipse omnia fecit, et quia summum in omnibus rebus obtinet principatum » (3) ; ideo pariter anima in sacrificio spirituali, cui tamen adjungendum est sacrificium exterius, sese offerre cupit Deo suo, « sicut principio suae creationis, et sicut fini suae beatitudinis » (4).

Destructio non fit ergo ut res Deo donetur, sicut insinuare videtur Suarezius : « Offerre autem aliquid Deo, ait, dicit habitudinem objecti proximi, seu personae, cui aliquid donatur seu exhibetur... Quia (vero) Deus rebus nostris non indiget, neque novum earum dominium acquirere potest, ac si nullum antea haberet, non possunt (res) hoc titulo vel ratione illi offerri, sed solum ut in ejus honorem

(1) Haud speciali redargutione indiget haec assertio, quam legere est apud Michael, *Harmonie der sieben vorzüglichsten Messopfer-Theorien*, Mainz, 1907, in prooemio : « In crucis sacrificio actio sacrifica consistebat in libera et absolutissima separatione animae Christi a corpore et a sanguine, per quam facta est in instanti mortis formaliter oblatio rei scilicet doni, id est, animam Christus tradidit in manus Patris, corpus in sinum matris et terrae »!

(2) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 1, c.

(3) *Ibidem*, q. 81, a. 1, ad 3m.

(4) *Ibidem*, q. 85, a. 2, c.

consecrentur, immutentur, aut consumantur » (1). Magis accurate autem superius asseveravit : « In sacrificio non necessario intervenire aliquam propriam donationem, quae Deo fiat, sed rei alicujus consumptionem factam in protestationem excellentiae divinae ; quod, si haec appelletur donatio, non est talis, quae requirat propriam acceptationem alterius, quia non transfert dominium rei in illum sed solum immutat, vel consecrat in honorem ejus » (2).

Plane supervacaneae adeo videntur omnes explicationes, quas varii auctores de « acceptatione » ipsius rei oblatae vel de ejus « applicatione » Deo, mediante igne sacrificali, excogitaverunt (3). Scite etiam animadvertit Card. de Lugo (4) : si res Deo donanda foret, melius haec ipsa integra aut adhuc de novo producta daretur.

* * *

Jure meritoque concludimus igitur in fine hujus articuli primi : *sacrificium nullam involvit donationem proprie dictam ; dicimus revera sacrificium esse in genere oblationis, at offerri denuntiamus*, cum s. Thoma, *quidquid in honorem divinum exhibetur seu refertur.*

Art. 2. — De theoria oblationis sensibilis.

In articulo secundo examinabimus difficultatem, quae ex male intellecta forma physica exsurgit. Quidam auctores enim formam physicam reperiunt non in destructione, sed in oblatione quadam sensibili, quae quandoque post mactationem obtinet, et ipsam immolationem, sive ut materiam, sive ut dispositionem praeviam, sive adhuc ut praeparationem ad formale sacrificii interpretantur ; deinde ad hanc oblationem sensibilem spectare autumant ut ipsam destructionem ad cultum Deo debitum exhibendum referat. Error igitur duplex est : *primo*, hanc *oblationem sensibilem* perperam uti *formam physicam* designant ; *secundo*, *eidem oblationi sensibili munus assignant* quod revera ad finem, ad formam metaphysicam, pertinet.

§ 1. — *Argumentum primum in favorem hujus sententiae diluitur.*

Varia sunt argumenta, quae in adjumentum hujus sententiae

(1) Suarezius, *o. c.*, disp. 73, sect. V, n. 2.
(2) *Ibidem*, sect. III, n. 5.
(3) Ita Wellhausen, *Prolegomena*, p. 61 ; Ritschl, *o. c.*, II, p. 192, Scheeben, *Dogmatik*, III, p. 402 ; Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 67 ; cf. etiam Bellord, *art. cit.*, p. 9 et Lepin, in litteris relatis in appendice G, apud Mortimer, *o. c.*, p. 583.
(4) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. I, n. 8.

afferuntur, sed primam considerationem fere eamdem apud omnes doctores reperire est.

Ita nempe enuntiatur apud cl. Van Noort : « mactatio hostiae per se sumpta, potius est dispositio materiae quam ipsum sacrificium ; actio vero sacrifica reponenda est in tali oblatione, qua victimae destructio sensibiliter ordinetur ad cultum Dei » (1).

Actio sacrifica, ait Pohle, quoad essentiam consistit... in oblatione externa rei immutatae, vel etiam consumptae secundum quosdam theologos ; haec immutatio vel destructio vero non est formale actionis sacrificae, sed ad oblationem se habet tanquam medium ad finem ; tanquam praeparatio ad executionem, tanquam materia proxima ad formam (2).

Similiter loquitur Pesch, qui « quamlibet substantiam, quae sub dominium hominis cadit » dicit esse materiam remotam sacrificii ; « immutationem rei, quae usui communi subtrahitur » vocat materiam proximam (3) ; « sensibilem rei mactatae oblationem » tandem formam physicam nuncupat (4) ; « sacrificium (enim) secundum rationem formalem non consistit in destructione physica, sed in eo ritu, quo haec destructio ad Deum colendum eique satisfaciendum ordinatur, seu in oblatione reali » (5).

Jamautem, haec oblatio sensibilis in quibusdam sacrificiis haud facili negotio indicatur : audivimus supra cl. Scheeben (6), qui in sacrificio agni paschalis aspersionem postium tanquam ritum specifice sacrificalem proponebat ; ita pariter Cronin (7) essentiam ejusdem sacrificii, tum in mactatione agni, quum in aspersione postium repetiit, et postes hac occasione tanquam altare familiae habendos esse contendit ! In sacrificiis ad altare hierosolymitanum perficiendis, iidem doctores generatim combustionem carnium aut aspersionem sanguinis tanquam oblationem sensibilem considerant.

Animadvertatur quemadmodum sententiae, de quibus nunc disputamus, cum quibusdam opinionibus consentiant, quas in capite priore hujus primae partis dissolvimus. Ibidem enim jam theorias habuimus obvias, quae destructionem uti stadium habebant praeparatorium, sive ad actionem perfectivam, uti aiebat Scheeben (8),

(1) Van Noort, *De Deo Redemptore*, p. 118, Amstelodami, 1910².

(2) Pohle, *Dogmatik*, III, p. 348 ; cf. etiam *ibidem*, II, p. 226.

(3) Pesch, *Praelectiones dogmaticae. — De Sacramentis*, I, p. 382 s., Friburgi Brisgoviae, 1908³.

(4) *Ibidem*, p. 384. (5) *Ibidem*, p. 425.

(6) Scheeben, *Dogmatik*, III, p. 407.

(7) Cronin, *art. cit.*, p. 392.

(8) Scheeben, *o. c.*, III, p. 411.

sive ad convivium, uti dicebant Wellhausen (1) et alii quidam, qui essentiam sacrificii in epulis reperire voluerunt. Attamen in priore capite argumenta potius perpendimus, quae ad ipsa elementa sacrificii aliter definienda fuerunt allata, dum in hoc altero capite considerationes obviabimus, quae ad relationem diversorum elementorum ad invicem, diversimode a nobis exponendam, adducuntur.

* * *

Consentiunt auctores, quibuscum nobis impraesentium controversia, in argumento quod cl. Scheeben ex munere sacerdotali deprompsit; Pesch (2) v. g., quocum concinit Pohle (3), his verbis illud recoquit : « In vetere testamento erat munus speciale et exclusivum sacerdotum offerre sacrificia. Atqui interficere animalia sacrificio destinata poterant etiam laici... Omnia igitur excepta sanguinis coram altari effusione, a laicis fiebant... Ergo ratio formalis sacrificii consistebat non in interfectione animalis sed in oblatione sanguinis animalis interfecti a sacerdote facta ». Huic objectioni supra respondimus, et diximus laicum non immolare nisi nomine et auctoritate sacerdotis, ita ut actio sacrifica, seu destructio vitae, reipsa sacerdoti tribuenda maneat.

Attamen principium hujus erroris pressius adhuc convellere juvat, et totam difficultatem ex perperam intellecta forma physica exortam esse haec ipsa verba ejusdem auctoris aperte produnt : « Sacrificium, ait, est signum manifestivum agnitionis majestatis divinae. Atqui destructio alicujus rei, e. g. occisio animalis ex se non est tale signum. Ergo debet aliqua actio accedere, qua haec destructio ad Dei cultum ordinatur, et in hac sensibili ordinatione, forma sacrificii consistit » (4).

Respondetur: primo, haec oblatio sensibilis ex sese nihil ad Dei cultum ordinat, quod satis apparet in casu quo quis ficte sacrificaret; sed quando cum intentione debita conjungitur, ad sacrificium concrete spectatum pertinet, quia nimirum intentionem sacrificantis magis demonstrat. Haec intentio offerentis ipsa totam actionem in Deum refert, ideoque diximus intentionem esse formam sacrificii, eamque metaphysicam nominavimus, ut a forma distingueretur physica, quae est ipsa destructio, quippe quae sacrificium concrete consideratum ab omnibus aliis actibus ejusdem virtutis religionis secernat.

(1) Wellhausen, *Prolegomena,* p. 62; cf. etiam Ritschl, *o. c.,* II, p. 182.
(2) Pesch, *o. c.,* I, p. 384, ad arg. primum.
(3) Pohle, *o. c.,* III, p. 349.
(4) Pesch, *o. c.,* I, p. 384, ad arg. tertium.

Secundo, talis oblatio sensibilis in quibusdam sacrificiis reipsa desideratur, utputa in oblatione agni paschalis ; patescit enim sane aspersionem postium non esse actionem sacram quae aspersioni altaris aequivaleret, et insuper sacrificium qua tale, ante omnem combustionem et aspersionem essentialiter perfectum esse, superius demonstravimus.

Ad hominem arguendo notamus praeterea, quum combustio atque aspersio sanguinis ex se ad quemcumque scopum referri possint, nisi quis intentionem offerentis, qua actio sacrificalis externa in Deum ordinatur, invocare voluerit, ad tertiam actionem recurrendum fore et sic in infinitum.

Confundunt igitur iidem doctores formam metaphysicam seu finem sacrificii, quo forma physica seu destructio vitae ad Deum colendum exhibetur, cum physica quadam expressione ejusdem finis et significationis. Per combustionem et aspersionem sanguinis enimvero destructio non ad cultum divinum ordinatur, sed tamen manifestius exprimitur totam hanc actionem esse sacram, itaque haec oblatio sensibilis revera ritum sacrificalem, tanquam *sacrum signum* ejusdem intentionis et significationis, magis demonstrat, sed nullatenus ad sacrificium qua tale et ad essentiam ejus est necessaria.

Expressis verbis alioquin hanc confusionem apud Pohle legere fas est : Forma sacrificii, inquit, est in actione sacrifica requirenda, quae oblationem externam rei necnon finem ac scopum sacrificii simul in se continet (1) ; ita etiam Pesch : « Haec autem ordinatio multis modis haberi postest. Si agitur de cultu a Deo revelato, in eo consistit, quod minister a Deo institutus, secundum modum a Deo praeceptum, sacrificium peragit » (2).

Verum, luce clarius est illum modum, illa adjuncta, quae actionem proprie sacrificalem, scilicet immolationem, circumstant, non constituere ordinationem ipsam, sed externe tantum prodere hanc destructionem in cultum divinum esse referendam. Inter has circumstantias annumerandae veniunt combustio atque aspersio sanguinis, uti diximus, itaque ipsum Pesch mox concedentem audimus : « Possunt quidem immutatio rei et oblatio realiter coincidere » (3), et haec assertio revera auctoritate Suarezii, quam auctor invocat, omnino corroboratur. — « Haec eadem sacra immutatio, ait eximius doctor, quatenus in Dei cultum et honorem fit, est ipsamet oblatio sacrifica-

(1) Pohle, *o. c.*, II, p. 226.
(2) Pesch, *o. c.*, I, p. 384, ad arg. tertium.
(3) *Ibidem*, p. 385, ad arg. tertium.

tiva » (1) ; immutatio videlicet, ad mentem Suarezii, est oblatio, quatenus per intentionem in cultum divinum refertur, neque ulla sensibilis oblatio ulterius postulatur. Haec est ipsissima sententia, quam defendimus, adeoque ex verbis doctoris eximii potius improbatur, quam confirmatur theoria, quam nunc oppugnamus.

Non negamus insuper destructionem vocari posse materiam sacrificii, ratione superius exposita, in quantum nimirum destructio, abstracte si consideramus actionem sacrificalem a significatione, per ordinationem intentionalem ad actum religiosum evehitur ; destructio revera ex se pariter est signum ad placitum et elementum determinabile relate ad finem, qui illud elementum, id est destructionem, ad « esse religiosum » determinat.

§ 2. — *Argumentum secundum refellitur.*

Altero argumento, omni dubio majore, quod ex cruento sacrificio crucis desumunt, comprobatum esse dicunt iidem doctores formam sacrificii physicam non esse in destructione reponendam : « Christus (enim), inquit cl. Pesch, in cruce verum sacrificium obtulit. Atqui Christus non se ipsum interfecit, sed « per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo » (2). Ergo haec προσφορά, qua Christus mortem ab aliis sibi illatam coelesti Patri obtulit, est formalis ratio sacrificii crucis » (3).

Hanc demonstrationem approbat pariter Pohle (4), et nimis evidens esse censet sacrificium Christi nec in occisione a Judaeis perpetrata, nec in aliqua Christi suiipsius mactatione requirendum esse. Formale hujus sacrificii fuit igitur, ita simul concludunt, in oblatione, qua Dominus noster sanguinem suum et vitam suam pro mundi salute obtulit.

Uti luculenter constat, auctores, quibuscum nobis controversia, nullibi exponunt quid sit oblatio, seu προσφορά, et eamdem nunc ut actionem quamdam physicam, tunc ut relationem aliquam intentionalem audiunt.

Quaenam vero est oblatio quam Dominus in cruce perfecerit, et ubinam est oblatio sensibilis, quam in sacrificio crucis reperire oportet ? — Cl. Scheeben (5) reapse quamdam combustionem sacri-

(1) Suarezius, *o. c.*, disp. 73, sect. V, n. 6.
(2) *Hebr.*, IX, 14.
(3) Pesch, *o. c.*, I, p. 384, ad arg. secundum.
(4) Pohle, *o. c.*, III, p. 349.
(5) Scheeben, *Dogmatik*, III, p. 436 ; cf. ejusdem auctoris *Die Mysterien des Christentums*, p. 429.

ficalem in cruento crucis sacrificio indicavit ; ita similiter Thalhofer (1) ; sed si hanc combustionem admittere etiam velimus, quum eamdem per ignem caritatis aut per ignem Paracleti obtineri doceant, non habebimus nisi actionem internam et invisibilem, quam cum combustione sacrificali in altari VT. comparare minime poterimus. Nulla alia oblatio proin in cruce obtinuit, quam ipsamet ordinatio seu relatio passionis et mortis Christi in Deum, ut passio et mors a tortoribus ipsi illata ad sacrificium eveherentur. Et enim in hoc singulari sacrificio, Christus hostia erat sed etiam sacerdos, et re quidem vera sacerdos quatenus potestative mortem suam admisit : « Christus, ait Angelicus (2), simul et violentiam passus est, ut moreretur, et tamen voluntarie mortuus fuit ; quia violentia corpori ejus illata est, quae tamen tantum corpori ejus praevaluit, quantum ipse voluit ». Verum ut externe « ostenderet quod passio illata per violentiam animam ejus non eripiebat, naturam corporalem in sua fortitudine conservavit, ut etiam in extremis positus voce magna clamaret » (3).

Christus igitur per validum clamorem externe et sensibiliter manifestavit mortem suam in obsequium Patris ordinatam esse, quippe quum potestative animam suam deposuerit ; centrum vero totius actionis sacrificae erat in cruenta mactatione, nam « sine sanguinis effusione non fit remissio » (4). Haec effusio sanguinis et ipsa mors cruenta erat forma physica hujus sacrificii ; forma metaphysica erat ipsa relatio seu ordinatio intentionalis passionis et mortis in Deum ; adjuncta tandem, in quibus Christus mortem suam pertulit, attentis praesertim prophetiis VT. et ipsa praedictione Christi (5), physice et externe eamdem voluntatem manifestabant, itaque rursum ad sacrificium concrete consideratum pertinebant, sed ipsae circumstantiae ex sese nihil in Deum ordinabant.

Immerito igitur sententiam suam immutare videtur Card. Franzelin, qui cum formam physicam sacrificii generice sumpti, in destructione vitae reposuit (6), in exponenda oblatione cruenta Christi, haec addit : « In hujusmodi sacrificio rationali destructio vitae per se spectata pertinet ad materiam sacrificii, ipsa voluntaria mortis admissio et oblatio Deo facta esset actio sacrificalis et forma

(1) Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 181.

(2) *Sum. Theol.*, III, q. 47, a. 1, ad 3m.

(3) *Ibidem*, ad 2m.

(4) *Hebr.*, IX, 22.

(5) *Jo.*, X, 18 : « Nemo tollit eam (animam meam) a me : sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam ».

(6) Franzelin, *o. c.*, thes. II, p. 313.

sacrificii » (1). Verum, et in tali sacrificio destructio vitae est materia relate ad formam metaphysicam, quae immolationem ad « esse religiosum » determinat; forma autem physica, quam constituit actio sacrificalis, est ipsamet mactatio ; haec porro, in quantum sacrificalis, ad ipsum Christum tanquam ad causam referri debet (2), quia Christus potestative animam suam pro nobis deposuit.

Nullum ergo est argumentum, quod deducunt ex textu : « Obtulit semetipsum immaculatum Deo » ; hoc testimonium huic asserto aequivalet : « Obtulit semetipsum (in sacrificium) immaculatum Deo », et cum hac animadversione ad tertium transimus argumentum, quod apud Pohle vocatur philologicum (3).

§ 3. — *Argumentum tertium dissolvitur.*

Sacrificium activum, ait cl. Pohle, idem sonat ac offerre; offerre autem non est idem ac mactare vel destruere; sacrificium ergo potius est « offerre » et oblatio rationem formalem sacrificii constituit.

Hanc difficultatem, si tali nomine decorari mereatur, in priore capite hujus primae partis jam praevertimus : « offerre » et « oblatio » revera pro « sacrificare » et pro « sacrificio » supponere possunt, sed uti genus pro specie, et subaudita voce « sacrificium » (offerre sacrificium), vel addito tali adjectivo, quo oblatio nominatur v. g. cruenta, atque ad sacrificium patenter restringitur. Ipsa Scriptura sacra ceteroquin plerumque rem magis determinat, et dicit : « offerri sacrificium » (4) ; « offerri holocaustum super altari » (5) ; « filium offerri in holocaustum » (6), vel distincte adhuc in epistola ad Hebraeos : « Omnis Pontifex... constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis » (7).

* * *

Eversis argumentis, quibus munire volebant sententiam, quae formam physicam sacrificii in oblatione sensibili quadam reponit, hanc opinionem adhuc ex sequelis suis labilem demonstrare est.

Et enim si destructio esset actus ad sacrificium mere praeparatorius, multiplex offerri posset sacrificium ex una eademque victima, quoties nimirum oblationes sensibiles ipsae multiplicarentur. Hanc

(1) FRANZELIN, *o. c.*, thes. II, p. 317.
(2) *Sum. Theol.*, III, q. 47, a. 1, c.
(3) POHLE, *o. c.*, III, p. 348.
(4) *Is.*, I, 13. (5) *Gen.*, VIII, 20. (6) *Gen.*, XXII, 2. (7) *Heb.*, V, 1.

consequentiam accipit reipsa Pesch, qui ingenue fatetur : « Si in vetere testamento multa fuissent altaria in mundo, quorum cornua sanguine potuissent aspergi in sacrificium, Deus potuisset agnum uno loco occisum multiplicare, ita ut ejus sanguis a sacerdotibus potuisset aspergi omnibus altaribus totius mundi, quo facto ubique oblatum esset verum et proprie dictum sacrificium » (1).

Tales elucubrationes facilem viam sternere possunt ad sacrificium novae legis intelligendum ; num vero haec asserta factis innitantur, et a posteriori elaborata fuerint, valde dubium videtur.

*
* *

In initio hujus articuli diximus immolationem ab iisdem doctoribus nuncupari vel materiam vel praeparationem ad ipsam formam sacrificii, quam per oblationem sensibilem obtineri putant; in disputatione autem revera alterum membrum solum attendimus et nihil de sententia disputavimus, quae mactationem tanquam materiam sacrificii habet.

Ratio est primo, quia talem theoriam superius confutavimus, et secundo, quoniam auctores, quorum mentem nunc perscrutamur, si sibimetipsis consentire velint, immolationem vocare materiam non poterunt. Materia enim alicujus rei essentiam hujus rei ingreditur, itaque si quis mactationem appellare voluerit materiam sacrificii, eamdem a sacerdote et quidem ex munere sacerdotali, aut a laico ex auctoritate sacerdotis agente, perficiendam esse annuere oportebit, eo vel magis quod sacrificium et sacerdotium esse correlativa, nullus ex iisdem theologis infitiabitur; atqui immolationem dicunt esse functionem laicalem, itaque logice eamdem potius praeparationem ad sacrificium nuncupabunt. In hac hypothesi igitur disseruimus, licet mactatio vocari queat materia sacrificii, quando immolationem abstracte consideramus, eamque ut elementum determinabile relate ad finem intentum, aut significationem, definimus.

Patescit ergo *oblationem sensibilem*, quam in quibusdam sacrificiis indicare est, *non esse formam physicam neque etiam elementum formale sacrificii ;* est autem expressio physica et externa formae metaphysicae et quidem in sacrificio concrete spectato ; forma physica sacrificii, imo formale in sacrificio, uti in capite priore demonstravimus, est ipsa destructio vitae, et cum his verbis disputata in hoc articulo secundo resumere satis est.

(1) Pesch, *o. c.*, I, p. 425.

Art. 3. — De theoria, quae formale sacrificii in sola significatione seu in sola forma metaphysica reponit.

In hoc articulo tertio difficultatem perpendemus, quae ex errore circa formam metaphysicam sacrificii procedit, sed priusquam ad ipsam objectionem dissolvendam accedamus, paucis verbis doctrinam superius vindicatam rememorare juvat.

Religio est una virtus, quamquam plures sunt actus hujus virtutis, « sicut colere, et servire, vovere, orare, sacrificare et multa hujusmodi » (1) ; « eodem (vero) actu homo servit Deo et colit ipsum ; nam cultus respicit Dei excellentiam, cui reverentia debetur ; servitus autem respicit subjectionem hominis, qui ex sua conditione obligatur ad exhibendam reverentiam Deo. Et ad haec duo pertinent omnes actus qui religioni attribuuntur, quia per omnes homo protestatur divinam excellentiam et subjectionem sui ad Deum, vel exhibendo aliquid ei, vel etiam assumendo aliquid divinum » (2).

Adoratio igitur, oblatio et sacrificium sunt actus ejusdem virtutis, qua Deo cultus ipsi debitus persolvitur ; ab invicem vero distinguuntur ex modo, quo honor Deo praestatur : si hoc fit per motum corporis, erit adoratio ; si per rem, quae Deo offertur, erit oblatio vel sacrificium ; sacrificium rursus ab oblatione discriminatur per hoc, quod in oblatione res integra, in sacrificio contra, res consumenda, in divinum cultum exhibetur.

Non negamus tamen hanc ordinationem, seu relationem in Deum, diversos induere respectus, ita ut significatio, licet in semetipsa una eademque permaneat, quasi specificari videatur per ipsum modum externum, quo cultus Deo impenditur ; actus externus adorationis praeprimis ordinatur in Dei reverentiam (3) ; oblatio vero « in recognitionem divini beneficii » (4) ; sacrificium tandem in protestationem submissionis Deo, qui est « primum principium creationis rerum, et ultimus finis ad quem omnia referenda » (5), « sicut in creatorem et gubernatorem et dominum universorum » (6).

Haec est significatio, quam latreuticam nominavimus et omni sacrificio fundamentalem demonstravimus, ita ut alias tres significationes, impetratoriam, eucharisticam et propitiatoriam, in se concludat ac contineat.

Verum, quando sacrificium offertur eucharisticum, id est sacri-

(1) *Sum. Theol.*, II-II, q. 81, a. 3, ad 2m praeterea.
(2) *Ibidem*, ad 2m. (3) *Ibidem*, q. 84, a. 1, c. (4) *Ibidem*, q. 86, a. 4, c.
(5) *Sum. Theol.*, I-II, q. 102, a. 3, c.
(6) *Sum. contra Gentes*, III, c. 119 ; cf. pariter *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 2, c.

ficium in gratiarum actionem, finis eucharisticus, uti ipsum nomen hujus sacrificii indicat, prae ceteris significationibus excellit et tale sacrificium ex significatione revera ab oblatione minus secernitur, quippe quum oblatio pariter « in recognitionem divini beneficii » referatur. Ideo, uti pluries monuimus, significatio seu forma metaphysica non est separanda ab actione ipsa sacrificali, seu a forma physica, quacum unum constituit sacrificium concretum, nam si sacrificium eucharisticum ab oblatione ex parte significationis minus secernitur, manet tamen ut ex destructione, quae hac de causa dicitur forma physica, ab oblatione et ab alio quolibet actu ejusdem virtutis religionis apte distinguatur.

Haec conclusio, quam in priore capite stabilivimus, aperte theoriae contradicit, quam tuetur Vasquezius (1), qui, rejecta distinctione formam physicam inter ac metaphysicam, unicam materiam et formam in sacrificio reperit, et ex sola forma insuper differentiam, oblationem inter atque sacrificium, aut imo hos ambos actus inter et adorationem, assignandam putat.

§ 1. — *Adumbratur theoria Vasquezii.*

« Quamvis ex parte rei oblatae, ait Vasquezius, discrimen sit manifestum inter oblationem simplicem, et sacrificium absolutum, quod res in sacrificium absolutum oblata immutetur, in oblatione autem simplici non item, tamen discrimen hoc ex parte ipsius materiae videtur esse ideoque oportet in formali ratione sacrificii absoluti, et simplicis oblationis differentiam aliquam assignare; cum autem tam oblatio, quam sacrificium sit genus quoddam signi, quo Deum colimus, discrimen hoc ex parte ejus, quod significant, constituendum est » (2).

« Neque satis est inter oblationem simplicem, et sacrificium, discrimen illud assignare, quod res oblata in sacrificium immutari debet, oblata autem simpliciter non item : nam haec differentia, ex parte materiae solum est, et nisi inde diversa ratio significationis, et notae proveniret, accidentarie omnino cum ratione sacrificii se haberet. Cum igitur ratio formalis sacrificii, et oblationis in significatione, et nota alicujus cultus, et honoris erga Deum posita sit, ex parte ipsius significationis discrimen inter sacrificium, oblationem et adorationem constituendum est ... ».

« Jam vero inter illa tria haec differentia assignari debet, ut adoratio sit submissionis nota, nempe cum aliqua re exterius deno-

(1) Vasquezius, *o. c.*, disp. 220, cap. II, n. 14.
(2) *Ibidem*, cap. III, n. 20.

tamus nos Deo submitti, et subjici, tanquam Domino et superiori, atque idcirco duo, nempe nostram animi submissionem, et Dei excellentiam adorationis nota significamus. Simplici autem oblatione, non denotamus submissionis nostrae affectum erga Deum, neque illius excellentiam, cui subjiciamur, ut inferiores, sed dominium ipsius universale, et ideo res aliquas illi offerimus eo modo, quo possumus, ut denotemus illarum, et reliquarum omnium, quas possidemus, ipsum potius quam nos, Dominum, esse. Demum ut sacrificium sit nota divinae omnipotentiae, qua est auctor vitae et mortis, et cujus nutu res omnes esse, et destrui possunt : et ideo ex parte rei quae pro nota sacrificii assumitur, requiritur immutatio, ut ea denotemus, ita nos a Deo pro nutu voluntatis ipsius destrui, et conservari posse, sicut res oblata in sacrificium a nobis immutatur » (1).

§ 2. — *Refutantur placita Vasquezii.*

Terminos quaestionis solvendae perfecte convertit Vasquezius : pluries enim adnotavimus inquisitionem de essentia sacrificii haud a priori sed a posteriori instituendam esse, ita nimirum ut investigatio a factis procedat illisque semper innitatur.

Atqui reperimus esse revera aliquam actionem, in cultu quem ubique gentium Deo persolvunt, per quam destruitur res quae vitam humanam repraesentat ; haec actio, quam homines appellant sacrificium, ad scopum ordinatur colendi Deum, et quidem praesertim, tanquam creatorem et finem omnis creaturae, quod diversi ritus in hac actione perficienda usurpati manifeste demonstrant.

Quando talis actio ex tali intentione praestatur, dicitur offerri sacrificium in finem latreuticum, cui fini primario tres aliae significationes subordinari possunt, eucharistica, impetratoria aut propitiatoria, prout videlicet Deo grates pro acceptis beneficiis rependuntur, vel nova postulantur dona, vel tandem, in hypothesi lapsus, venia pro peccato flagitatur. Actio sacrificalis externa, abstracte a significatione si consideratur, signum igitur dici potest, quo varii illi sensus, variis in adjunctis, exprimuntur.

Vasquezius autem a signo, seu a nota, uti dicit, exordium sumit, itaque a priori significationem determinat, quam adorationi, aut oblationi et sacrificio affigere debeamus : quia talis finis in sacrificio offerendo admittatur oportet, ideo, inquit, talis actio postulatur.

Haec adnotatio, quae magis methodum spectare videtur, quam

(1) VASQUEZIUS, *o. c.*, disp. 220, cap. III, n. 21 et n. 22.

in notione sacrificii requirenda adhibeamus necesse est, reipsa doctrinam convellendam directe impugnat.

* * *

Paucis verbis theoriam Vasquezii resumere licet : duplex est genus sacrificii, ait, et quidem primum est sacrificium absolutum, in quo suprema Dei potestas in vitam et mortem per alicujus rei destructionem demonstratur ; alterum est sacrificium relativum, in quo eadem potestas per repraesentationem et commemorationem sacrificii absoluti significatur (1). Ex his praemissis, absque ulla probatione, concludit, « ad essentiam sacrificii in universum, immutationem rei oblatae non requiri : quia commemorativum sacrificium sine illa esse potest, tametsi ad essentiam sacrificii absoluti necessaria sit, eo quod ratio formalis sacrificii, quae est significatio non in verbis, sed in rebus, qua denotatur Deus auctor vitae, et mortis, sine tali immutatione in sacrificio commemorativo reperiatur » (2).

Supponit ergo Vasquezius atque postulat sacrificium Eucharisticum nullam immutationem, nedum destructionem, involvere, et inquisitionem suam de definitione sacrificii in genere seu in universum spectati cum hac praevisa difficultate componit.

Duplicem nihilominus affert definitionem : primam ex parte materiae, qua sacrificium dicitur « mutatio rei quae Deo offertur » ; alteram ex parte significationis hoc modo : « sacrificium est nota (seu signum) existens in re, qua profitemur Deum auctorem vitae et mortis » (3), et cum his definitionibus, quas genericas et omni sacrificio applicabiles asseverat, quaestionem de essentia sacrificii Eucharistici facillimam solutu autumat.

Quod sacrificium Eucharisticum attinet, de illo plenius infra disputabimus ; nunc autem in requirenda definitione generica permaneamus. Animadvertimus autem primo, ex duabus definitionibus assignatis, reapse non nisi unam, et quidem alteram, convenire sacrificio, tum absoluto, quum relativo, concepto nimirum ad mentem auctoris ; ipse Vasquezius enim a priori excludit quamlibet immutationem a sacrificio relativo, quod est Eucharisticum, adeoque haec definitio, quae immutationem supponit, tali sacrificio manifeste applicari nequit.

Sed inde patescit cl. theologum duplicem et diversam pro-

(1) VASQUEZIUS, *o. c.*, disp. 220, cap. III, n. 26.
(2) *Ibidem*, disp. 222, cap. VIII, n. 65.
(3) Vide supra in parte prooemiali, ubi sententiam Vasquezii delineavimus.

ponere definitionem : prior definitio enim elementum includit, quod ab altera omnino praecludere necessarium est, ut in ipsa suppositione Vasquezii permaneamus. Posset profecto recte intelligi prior haec definitio, qua sacrificium pronuntiatur « mutatio rei quae Deo offertur », dummodo mutatio audiatur destructio, qualem destructionem auctor de facto propugnat pro sacrificio absoluto, sed hanc definitionem nihilominus in disputatione omittere possumus, quippe quae disputatio unice sit cum Vasquezio, qui, ubi agnoverit definitionem Eucharistiae non esse applicabilem, eamdem statim relinquet, quoniam ipsissima quaestio est de invenienda definitione, quae sacrificio, tum absoluto, quum relativo, convenire valeat (1).

* * *

Manet igitur ut penitius perscrutemur alteram definitionem, quae duplici parte constat : una materiali, qua sacrificium dicitur signum in re existens, seu res quaedam significans ; altera formali, quae est ipsa significatio supremae Dei potestatis in vitam et mortem.

Multum importat ut sedulo prae oculis teneamus quemadmodum cl. theologus ad hanc definitionem vindicandam cogatur. Praevisa nimirum difficultate, quae in sacrificio Eucharistico explicando haeret, quum nullam immutationem, nedum destructionem, in eodem reperire velit, elementum physicum et externum ita minuit, ut non remaneat nisi « res », et ipsa forma physica, uti illam explicuimus, reipsa evanescat. Restat adeo sola forma metaphysica, qua sacrificium ab oblatione differat, nam oblatio et ipsa est signum in re existens, itaque necesse est ut sacrificium et oblatio, ac vel ipsa adoratio, quam pariter signum in re existens denominat, ex formali, uti dicit, seu ex significatione et ex hac sola, distinguantur.

Novimus Vasquezium aliam rationem assignare cur discrimen inter hos actus ex formali seu ex significatione procedere debeat. Asserit nempe differentiam ex materia non sufficere, et re quidem vera non sufficit ubi haec pars materialis ita extenuata fuerit, ut

(1) Asserit STENTRUP, *o. c.*, II, p. 235 s., has duas definitiones simul sumendas esse ut recta habeatur definitio, quam Vasquezius assignat, itaque hanc propugnat esse adaequatam definitionem, juxta mentem hujus auctoris : « Sacrificium est oblatio rei permanentis sensibilis Deo facta per ejusdem immutationem ad profitendum, Deum esse auctorem vitae et mortis ». — Haec autem definitio dici posset forsan adaequata, at certo non est adaequata ad mentem Vasquezii, quum hic theologus quamlibet immutationem a sacrificio Eucharistico signatim excludat.

elementum sacrificii physicum declaretur « res significans » ; abundanter autem sufficit, ubi non « res » tantum, sed ipsa destructio tanquam materia sacrificii consideratur, et haec imo, uti demonstravimus, denuntiari potest forma sacrificii, in quantum ipsam significationem ad « esse sacrificii » determinat.

Per transennam animadvertimus quemadmodum s. Thomas melius adorationem ad motum corporis reduxerit, sed ad crisim alterius definitionis nunc properamus.

Quod primo partem materialem spectat, signatim apparet definitionem a Vasquezio elaboratam omnino deficere, quandoquidem animalia, oves v. g., quae in sacrificium offeruntur, supremam Dei potestatem non denotant in quantum sunt « res », sed in quantum mactantur. Haec immolatio in definitione reponenda est, ut definitio exponat « quod quid est res », et essentiam sacrificii, de qua impraesentium agitur, perfecte exprimat.

Secundo, cl. theologus tanquam finem sacrificio proprium assignat significationem supremae potestatis divinae in vitam ac mortem, et ex hac sola totum discrimen inter sacrificium atque oblationem demanare asseverat. Verum, quid prohibet, si unicam hanc significationem praecisive sumptam attendimus, quominus alii quilibet actus, qui ad eamdem virtutem religionis pertinent, ex eadem intentione procedant et eamdem significationem accipiant ? Quinimmo, uti scite advertit Card. de Lugo, ad potestatem Dei in vitam ac mortem denotandam, « posset homo producere, vel exstinguere ignem, v. g. vel aliquid aliud, protestando, se fuisse etiam a Deo productum, et posse a Deo destrui, sicut ille ignis producitur, vel exstinguitur : et tamen illa actio procul dubio non esset sacrificium » (1).

Non ignoramus certo Vasquezium haec recusare, nam pro sacrificio absoluto destructionem omnino necessariam esse proclamat (2) ; num vero logice, nobis dubium valde apparet. Et re quidem vera, in definitione quam statuit ex parte formae, quae definitio sola, uti modo comprobavimus, attendenda venit, tolli debet quaelibet immutatio ac destructio, ut haec definitio sacrificio relativo applicari queat ; unde, vel non sufficit ad sacrificium ut sit

(1) Lugo, o. c., disp. XIX, sect. I, n. 6 ; cf. etiam *Commentaria* Hicquei, apud J. D. Scoti, *Quaestiones in Lib. IV Sent.*, dist. XIII, q. 2, in tomo VIII, p. 817, nº 26, Lugduni, 1639.

(2) Cf. Vasquezium, o. c., disp. 220, cap. III, n, 22, ubi docet : immutatio et destructio necessaria sunt ut denotetur « ita nos a Deo pro nutu voluntatis ipsius destrui, et conservari posse...Quod quidem non ita exprimeretur, si res illa simpliciter Deo offerretur ».

signum in re, et hoc plane confitemur, quum oves significationem sacram non subjectent in quantum sunt « res », sed in quantum immolantur; vel sufficit, sicuti de facto tenere debet cl. theologus, ut rationem sacrificii in celebratione Eucharistiae cum definitione componere possit, et tunc sacrificium ab oblatione et adoratione minus distinguitur, quandoquidem nihil prohibet quominus iidem actus ex eadem intentione, qua sacrificium, in honorem divinum referantur.

Dicet fortasse Vasquezius supremum Dei dominium in vitam et mortem non ita apte per aliam actionem, quam per sacrificium, significari, quod verum est; sed si petimus cur, non aliam rationem indicare poterit quam hanc : quia nimirum res in sacrificium oblata per actionem sacrificalem destruitur. Haec destructio ergo in definitionem sacrificii assumatur, itaque uti forma sacrificii physica habeatur.

* * *

Eadem distinctione respondetur cl. Perrone, qui difficultatem a Vasquezio motam sic recoquit ; sacrificium, ait, ratione formali non satis ab adoratione differt, si ratio formalis sacrificii in exprimenda submissione Deo debita, et non potius in agnoscenda suprema divina majestate in vitam ac mortem consistat (1).

Error auctoris in eo est, quod formam sacrificii physicam prorsus negligit, et facile ejus anxietati medetur :... non satis differt, si una tantum est forma sacrificii, ea nempe quam metaphysicam nominavimus, concedo;... non satis differt, si praeter formam metaphysicam, adhuc formam admittimus physicam, nego. — Expressio submissionis enim revera communis est omnibus actibus virtutis religionis, uti pulchre exponit s. Thomas, ast hic finis per destructionem specificatur atque determinatur: sacrificium est in exprimenda submissione Deo per destructionem vitae humanae, aut rei sensibilis vitam humanam repraesentantis eique substitutae, itaque proclamatur supremum Dei dominium in universum spectatum, et consequenter etiam in vitam et mortem hominis.

* * *

Eadem methodo, sed magis logice, procedunt doctores quidam moderni (2), qui ex hoc quod sacrificium pronuntiatur signum, statim

(1) Perrone, *o. c.*, n° 245, p. 267, n. 1, Lovanii, 1841.

(2) Cf. Wieland, *Opferbegriff*, p. 186 ; Pell, *o. c.*, p. 8 s. — Pell, *o. c.*, p. 27 s., distinguit pariter inter notam sacrificii et essentiam ipsius. Notam sacrificii vocat id, unde sacrificium qua sacrificium rituale dignoscitur, ut-

inferunt actionem externam esse elementum secundarium, aut etiam supplebile, ita ut verum maneat sacrificium, quidquid tandem ad mentem offerentis declarandam in signum adhibeatur.

Hos autem auctores perfecte latet quomodo recta via ad notionem sacrificii deveniatur. Quid sit sacrificium nonnisi a posteriori constat; quid sit signum sufficiens nonnisi ex factis, seu ex sacrificiis concretis ubique usurpatis, derivari potest (1). Si ergo sit actio aliqua, quae merito vocetur sacrificium et destructionem non involvat, hanc notam destructionis a sacrificio generice sumpto abnuendam esse libenter confitebimur, quandoquidem talis nota quaestionem de essentia sacrificii Eucharistici non magis planam reddit. Sed ex disputatis patenter constat notam destructionis ad sacrificium prorsus necessariam esse, adeoque in definitionem sacrificii assumendam, etiam si difficultatem potius augeat.

Si quis autem instet et dicat : potest saltem Deus instituere sacrificium proprii nominis, quod destructionem non involvit, siquidem omnes concedunt signum in actione sacrificali reperiendum, esse signum ad placitum, tunc respondetur : definitiones, seu « quod quid est » rerum, non adstruuntur ex his quae de potentia divina imaginantur sive finguntur, sed ex his quae *sunt*, sive res sint tales ab ipsa natura, sive sint per conventionem inter homines.

* * *

Momentum sententiae a Vasquezio elaboratae in hoc igitur est, quod problema solvendum revera convertit, dum inquisitionem a

puta cruenta mactatio in oblatione crucis, et distincta consecratio, qua corpus Christi ejusque sanguis separatim exhibentur, in sacrificio altaris. Essentiam appellat id, quod valorem seu dignitatem actioni externae confert. Essentiam sacrificii igitur restringit ad solam intentionem Christi, sese ex caritate perfecta pro hominibus devoventis, et sacrificium rituale nuncupat actionem, quae ex tali animo procedit, sed simul tanquam sacrificium per determinatam formam, per notam sacrificii nimirum, apparet. De his latius infra, ubi de essentia sacrificii altaris disputabimus.

(1) Ideo etiam Card. Billot, *De Eccl. Sacramentis*, I, p. 586, assentire non possumus, quando jam initio disputationis de sacrificio scribit : « Si tamen supernaturaliter contingat, rem non offerri in specie propria, nihil aliud potest requiri ad rationem signi sacrificio essentialem, nisi ut res illa in specie sacramenti sub quodam externo habitu mortis praesens sistatur » ; etenim etiam si esset « manifestum per se », uti ait, *ibidem*, p. 588, « quod *in ordine ad significandum* invisibile sacrificium aequipolleret mystica illa mactatio mactationi materiali quae antiquitus erat in usu », nondum tamen inde manifestum esset illam mactationem mysticam, uti eam describit, sufficere ad sacrificium; cf. pariter Van Noort, *o. c.*, I, p. 375, sed de his ex professo infra, ubi de sacrificio Eucharistico tractabimus.

priori suscipit, quando a posteriori tractanda est. Ideo, praetermissa distinctione formam physicam inter ac metaphysicam, formale sacrificii unice in significatione reponit, et ipsum Vasquezium praeprimis attingit haec accusatio, quam Thalhofer immerito adversus integram theologiam scholasticam profert : Si cum Suarezio, ait, et tota theologia scholastica aut postscholastica, sacrificium tantummodo uti signum consideratur, et nulla significatio specifica tribuitur actioni sacrificali externae, qua tali, tunc etiam annuendum est, ad manifestationem sensus religiosi, non importare utrum oratio an prostratio, utrum oblatio sacrifica, an aliud quodvis signum externum, quod proportionem habeat cum re significanda, in hunc scopum eligatur (1).

Jamautem, tales considerationes optime Vasquezium ejusque sequaces confutant, sed nullatenus omnes auctores attingunt, qui profitentur sacrificium esse signum. Penitus enim Thalhofer fugisse videtur haec distinctio inter destructionem, prout abstracte a significatione considerata, quodcumque intentum significare valet, et eamdem destructionem significantem hunc determinatum finem, in actu tali et concreto, qui sacrificium vocatur. Destructioni abstracte, seu in se spectatae, nulla specifica significatio attribui debet, nam ad quemcumque scopum adhiberi potest ; destructioni contra concrete,in actione sacrificali scilicet inspectae,significationem specificam agnoscimus, uti satis explanatum esse confidimus.

Ex sola forma physica igitur non satis discriminatur sacrificium, tum ab oblatione, quum ab adoratione, et ideo, praeter hanc formam, quae suo modo dici potest formale sacrificii, adhuc aliam propugnamus formam, quam physicam nuncupavimus, primo, quia est ordinis physici, et deinde, quia a forma metaphysica secernenda venit (2). Haec forma physica simul ut materia sacrificii proponi valet, ratione superius explicata ; dicitur tamen forma, quia sacrificium ab aliis actibus ejusdem virtutis religionis distinguit, ac vel imo ipsam significationem, quae ex sese aliis actibus adhuc affigi posset, magis specificat atque determinat.

*
* *

Quae contra Vasquezium in hoc tertio articulo disputavimus, paucis his verbis recapitulari possumus : praetermissa distinctione

(1) THALHOFER, *o. c.*, p. 13.

(2) Cf. SUAREZIUM, *o. c.*, disp. 73, sect. V, n. 1, ubi recte advertit sacrificium secernendum esse a « ceteris actibus exterioribus propriis divini cultus, qui non semper possunt a sacrificio ex formali distingui, sed solum ex materiali ».

formam physicam inter ac metaphysicam, cl. theologus formale sacrificii requirit in agnoscenda suprema potestate divina in vitam ac mortem. *Duplicem proponit definitionem*, quarum *una solummodo sacrificio in genere et sacrificio altaris applicari potest.* Atqui *haec definitio prorsus deficit ex elemento, tum materiali, quum formali*, et ratio est, quia formam physicam negligit ; hanc formam physicam ad sacrificium pertinere, ex hac theoria confutata, rursum itaque demonstratum autumamus.

* * *

Quae *in hac praesenti sectione dicta* fuere, *breviter* ita *contrahimus.* Tres sunt sententiae, quas modo ad crisim revocavimus :

Prima quaedam opinio oblationem tanquam donationem accipit, et in *ipsa notione oblationis errat.*

Secunda sententia, praeter actionem destructivam et relationem hujus actionis in Deum, oblationem sensibilem insuper postulat, quam uti formam sacrificii physicam considerat, et cui munus adhuc adscribit ipsam destructionem in Deum ordinandi ; *fallitur ergo in hac forma physica assignanda et explicanda.*

Tertia tandem theoria formale sacrificii reponit in significatione praecisive sumpta, itaque ex neglecta altera forma, quam physicam vocavimus, *explanare nequit quemadmodum diversi actus ejusdem virtutis religionis ab invicem discriminari debeant.*

Conclusio I Partis.

Primam partem nostrae dissertationis absolvimus : praemissa nota de methoda adhibenda in hac inquisitione definitionis genericae, statim a descriptione sacrificii coepimus, ut elementa, quae sacrificium constituunt ex illa descriptione erueremus. Cum his elementis synthetice deinde definitionem sacrificii statuimus atque vindicavimus. Haec in triplici sectione prioris capitis. Claritatis causa ibidem omisimus difficultates oriundas ex variis aliis sententiis, quas successive in altero capite dissolvimus : in prima sectione diximus de opinionibus, quae ipsa elementa sacrificii diversa ratione a nobis determinant ; in altera sectione disseruimus de iis difficultatibus, quae potius definitionem a nobis elaboratam et vindicatam impugnant.

Rectam definitionem sacrificii omnino admittendam hanc affirmamus : *sacrificium est oblatio, soli Deo a sacerdote facta, qua in ordine ad supremum Dei dominium agnoscendum, destruitur ipsa vita humana aut res sensibilis, quae vitam humanam repraesentat eique substituitur.*

Manet nunc ut hanc definitionem sacrificio Eucharistico applicemus, sed quominus haec applicatio statim fiat, obstat thesis quorumdam auctorum inter modernos, qui non tantum, uti Vasquezius, hanc definitionem genericam sacrificio altaris applicandam esse negant, sed insuper affirmant ex hac ipsa notione generica, — quam minus adaequate tamen intelligunt, quum oblationem tanquam donationem audiant, — traditionalem et primitivum conceptum sacrificii Eucharistici corruptum fuisse, itaque ad ipsos traditionis christianae fontes ascendendum esse, ut ex Scriptura sacra et traditione patristica, veram edoceamur notionem, quam de sacrificio novae legis accipiamus oportet.

Vasquezio opponi posset ipsi probationem incumbere exceptionis quam affirmat, Renz autem et Wieland argumenta afferunt, ut sententiam suam muniant, et haec nunc in parte sequenti praecipue examinabimus (1).

(1) In hac definitione generica inquirenda, ex intento omisimus sacrificium Eucharisticum; primo, quia certum est illud sacrificium ad normam sacrificii VT. esse audiendum, quod in sequenti parte demonstrabimus; secundo, ne videremur praesupponere quaestionem solvendam, praesertim contra Vasquezium et auctores quosdam modernos, quos modo notavimus; Vasquezius enim negat hanc definitionem applicandam esse sacrificio altaris, dum moderni quidam rectum Eucharistiae conceptum ex eadem definitione adulteratum fuisse praeterea contendunt.—Manet tamen quaedam difficultas, quam statim indigitare juvat: inquisitio de essentia sacrificii in genere considerati, reapse non erit perfecta, nisi quum omnia sacrificia inspexerimus, et ipsum sacrificium altaris in examen adduxerimus. Videtur ergo comprobandum esse hoc sacrificium novae legis ad normam sacrificii antiqui concipiendum esse, priusquam concludere possimus, quid ad sacrificium in universum consideratum requiratur ac sufficiat. Attamen, praetermisso sacrificio Eucharistico, in perpendendis sacrificiis mosaicis praesertim immorati sumus; primum, quod in parte prooemiali confecimus, quia haec methodus nobis sola obvia et tuta apparuit; dein, quia haec demonstratio, qua statuitur sacrificium Eucharisticum ad modum sacrificii judaici declarandum esse, reipsa sat plana videtur, et ita explicatur cur auctores dogmatici probationem illam hucusque praeterierint; nos autem hanc suscipimus quoniam doctores moderni, cum hac sua methodo, quaestionem de essentia Missae per saecula jam disputatam magis adhuc obnubilaverunt. Hac de causa pariter non tam solliciti sumus, ut in secunda parte adstruamus celebrationem Eucharistiae esse sacrificium, quam ut comperiamus quomodo sit sacrificium, verum scilicet et simul essentialiter relativum. Hac via, quam sequemur ut Renz et Wieland confutare possimus, occasionem insuper nanciscimur penitius diruendae opinionis Vasquezii; affirmationi ipsius, sacrificium Eucharisticum, diversa ratione a sacrificio antiqui foederis audiendum esse, non tantum negationem, sed probationem in contrarium opponemus.

Pars Secunda.

Determinantur quaestiones in hac secunda parte pertractandae.

In hac secunda parte nostrae dissertationis non intendimus conficere celebrationem Eucharistiae esse sacrificium, sed inquirere potius studemus quomodo sit sacrificium, et quaenam sint elementa, quae illud intrinsece constituunt. Quamvis igitur quaedam argumenta hinc inde ad veritatem sacrificii comprobandam unice spectare videantur, hanc veritatem nihilominus directe nusquam respiciemus; attamen refutatio quarumdam rationum, quae in contrarium afferuntur, reipsa probationem veritatis sacrificii importabit. Nemo ceteroquin oblivioni tradidit, quod in parte proemiali latius rimati sumus, quemadmodum quaestio « quod quid est » sacrificium, cum quaestione « quod est » intime connectatur. His praenotatis, juvat ut hunc scopum nostrum, quum non amplius de sacrificio in genere, ast de ipso sacrificio novae legis ex professo agere coepimus, pressius denuo definiamus.

Triplicem praecipue viam, uti diximus, iniverunt auctores ut hoc problema de essentia sacrificii Eucharistici solverent: alii, definitione sacrificii generice sumpti ex VT. imprimis elaborata, hanc notionem celebrationi Eucharistiae applicuere, quin necesse ducerent summariam saltem argumentationem subnectere, ut hanc positionem vindicarent; alii, hac definitione semota, utpote minus primitiva et minus etiam adaequata, historiam religionum invocaverunt, ut veram assequerentur sacrificii in universum spectati definitionem, quam deinde tuto Eucharistiae adaptarent; alii tandem disputationem inceperunt non a sacrificio in genere, sed ab ipso sacrificio Missae, et ex primis fidei fontibus talem notionem hujus sacrificii eruerunt, quae a definitione communiter accepta longe recedit, sed ad mentem eorum, Ecclesiae primitivae propria denuntiari debet.

In parte prooemiali demonstravimus hanc dissertationem

inchoandam esse a definitione generica, et ab hac quidem ex VT. praeprimis assumpta, ita tamen ut in applicanda definitione Eucharistiae presse sacrae Paginae et Traditioni inhaereamus. In parte prima hanc definitionem confecimus, itaque requirendum nobis remanet quemadmodum haec definitio adaptari possit Eucharistiae, et quaenam sint elementa, quae hoc sacrificium novae legis intrinsece constituunt.

Primam et alteram tendentiam, de quibus modo, in parte prima obviavimus, quum veram definitionem sacrificii ex VT. demonstravimus, et objectionibus satisfecimus, quae, sive ex quibusdam textibus praesertim VT., sive ex quibusdam factis ad historiam religionum pertinentibus, contra hanc definitionem adducuntur. Nunc istos doctores confutare volumus, qui ex documentis fidei primitivis, conceptum aliquem novum sacrificii altaris adstruere attentant.

In capite primo sacram Scripturam examinabimus ; in capite vero secundo, traditionem trium priorum saeculorum perscrutabimur. Hanc divisionem ipsa disquisitio nostra legitimam comprobabit, quoniam in monumentis primitivis trium priorum saeculorum ipsum dogma potius legimus, dum explanationes dogmatis, quae a theologis Ecclesiae graecae et latinae inde a IV saeculo praesertim propositae fuere, in documentis posterioribus reperimus. In capite tertio igitur de doctrina theologiae graecae et latinae tractabimus, et in fine ibidem auscultabimus interpretationem authenticam Ecclesiae catholicae, quae per ss. Tridentinum Concilium veritatem hujusce nostri sacrificii definivit ; ne autem catena rumpatur testimoniorum inter illam doctrinam et hanc interpretationem, pauca de sententiis Scholasticorum subnectere praestabit, itaque investigationem nostram completam fore confidimus.

CAPUT I.

ELEMENTA QUAE SACRIFICIUM EUCHARISTICUM CONSTITUUNT EX SCRIPTURA SACRA ERUUNTUR.

In hoc capite I sacram Scripturam interrogabimus. Verum, inquisitionis dogmaticae non est textum authenticum statuere; hoc igitur supposito, in sectione prima transcribemus locos examinandos, et statim in sectione secunda, relationem Eucharistiae ad celebrationem ritus paschalis et ad antiquum foedus perscrutabimur; in sectione tertia, interpretabimur testimonia sacrae Paginae ut comperiamus quemadmodum hoc sacrificium novae legis intelligamus oporteat.

Divisionem nostram ipsa disputatio rursum comprobabit; sufficiat ergo rationem alterius et tertiae sectionis raptim indigitare:

In argumentis nostris adstruendis multum insistemus in parallelismo celebrationem Eucharistiae inter et ritum paschalem, et in oppositione foederis novi ad antiquum foedus; ideo in sectione secunda, hunc ritum paschalem paucis verbis delineabimus, et hoc fuisse verum sacrificium adnotabimus; deinde de ipsa significatione foederis antiqui disputabimus, quoniam auctores quidam, licet de authentia expressionis τῆς διαθήκης vel etiam τῆς καινῆς διαθήκης non ambigant, diversimode tamen hanc locutionem explanant; ita porro argumentum nostrum indirecte debilitare videntur. His rite perpensis, in sectione tertia de doctrina Scripturae sacrae tuto disserere poterimus.

Sectio I.

Testimonia sacrae Scripturae quae examinari debent.

Ad tria capita reducere licet praecipuos NT. textus, qui de coena Eucharistica agunt, et ex quibus inquirere oportet, in quonam sit sacrificium, quod in celebratione Eucharistiae perficitur.

Haec testimonia sunt: 1) I Cor., X, 14 s., ubi Eucharistia cum immolatione idolothytorum confertur; 2) I Cor., XI, 23 s. et loci Synopticorum paralleli: Mt., XXVI, 26 s.; Mc., XIV, 22 s.; Lc., XXII, 15 s., in quibus institutio Eucharistiae narratur; 3) Hebr.,

XIII, 10, ubi de altari dicitur, « de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt », et manifeste ad Eucharistiam alluditur.

Omittimus textum Joannis, VI, 22-71, in quo promissionem Eucharistiae legimus, quandoquidem nihil quaestionis de sacrificio dirimit (1).

Art. 1. — I Cor., X, 14 s.

In 1 Cor., X, 14 s. Apostolus lectores suos ab « idolorum cultura » avertere conatur cum hoc argumento : « 16. *Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστίν ; τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστίν ;* 17. *ὅτι εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν · οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν.* 18. *βλέπετε τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα · οὐχ οἱ ἐσθίοντες τὰς θυσίας κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσίν ;* 19. *Τί οὖν φημί ; ὅτι εἰδωλόθυτόν τί ἐστιν ; ἢ ὅτι εἴδωλόν τί ἐστιν ;* 20. *ἀλλ' ὅτι ἃ θύουσιν, δαιμονίοις καὶ οὐ θεῷ θύουσιν · οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς κοινωνοὺς τῶν δαιμονίων γίνεσθαι.* 21. *οὐ δύνασθε ποτήριον κυρίου πίνειν καὶ ποτήριον δαιμονίων · οὐ δύνασθε τραπέζης κυρίου μετέχειν καὶ τραπέζης δαιμονίων* ».

In transcribendo textu, editionem secuti sumus octavam, criticam majorem, quam curavit Tischendorf (2), sed in v. 19, ubi praeclarus criticus *τι ἐστίν* legit, nos, cum plerisque auctoribus, *τί ἐστιν* posuimus.

Cum Tischendorf quoad essentialia consentiunt Westcott-Hort (3); ita pariter recentissime H. von Soden (4) ; sed hi critici, in v. 16, primum *ἐστίν* reponunt post verbum *κοινωνία* ; in v. 18 legunt *οὐχὶ*, ubi Tischendorf habet *οὐχ* (*οἱ ἐσθίοντες*), ac tandem, in v. 20, post

(1) Cf. Ruch, *L'Eucharistie d'après la sainte Ecriture*, apud *Dict. de Théol. Cath.*, V, 989 s., Paris, 1912 et Batiffol, *L'Eucharistie, la présence réelle et la transsubstantiation* (= *Euch.*), p. 81 s., Paris, 1913[5]. — Quoad quaestionem praeviam, utrum necne reapse in hoc cap. VI de promissione Eucharistiae agatur, vide, praeter auctores modo laudatos : V. Schmitt, *Die Verheissung der Euch.* (Jo. VI) *bei den Vätern*, I-II, Würzburg, 1900-1903; W. Berning, *o. c.*, p. 96 s.; *ibidem* p. 96, n. 7, litteraturam antiquiorem circa hanc controversiam reperies ; lege adhuc F. Cavallera, *L'interprétation du chap. VI de s. Jean. — Une controverse exégétique au Concile de Trente*, apud period. RHE., X, p. 687-709, Louvain, 1909.

(2) C. Tischendorf, *NT. graece*, I-II, Lipsiae, 1869-1872[8].

(3) B. F. Westcott et J. A. Hort, *The NT. in the original Greek*, I, *Text*, London and Cambrigde, 1898[5].

(4) Hermann von Soden, *Die Schriften des NT. in ihrer ältesten erreichbaren Textgestalt*, II, Berlin, 1913 ; ita etiam in ed. manuali *Griechisch NT.*, Göttingen, 1913.

primum θύουσιν, supplent τὰ ἔθνη, quae verba apud Westcott-Hort uncinis includuntur. Editiones minores, quas pervolvimus, eumdem fere textum exhibent : ita F. Brandscheid (1), cum Tischendorf, in v. 16, primum ἐστίν sicut alterum ἐστίν, in fine interrogationis collocat, at in v. 20 secundum θύουσιν legit ante verba καὶ οὐ θεῷ ; non ita E. Nestle (2), qui ab editione critica majore, quam adduximus, non nisi in v. 16 differt, et adeo cum auctoribus omnibus hucusque laudatis concinit ; O. de Gebhardt (3) tandem, qui Novum Testamentum graece edidit, juxta textum recensionis ultimae tischendorfianae, collato textu statuto a Tregelles et Westcott-Hort, hoc loco reapse a Tischendorf non recedit, itaque in v. 19 etiam τι ἐστίν habet.

Lectiones variantes, quae in his versiculis occurrunt, sat multae sed minoris momenti sunt. Easdem videre est, sive apud editionem criticam, quam paravit Tischendorf, sive apud eximium opus, quod H. von Soden nuper concinnavit.

Art. 2. — I Cor., XI, 23 s. et loci paralleli apud Synopticos

Non ita brevi argumento quaestio absolvitur pro verbis institutionis Eucharistiae, prout haec apud s. Paulum in I Cor., XI, 23 s. et in locis parallelis apud Synopticos narratur.

Secundum antiquam distinctionem, s. Matthaeus et s. Marcus formam exhibent, quam vocant petrinam ; s. Paulum vero cum s. Luca formam paulinam referre dicitur.

Tertius evangelista solus explicite celebrationem coenae legalis commemorat in cap. XXII, 15-18 : « Καὶ εἶπεν πρὸς αὐτούς · Ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν · λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ φάγω αὐτὸ ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ. Καὶ δεξάμενος ποτήριον εὐχαριστήσας εἶπεν · Λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε εἰς ἑαυτούς · λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπὸ τοῦ νῦν ἀπὸ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἔλθῃ ».

S. Paulus ad « mandatum Domini » appellat, priusquam ad narrationem institutionis Eucharistiae accedat ; deinde quattuor testimonia parallela procedunt :

(1) F. Brandscheid, *NT. graece et latine*, Friburgi Brisgoviae, 1901².
(2) E. Nestle, *NT. graece et latine*, Stuttgart, 1910³.
(3) O. de Gebhardt, *NT. graece*, Lipsiae, 1901⁸.

Mt., XXVI.	Mc., XIV.	Lc., XXII.	I Cor., XI.
26. Ἐσθιόντων δὲ	22. Καὶ ἐσθιόντων		
αὐτῶν	αὐτῶν		
λαβὼν	λαβὼν	19. Καὶ λαβὼν	23b. Ἔλαβεν
ὁ Ἰησοῦς			
ἄρτον	ἄρτον	ἄρτον	ἄρτον
καὶ εὐλογήσας	εὐλογήσας	εὐχαριστήσας	24. καὶ εὐχαριστήσας
ἔκλασεν	ἔκλασεν	ἔκλασεν	ἔκλασεν
καὶ δοὺς	καὶ ἔδωκεν	καὶ ἔδωκεν	
τοῖς μαθηταῖς	αὐτοῖς	αὐτοῖς	
εἶπεν·	καὶ εἶπεν·	λέγων·	καὶ εἶπεν·
λάβετε	λάβετε·		
φάγετε·			
τοῦτό ἐστιν	τοῦτό ἐστιν	τοῦτό ἐστιν	τοῦτό μου
τὸ σῶμά μου.	τὸ σῶμά μου.	τὸ σῶμά μου	ἐστὶν τὸ σῶμα
		τὸ ὑπὲρ ὑμῶν	τὸ ὑπὲρ ὑμῶν·
		διδόμενον·	
		τοῦτο ποιεῖτε	τοῦτο ποιεῖτε
		εἰς τὴν ἐμὴν	εἰς τὴν ἐμὴν
		ἀνάμνησιν.	ἀνάμνησιν.
27. Καὶ λαβὼν	23. Καὶ λαβὼν	20. Καὶ	25. Ὡσαύτως
ποτήριον	ποτήριον	τὸ ποτήριον ὡσαύτως	καὶ τὸ ποτήριον
		μετὰ τὸ δειπνῆσαι	μετὰ τὸ δειπνῆσαι,
καὶ εὐχαριστήσας	εὐχαριστήσας		
ἔδωκεν αὐτοῖς	ἔδωκεν αὐτοῖς,		
	καὶ ἔπιον		
	ἐξ αὐτοῦ πάντες.		
λέγων·	24. Καὶ εἶπεν	λέγων·	λέγων·
πίετε	αὐτοῖς·		
ἐξ αὐτοῦ πάντες·			
28. τοῦτο γάρ	τοῦτό	τοῦτο	τοῦτο
ἐστιν	ἐστιν		
τὸ αἷμά μου	τὸ αἷμά μου		
		τὸ ποτήριον	τὸ ποτήριον
τῆς διαθήκης	τῆς διαθήκης	ἡ καινὴ διαθήκη	ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν
		ἐν τῷ αἵματί μου,	ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι.
τὸ περὶ πολλῶν	τὸ ἐκχυννόμενον	τὸ ὑπὲρ ὑμῶν	
ἐκχυννόμενον	ὑπὲρ πολλῶν.	ἐκχυννόμενον.	
εἰς ἄφεσιν			
ἁμαρτιῶν.			

Postea s. Mt. et s. Mc. ad regnum eschatologicum alludunt, de quo s. Lc. egit in describenda coena legali, antequam ad institutionem Eucharistiae transierit; solus Apostolus Paulus ad benedictionem calicis addit : « Τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἐὰν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν », ac deinde adhuc resumit in v. 26 : « Ὁσάκις γὰρ ἐὰν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλετε, ἄχρι οὗ ἔλθῃ ».

*
* *

In his transcribendis textibus rursum secuti sumus editionem octavam majorem criticam a Tischendorf curatam; ab hac autem discedunt Westcott-Hort ad textum s. Matthaei, in v. 27, ubi particulam καὶ uncinis includunt, dum H. von Soden, in v. 26, legit τὸν ἄρτον, cum articulo, et in v. 28 : τὸ αἷμα μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. Brandscheid cum von Soden, in v. 28, ponit τὸ αἷμα μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης; Nestle autem et de Gebhardt cum Tischendorf plane concinunt.

Lectiones variantes in hoc testimonio pariter minoris sunt momenti; easdem videre est in editionibus supra laudatis.

Apud s. Marcum lectiones variantes eo praesertim tendunt, ut alterum evangelistam cum s. Matthaeo consentientem exhibeant, sed de textu parum ambigitur : solus Brandscheid in v. 22 inserit verba ὁ Ἰησοῦς; in v. 24 legit : τῆς καινῆς διαθήκης, et ordinem adhuc in eodem versiculo ad finem intervertit.

Valde autem disputatur de textu s. Lucae, ubi hic hagiographus narrationem institutionis Eucharistiae tradit, neque tantum quaedam lectiones variantes, sed plures reapse formulae textus lucani in codicibus assignantur : omnes codices graeci nimirum, uno codice D bilingui excepto, in quo textus graecus ceteroquin formae latinae saltem partim adaptatus videtur (1), traditionem longiorem seu alexandrinam exhibent, quam superius retulimus; cod. D et quaedam manuscripta versionis latinae praehieronymianae sive veteris italae (a, ff², i, l) versiculos 19b et 20 simpliciter omittunt, et textum breviorem habent, quem occidentalem vocaverunt; versio syriaca sinaitica textum longiorem, quoad substantiam, refert, at hinc inde abbreviatum et ordine immutatum, ita scilicet : vv. 15, 16, 19, 20a, 17, 20b, 18; versio syriaca curetoniana, in v. 19, vocem διδόμενον, et

(1) Cf. E. Jacquier, *Le NT. dans l'Église chrétienne*, II, p. 89 s., Paris, 1913.

deinde integrum v. 20 omittit, sed et ordinem insuper versiculorum intervertit : vv. 15, 16, 19, 17, 18 ; ad hanc versionem proxime accedunt mss. b et e versionis italae, quae vv. 19b-20 non referunt, ast reliquos versiculos eodem ordine exhibent ac curetoniana ; versio syriaca peschitto vv. 15, 16, 19, 20 legit, et primum calicem igitur ignorat ; apud Marcionem et s. Justinum tandem eadem narratio institutionis breviori tractu exponitur, et in his testimoniis quidam auctores formam aliquam independentem detegere voluerunt.

Editores critici de textu Lc., XXII, nihilominus plerumque conveniunt : Westcott-Hort vv. 19b-20 uncinis inclusos exhibuere, et inde plures exegetae de authentia hujus pericopes dubia moverunt ; editio anglica insuper, in v. 16, omittit οὐκέτι ; in v. 18 tollit ὅτι, et in eodem v. 18 legit ἕως οὗ, quibus omissionibus et mutationi consentit H. von Soden, qui integrum tamen textum conservat, et in v. 20, ἐκχυνόμενον ponit.

Brandscheid a Tischendorf differt, quia in v. 18 aufert verba ἀπὸ τοῦ νῦν, et in v. 20 ordinem mutat hoc modo : ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον ; Nestle in v. 18 particulam ὅτι omittit et legit ἕως οὗ, dum O. de Gebhardt textum tischendorfianum immutatum proponit.

Nullum dubium subesse potest quin traditionem longiorem textus lucani, cum plerisque cdd. et verss., accipiamus oporteat ; ab hac traditione dependent certo narrationes institutionis Eucharistiae apud Marcionem et s. Justinum conservatae ; ex eadem explicantur omnes aliae recensiones, quas modo indicavimus (1).

De textu I Cor., XI, 23-26 editores critici satis conveniunt ; Westcott-Hort a Tischendorf non recedunt ; H. von Soden in v. 24, post ἄρτον subdit (κλώμενον), uncinis nempe inclusum, et in v. 26 legit ἄχρις οὗ ; Brandscheid in eodem versiculo 24, post εἶπεν, addit λάβετε, φάγετε, et infra eamdem vocem κλώμενον inserit, absque uncinis ; in v. 26, pro ἐὰν ponit ἂν ; Nestle vero et O. de Gebhardt textum tischendorfianum immutatum referunt.

Lectiones variantes, quae in hac narratione institutionis occurrunt, singulas recensere non juvat ; sufficiat advertere haud paucos codices aliquod participium adjicere (κλώμενον vel θρυπτόμενον) in v. 24b, sed ipsae discrepantiae, quae in hoc versiculo deprehenduntur,

(1) Hanc quaestionem criticae textualis tractare nostrum non est ; cf. praeter exegetas, qui generali ratione de textu NT. scripserunt, inter alios : J. Hehn, *Die Einsetzung des hl. Abendmahls als Beweis für die Gottheit Christi*, p. 17 s., Würzburg, 1900 ; W. Berning, *o. c.*, p. 25 s. ; C. Van Crombrugghe, *o. c.*, p. 132 s. ; M. Goguel, *o. c.*, p. 105 s. ; C. Ruch, *art. cit.*, in *Dict. de Théol. Cath.*, V, 1062 s.

minus favent authentiae alicujus particulae ; attamen A. Resch (1) ex his differentiis praesertim arguit, ut aliquod participium in textu primogenio quondam adfuisse contendat.

Art. 3. — Hebr., XIII., 10.

Tertius Scripturae sacrae locus, quem infra examinabimus, legitur in epistola ad Hebr., XIII, 10, ita nempe : « ἔχομεν θυσιαστήριον ἐξ οὗ φαγεῖν οὐκ ἔχουσιν ἐξουσίαν οἱ τῇ σκηνῇ λατρεύοντες ».

De hoc autem textu editores critici omnino concinunt ; Westcott-Hort vocem ἐξουσίαν uncinis includunt ; H. von Soden autem, Brandscheid, Nestle et O. de Gebhardt textum tischendorfianum immutatum conservant.

Ita statuto textu, quem postea crisi subjiciemus, nunc in sectione secunda, de relatione institutionis Eucharistiae ad festum paschale et ad antiquum foedus dicemus.

Sectio II.

De relatione coenae Eucharisticae ad ritum paschalem et ad antiquum foedus.

Ad duplicem interpretationem introductoriam nunc accedimus : prima relationem coenae Eucharisticae ad manducationem agni paschalis, altera connexionem hujus coenae ad antiquum foedus spectat.

Ratio hujus disceptationis haec est : saepe saepius objicitur errorem praecipuum in enodanda quaestione de Missae sacrificio in hoc esse, quod sacrificium rituale veteris legis tanquam norma sacrificii novae legis concipiatur (2). In praesenti sectione igitur demonstrare intendimus sacrificium novum tam arcte ad sacrificium vetus connecti, ut luce clarius appareat illud sacrificium per hoc esse intelligendum.

(1) Cf. A. Resch, *Aussercanonische Paralleltexte zu den Evangelien*, apud *Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur hrsg. von* O. von Gebhardt *und* A. Harnack, (=TU.), X, 3. — *Aussercanonische Paralleltexte zu Lukas*, p. 645, Leipzig, 1895.

(2) Inter recentiores enumeramus tantum : Renz, *Geschichte* I, p. VIII ; Wieland, *Mensa et Confessio*, p. 3 ; Bellord, *art. cit.*, p. 4 ; Michael, *Harmonie der sieben vorzüglichsten Messopfer-Theorien*, p. 55, Mainz, 1907 ; Bartmann, *Lehrbuch der Dogm.*, p. 734, Freiburg in B., 1911²; Pell, *o.c.*, p. 2.

Art. 1. — De relatione coenae Eucharisticae ad ritum paschalem.

Problema primum, de relatione coenae ad ritum paschalem, acriter jamdiu disputatum, reapse duplex est, quia duplicem respectum induit, quos auctores non pauci, cum damno notabili et claritatis et consequentiae, libenter confundunt :

Primus aspectus hic est : num realis adsit relatio coenae Eucharisticae ad ritum paschalem, id est, utrum revera coena Eucharistica cum festo judaico, an fortasse cum epulis quibusdam ordinariis, conjuncta fuerit.

Alterum aspectum hoc modo definire licet : num etiam temporalis relatio affirmanda veniat, aliis verbis, utrum coena Eucharistica eo tempore et momento, quo agnus paschalis immolandus et manducandus erat, an alia quadam die, celebrata fuerit.

*
* *

Ritum convivii paschalis longe lateque exponunt Bickell (1), Berning (2) et Touzard (3), secundum ipsos fontes, qui in narratione historica hujus institutionis (Exod., XII), et in praescriptionibus Rabbinorum, in litteratura judaica posteriore servatis, praecipue consistunt.

«Decima die mensis hujus (*Nisan*) tollat unusquisque agnum per familias et domos suas... Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus... Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus : immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum, et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus » (4).

His verbis indicantur elementa praecipua istius convivii, quod erat complementum immolationis sacrificalis agni paschalis, uti supra ostendimus (5) ; a tempore fundati templi ceteroquin immolatio Hierosolymis a Levitis, ad ipsum altare, peragenda erat.

(1) Bickell, *Messe und Pascha*, p. 37 s., Mainz, 1872.

(2) W. Berning, *o. c.*, p. 222 s.; cf. etiam Dausch, *Das Leben Jesu*, in *Bibl. Zeitfragen*, IV, 1, p. 41 s., Münster in W., 1911 et P. Volz, *Ein heutiger Passahabend*, in period. ZNWKU., VII, p. 247-251, Giessen, 1906, ubi hic auctor coenam paschalem hodiernam describit.

(3) Touzard, *La Pâque juive*, in RPA., XVII, p. 32 s., 1914.

(4) *Ex.*, XII, 3 s.

(5) Vide supra p. 62, n. 1; cf. interim Bickell, *o. c.*, p. 42 ; Lobstein, *o. c.*, p. 56 s.

Ultimis Christi Domini diebus convivium paschale sequenti fere modo perficiebatur :

Postquam omnes, qui convivii participes erant futuri, manus suas laverant, calix primus vino replebatur cum aqua misto, et super illum recitabatur benedictio, quae cum hac laude incipiebat : « Benedictus Dominus Deus noster, Rex universi, qui genimen vitis creavit » (1).

Sequebantur aliae benedictiones, et sumpto ab omnibus primo calice, paterfamilias, postquam denuo manus abluerat, nova benedictione olera condiebat. Secundo calice impleto, ad interrogationem junioris inter commensales (*haggâdʰâh*), paterfamilias instituebat narrationem liberationis ex Aegypto, et ita pars prima caerimoniarum, per recitationem partialem *Hallel* (Ps. CXIII-CXIV. - In Vulg., CXII-CXIII, 8) et sumptionem secundi calicis absolvebatur.

Tunc deveniebant ad convivium paschale proprie dictum, in quo posteaquam omnes sub benedictione manus suas laverant, et paterfamilias panem azymum fregerat (2), post ceteros omnes cibos, ipse agnus paschalis manducabatur. Impleto sub benedictione tertio calice, gratiae Deo agebantur pro acceptis alimoniis ac collatis beneficiis in liberatione Aegypti, in foedere inito atque in donatione legis ; quarto denique misto calice, recitabatur secunda pars *Hallel* (Ps. CXV-CXVIII.- In Vulg., CXIII, 9-CXVII) cum *magno Hallel* (Ps. CXXXVI.- In Vulg., CXXXV), et sumpto jam quarto illo calice, formula consueta benedicto, per ultimam tandem gratiarum actionem totus ritus paschalis terminabatur.

Ex expositis his praescriptionibus satis apparet quam intima ratione, non solum narratio s. Lucae, qui expressis verbis intentionem Domini ritus paschalis celebrandi memorat, sed adhuc descriptio coenae Eucharisticae apud s. Matthaeum, s. Marcum et ipsum

(1) Auctores quidam, quum coenam Eucharisticum non connectendam censerent cum coena paschali, ritum Eucharisticum explicare voluere ex convivio quodam judaico ordinario, quod *Kiddûsch* vocaverunt et in solo pane atque vino consistere dixerunt. Hanc sententiam ex professo refutandam suscepit MANGENOT, *Un soi-disant antécédent juif de l'Eucharistie,* apud period. RCF., LVII, p. 385-412, 1909 et in app. II, ad opus laudatum *Les Evang. Syn.*, p. 435 s. Paris, 1911. — Cf. tamen LAGRANGE, *Évang. selon s. Marc*, p. 336, n. 1, Paris, 1911. — Apud MANGENOT, *l. c.*, videre est litteraturam hujus controversiae.

(2) A die 15 *Nisan* ad diem 21, celebrabatur festum Azymorum, τὰ ἄζυμα, sed omnis panis fermentatus auferri debebat a die 14, et ita intelligitur Lc., XXII, 1 : « Ἤγγιζεν δὲ ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, ἡ λεγομένη πάσχα ».

s. Paulum cum illis adjunctis cohaereant (1); notant insuper duo priora evangelia : « Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti » ; in verbis autem Apostoli : « Mortem Domini annuntiabitis » (2), ad *Haggâd^h^âh* judaicum alludi quibusdam exegetis haud improbabile videtur.

* * *

Celebris autem est controversia circa hanc connexionem coenae Eucharisticae ad ritum paschalem, et objectiones, quae contra eamdem afferuntur, uti obvium est ex indicata distinctione superius, duplici praesertim ex capite procedunt : prima nempe est series difficultatum, quae ex adjunctis temporalibus proveniunt ; altera vero series difficultates complectitur, quae ex circumstantiis realibus praeprimis oriuntur. Opponuntur insuper huic thesi quaedam objectiones, quasi praeviae atque magis generales, quas Rückert (3), quem sequitur Goetz (4), sequenti modo proponit :

Convivium paschale, si cum quodam sacrificio connectatur, nullatenus profecto sacrificium involvit propitiatorium, quoniam de tali oblatione sub veteri lege edere nefas erat ; celebratio porro Eucharistica, signatim apud s. Matthaeum, tanquam sacrificium consideratur propitiatorium, quod est « in remissionem peccatorum », itaque ex primo capite jam deficit parallelismus inter utramque institutionem. Deficit insuper parallelismus ex altera ratione, quandoquidem sanguis agni ad mensam non afferebatur, dum sanguis Christi e contra discipulis potandus proponitur ; deficit tertio, addit Spitta (5), quia semel tantum in anno agnus paschalis immolandus erat, dum ritus Eucharisticus saepius instaurari debet.

Ad has autem considerationes respondetur: primo, parallelismus, quum ad comparationem accedat, non postulat identitatem omnium elementorum ; secundo, triplex haec objectio ex deficiente paral-

(1) Omittimus inquisitionem de ipso loco, quem ritus Eucharisticus in celebrando convivio paschali obtinuerit. Alii auctores enim calicem Eucharisticum benedictum autumant ad tertium calicem paschalem, alii vero ad quartum seu imo ad quintum quemdam calicem supererogatorium; de hac quaestione vide Bickell, *o. c.*, p. 79 s. vel Berning, *o. c.*, p. 235 s. — Conciliationem inter assertum *s. Mt.* et *s. Mc.* : « ἐσθιόντων αὐτῶν » et illud *s. Lc.* et *s. P.* : « μετὰ τὸ δειπνῆσαι », vide apud Berning, *o. c.*, p. 77 s. et p. 236 s.

(2) *I Cor.*, XI, 26; cf. *Ex.*, XII, 27.

(3) Rückert, *Das Abendmahl. — Sein Wesen und seine Geschichte in der alten Kirche*, p. 50, Leipzig, 1856.

(4) Goetz, *o. c.*, p. 134 s.

(5) Spitta, *o. c.*, p. 246; E. Haupt, *o. c.*, p. 20 ; R. A. Hoffmann *o. c.*, p. 75.

lelismo simul ruit, quia adhuc quarta de causa deficit parallelismus, et quidem quoad elementum primarium atque essentiale : immolabatur et manducabatur quondam agnus paschalis ; immolatur et manducatur deinceps Agnus Dei, qui omnia sacrificia antiqua et ipsum ritum paschalem abrogravit.

*
* *

Gravior est difficultas, quae ex adjunctis temporalibus desumitur : ex descriptione coenae Eucharisticae, quam apud Synopticos legere fas est, luculenter apparet Christum Dominum hunc ritum novum instituisse in ipsa « prima die Azymorum », « quando Pascha immolabant » (Mt., XXVI, 17 ; Mc., XIV, 12 ; Lc., XXII, 7), et aliunde ex quarto evangelio patenter constat Christum ante Pascha jam passum esse, « πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα » (Jo., XIII, 1), siquidem Judaei in praetorium introire recusarunt, « ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha » (Jo., XVIII, 28). Expressis verbis praeterea crucifixionem ad parasceven Paschae refert s. Joannes (Jo., XIX, 14, 31, 42), et diem insequentem passionem vocat « magnum diem illum Sabbati » (Jo., XIX, 31), ob concursum videlicet ipsius Paschatis cum Sabbato.

Verum, haec difficultus ex indicatione temporis exorta, augetur quam maxime, si adjuncta quaedam perpendimus, quae non modo in quarto evangelio, sed et in ipsis Synopticis adnotantur. In quarto evangelio haud dubium videtur agi convivium aliquod ordinarium, et re quidem vera ponitur : « δείπνου γινομένου » (Jo., XIII, 2), quod nullatenus convivium solemne indicare natum est ; sed insuper, cum convivio solemni et rituali Paschatis minime consentiunt tum lotio pedum (Jo., XIII, 5), tum denuntiatio proditoris (Jo., XIII, 21), tum ea denique, quae de apostolis proferuntur, quippe qui exeunte traditore, putaverint « quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus : Eme ea, quae nobis opus sunt ad diem festum εἰς τὴν ἑορτήν » (Jo., XIII, 29).

In ipsis Synopticis similiter, celebrari convivium ordinarium luculenter insinuatur : primo, dicitur apud s. Mc., XIV, 18 : « ἀνακειμένων αὐτῶν καὶ ἐσθιόντων » ; ita fere pariter apud s. Mt. XXVI, 21 ; atqui, talis expressio profecto coenam solemnem minus recte describit ; secundo, eadem obstat denuntiatio proditoris, quae indebite ritum legalem abrumpit (Mt., XXVI, 21 s. ; Mc., XIV, 18 s. ; Lc., XXII, 21 s.) ; tertio, non intelligitur invitatio : « accipite et dividite inter vos » (Lc., XXII, 17), quae in ritu paschali intolerabilis omnino apparet.

Addatur adhuc apud Synopticos et apud s. Paulum, in consecratione prima adhiberi ἄρτον (1), seu panem fermentatum, quem in prima die Azymorum, invenire non licebat, et advertatur tandem in eadem narratione quasdam memorari circumstantias, quae nullatenus convenire possunt cum die festo Paschatis, in quo, juxta hanc chronologiam Synopticorum, Christum passum et crucifixum esse admittendum foret. Processus judiciarius enim, quem s. Mt., XXVI, 57 et s. Mc., XIV, 53, referunt quin ullam in eo illegalitatis mentionem faciant aut imo innuant ; liberatio Barabbae, quae manifeste ante diem festum paschalem obtinenda erat, ut posset hic hujus festi fieri particeps (Mt., XXVII, 15 s. ; Mc., XV, 6 s. ; Lc., XXIII, 17 s.) ; narratio de Simone Cyrenaeo a villa redeunte (Mt., XXVII, 32 ; Mc., XV, 21 ; Lc., XXIII, 26) ; emptio sindonis a Joseph ab Arimathaea (Mc., XV, 46 ; cf. Mt., XXVII, 59 ; Lc., XXIII, 53) ; praeparatio aromatum denique a mulieribus piis, « quae Sabbato quidem siluerunt (ἡσύχασαν) secundum mandatum » (Lc., XXIII, 56); haec omnia diem festum indubie excludunt (2).

In his difficultatibus, aliae quaedam, uti liquet, directe chronologiam spectant, aliae cum chronologia adeo connectuntur, utputa quae de processu judiciario, de labore vel emptione in die festo proferuntur, ut revera cum his difficultatibus, ad chronologiam directe pertinentibus, unum faciant ; aliae objectiones tandem characterem paschalem hujus coenae ultimae directe oppugnant, itaque claritatis causa, ab invicem secernantur omnino oportet.

* * *

Brevi negotio solvuntur difficultates, quae directe contra characterem paschalem coenae afferuntur (3). Quum enim primo nesciamus, quo praecipue momento Dominus coenam Eucharisticam celebraverit, utrum scilicet durante convivio paschali, an potius immediate post illud, et quum deinde Christus statuerit coenam novam cum antiqua conjungere, manifestum est quaedam adjuncta in ritu legali immutanda atque adaptanda fuisse ; igitur, nisi Christum, « Dominum Sabbati » (Mt., XII, 8 ; Mc., II, 28 ; Lc., VI, 5), prohibere

(1) Hanc difficultatem movet Wellhausen, in nota : Ἄρτον ἔκλασεν, apud period. *ZNWKU.*, VII, p. 182, 1906, eamdemque referunt Goguel, *o. c.*, p. 62 et Batiffol, *Euch.*, p. 139.

(2) Cf. tamen Felten, *Neutestamentliche Zeitgeschichte oder Judentum und Heidentum zur Zeit Christi und der Apostel*, I, p. 472, n. 5, Regensburg, 1910, qui opera servilia in die 15 *Nisan* non fuisse prohibita contendit.

(3) Cf. Spitta, *o. c.*, p. 234 s.

velimus quominus hanc suam intentionem executioni mandet, et hoc quidem eo ipso momento, quo per ritum novum veteres praescriptiones abrogare intendit, statim annuere debebimus nullius esse faciendas objectiones, quae tum ex lotione pedum, tum ex denuntiatione proditoris, tum denique ex invitatione : λάβετε, oriri possent, quamvis profecto hos omnes sermones in ritu legali inserere nefas fuerit, et singulos accumbentes suum quemque calicem potare oportuerit. Quae de indicatione generaliori s. Joannis (δείπνου γινομένου), vel de descriptione indeterminata apud s. Mt. et s. Mc. (ἀνακειμένων...καὶ ἐσθιόντων) dicuntur, neminem sane movebunt, siquidem aliunde abundanter constat coenam ultimam, juxta Synopticos, cum coena paschali fuisse connexam, et s. Joannem de eadem coena locutum esse ex ipsis circumstantiis lotionis pedum, denuntiationis traditoris et aliis, procul omni dubio apparet (1).

Ceterae omnes difficultates, si non directe ad chronologiam pertinent, tam arcte nihilominus cum hac objectione cohaerent, ut easdem, eversa difficultate ex chronologia exorta, statim dissolutas habere possimus. Ad hanc chronologiam explicandam nunc accedimus.

* * *

Haud satis attendunt exegetae plerique, non quartum solum evangelium, sed adhuc ipsos Synopticos, passionem et crucifixionem, quae die insequente coenam Eucharisticam obtinuerunt, reipsa ad diem 14 *Nisan* referre, uti patenter ostendunt sectiones evangelii, quae de Joseph ab Arimathaea et de mulieribus piis loquuntur. Apud ipsum s. Lucam, XXIII, 52-56 legimus : « Hic (Joseph) accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu : et depositum involvit sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et dies erat parasceves et sabbatum illucescebat. Subsecutae autem mulieres, quae cum eo venerant de Galilaea, viderant monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus. Et revertentes paraverunt aromata, et unguenta : et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum ».

Hic autem dies Sabbati magnus erat, ex testimonio s. Joannis, ob concursum ipsius diei Paschatis, adeoque juxta ipsum s. Lucam, qui quam maxime in intentione Christi ritus paschalis celebrandi insistit, celebrata esset coena Eucharistica die 14 *Nisan*, id est, primo vespere diei Paschatis incipiente, secundum computum

(1) Cf. Corluy, *Commentarius in Evang. s. Joannis*, p. 310, Gandavi, 1880².

judaicum (1), et simul eadem die Christus esset mortuus, quandoquidem dies parasceves sane ipsum diem festum Paschatis non indicat !

Tota difficultas itaque ad indicationem temporalem redit, quam legimus apud s. Matthaeum : « τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων » ; apud s. Marcum : « καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον », et tandem apud s. Lucam : « ἦλθεν δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα » (Mt., XXVI, 17 ; Mc., XIV, 12 ; Lc., XXII, 7) (2).

At vero ipsa expressio « τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων » ex se dubium movet, quia dies Azymorum proprie non nisi secundo vespere diei 14 *Nisan*, id est ineunte die 15 *Nisan*, juxta computum legalem, (Ex., XII, 18 ; cf. Lev., XXIII, 5 ; Num., XXVIII, 16-18) incipiunt, adeoque, certocertius tardius accedunt discipuli, siquidem extra civitatem versantur, ut postulent ubinam Pascha praeparandum habeant.

Constat igitur primo, hanc diem « πρώτην τῶν ἀζύμων », si audiatur « prima Azymorum », improprie praedicari saltem de quibusdam horis ipsius diei 14 *Nisan*, ante secundam vesperam nimirum hujus 14 *Nisan*, sive primam vesperam diei primae proprie dictae Azymorum, quae erat 15 ejusdem mensis. Novimus autem secundo, vocem πρώτην quandoque supponere pro voce προτέραν (3), et ita jam quidam Graeci intellexere, utpute s. J. Chrysostomus : « πρώτην τῶν ἀζύμων, τὴν πρὸ τῶν ἀζύμων φησίν » (4).

Accipiamus vocem πρώτην hoc sensu, et statim accurata fit expressio : « τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων », quae latine vertitur : « pridie dierum Azymorum », id est 14 *Nisan*, quae dies, secundum computum judaicum, incipiebat a prima vespera, die 13 *Nisan* finiente, et terminabatur ad secundam vesperam, die 15 illucescente, ita ut ipsa durante die 14 *Nisan*, agnus immolari posset.

Si nunc ita intelligimus s. Matthaeum et s. Marcum, omnia clarescunt : pridie dierum Azymorum, id est, primo vespere diei 14 *Nisan*, qua die 14 reipsa agnum immolabant, accedunt discipuli

(1) Secundum computum judaicum dies incipiunt a prima vespera, itaque dies 14 *Nisan*, incipit jam die 13 *Nisan* vespere, secundum computum hodiernum, in quo dies per mediam noctem dividuntur.

(2) Comprobatum est alioquin aliunde Christum passum esse feria sexta ; cf. Ladeuze, *La date de la mort du Christ d'après quelques études récentes*, apud period. RHE., V, p. 894-903, 1904.

(3) Cf. Lagrange, *Où en est la question du recensement de Quirinus*, apud period RBI., NS., VIII, p. 80 s., 1911 ; cf. adhuc ejusdem auctoris *Évang. selon s. Marc.*, p. 348, sed cl. criticus hac via problema solvere non satagit.

(4) S. Jo. Chrys., *In Matth. hom.* LXXXI (al. LXXXII) in PG., LVIII, 729.

et rogant Dominum, ubinam Pascha praeparandum sit, ut altero die, secundum computum hodiernum, sed eodem die 14 *Nisan*, secundum computum judaicum, agnum manducare possint (1).

In textu s. Lucae, XXII, 7 habetur : « Venit (ἦλθεν) autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha » ; sed hac determinatione, ut prima scilicet Azymorum, nunquam indicabatur dies 14 *Nisan* (2), in qua, non in die 15, necesse erat occidi pascha ;

(1) Hanc interpretationem excludere conatur KNABENBAUER, *Comm. in Evang. secundum Matth.*, in *Cursu scripturae sacrae, auct.* R. CORNELY, I. KNABENBAUER, et F. DE HUMMELAUER, II, p. 411, Parisiis, 1903[2], quia « dici nequit : dies prior quam panes azymi ; necessario esset ponendum τῇ πρώτῃ τῆς τῶν ἀζύμων. Insuper, ait, duo Synoptici clare efferunt discipulos Domino dixisse eo die quo necesse erat occidi Pascha... ; praeterea Luc., XXII, 14 ... aliter nequit intelligi quam quum hora debita adesset, coenam paschalem celebravit ». — Respondetur ad primum : τὰ ἄζυμα supponit non pro « panibus azymis », sed pro « diebus Azymorum », itaque revera redundaret part. τῆς ; ad secundum : die 14 *Nisan* incipiente a secunda vespere diei 13, in ipsa tamen die 14 *Nisan*, etiam in nostra sententia, occiduntur agni ; ad tertium : gratuito affirmatur textum Lc. non posse intelligi nisi de hora debita ; aeque ac imo aptius auditur de hora propitia.

(2) Ad hanc assertionem replicat TH. ZAHN, *Einleitung in das NT.*, II, p. 535, Leipzig, 1907[3], designationem ἄζυμα extendi etiam ad Pascha, et in hunc sensum refert Jos., *Antt.*, IX, 13, 2. 3 ; *Bell.*, II, 12, 1 ; IV, 7, 2, et infra adhuc *Bell.*, II, 1, 3 ; VI, 9, 3 ; *Antt.*, XIV, 2, 1 ; XVII, 9, 3 ; XVIII, 2, 2. Octo dies Azymorum igitur quodammodo computare fas est (Jos., *Antt.*, II, 15, 1) et ita revera apud *s. Lc.*, XXII, 1 (coll. *Act.*, XII, 3-4) legimus : « Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha ». — Respondetur : haec omnia exinde satis justificantur quod, instante jam convivio paschali, omne fermentatum auferri debebat, et quod ipsum convivium paschale celebrari debebat vespere secundo diei 14 *Nisan*, illucescente die 15 *Nisan*, quae erat prima Azymorum. Non conficit autem Zahn, quod praecipue demonstrandum esset, *totam diem 14 Nisan* ubilibet vocari primam Azymorum, nam duo exempla quae affert : *Mc.*, XIV, 12 et *Mt.*, XXVI, 17, maxime in discrimen vocantur, et expressio « τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων » in locis F. Josephi modo laudatis non occurrit. Quoad expressionem : « ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων » (*Lc.*, XXII. 7, coll. Jos , *Bell.*, V, 3, 1) hanc etiam minus adaequatam fatetur Zahn, et parallelam ceterum ad locutionem : « τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων », quod indubie constat ex subnexa determinatione : « ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον » (*Mc.*, XIV, 12) et : « ἡ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα » (*Lc.*, XXII, 7). Si vero expressio lucana, parallela sit et minus recta quam locutio matthaeana et marciana, quid prohibet quominus illam per hanc intelligamus. Ponamus autem Zahn reapse comprobasse per « τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων », vel imo per « ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων », audiri posse 14 diem *Nisan*, tanquam « primam diem Azymorum », manet tamen difficultas ex quibusdam adjunctis, quae in ipsis etiam Synopticis memorantur, adeoque interrogationem discipulorum, nihilominus ad vesperam primam hujus diei 14 *Nisan* transferamus oportebit ; nos autem simul solutionem nanciscimur ad apparentem contradictionem quartum evangelium inter et tria priora evangelia dimovendam.

subaudiamus oportet igitur vocem : « πρώτη », id est, « pridie dierum Azymorum, quando immolandus erat agnus », et formulam parallelam adeo adipiscimur ad indicationem s. Matthaei, XXVI, 17 et s. Marci, XIV, 12, simul ac sensum conservamus obvium hujus verbi ἦλθεν, quod significat : advenit, aderat. Si autem sensu proprio accipiamus diem Azymorum, haec erit 15 *Nisan*, et tunc primo, minus recta videtur determinatio subjuncta : « in qua (die) necesse erat occidi pascha », et verbum ἦλθεν insuper minus adaequate sumitur, nisi illud audiamus : appropinquavit dies prima Azymorum (1). Quomodo enim, die 15 illucescente, « ἦλθεν δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων », tempus suppeditare potuerit Domino, extra civitatem cum discipulis versanti, ut omnia paranda curaret, omnino non percipitur. — Discipuli invenerunt profecto diversorium grande stratum, sed raipsa quae ad coenam erant necessaria, adhuc praeparari debebant, juxta narrationem evangelicam, et ea re quidem vera discipuli praeparaverunt. In hac ultima explicatione alioquin manet adhuc difficultas : agnus immolari debebat non in die 15, sed in die 14 *Nisan*, uti pluries advertimus.

Dominus autem statim venit, eodem nempe vespere (2); Vulgata vertit : « vespere facto », sed in textu graeco legimus : « ὀψίας γενομένης », id est, ad litteram : « quando hora processerat » ; « ἐν τῇ νυκτὶ », ait Apostolus. — Tunc, quoniam tempus ejus prope erat, « ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστιν » (Mt., XXVI, 18), festum peregit paschale, ante diem statutum a lege; eadem nocte Christus in horto captus, ipsa die 14 *Nisan*, et eadem hora qua agni in templo immolari coeperunt, immolatione sua opus redemptorium perfecit (3).

Nemo non videt cum hac explicatione, tam obvia, omnes evanescere objectiones ex ipsa chronologia vel ex adjunctis tempo-

(1) Ita s. Jo. Chrys., *In Matth. hom.* LXXXI (al. LXXXII) in PG., LVIII, 729.

(2) Nulla est difficultas ex apparenti antinomia inter *Mc.*, XIV, 13, ubi dicitur Dominum misisse duos discipulos ad praeparandum Pascha et *Mc.*, XIV, 17, ubi narratur ipsum venisse cum duodecim. Expressio enim « cum duodecim », ad corpus apostolorum indicandum, solemnis est apud evangelia, et duos apostolos ceterum ad Jesum rediisse, aut ei obvios venisse profecto non impossibile videtur.

(3) Omittimus explicationes, quibus auctores, qui negant characterem paschalem coenae Eucharisticae, hanc connexionem cum Paschate, in textu hodierno ineluctabili necessitate admittendam, explanare satagunt. Ita recenter Goetz, *o. c.*, p. 136 s., tendentiam invocavit Ecclesiae primitivae ut totum VT. in Christo adimpletum fuisse admitteret; verum, talis tendentia gratuito excogitatur, nam factis constat, et documentis genuinis comprobatur, coenam a Christo fuisse celebratam.

ralibus exortas, quin quidquam novi in textum inducere, aut quodvis elementum ex illo demere, aut quemvis tandem errorem amanuensis supponere necesse habeamus (1).

*
* *

Videri posset unam difficultatem in textu remanere : narratur enim in quarto evangelio Judam, postquam bucellam acceperat, probabilius in ipso convivio paschali, siquidem in his epulis hanc bucellam facilius accipere potuerit, quin discumbentes rem adverterint aut saltem intellexerint, statim exiisse, ut facinus suum perpetraret. Apostoli porro, pergit s. Joannes « putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus : Eme ea, quae opus sunt nobis ad diem festum (εἰς τὴν ἑορτήν), aut egenis aliquid daret ».

Jamautem, gratuito supponitur in hac objectione hunc diem festum esse ipsum convivium paschale, dum aequo saltem titulo de magna die festiva, 15 *Nisan*, audiri potest (2). Instantiam tamen adhuc praevertendam habebimus, quandoquidem dicetur integram adhuc diem suppetere ad hanc emptionen faciendam, si ipsa coena ad primam vesperam, seu melius per noctem hujus diei 14 *Nisan*, jam celebrata fuerit. At vero non asserit textus traditorem reapse hac de causa coenaculum reliquisse, quod profecto minus necessarium videretur, sed tantummodo affirmat ita quosdam discipulos, absque causa revera, opinatos esse, dum alii e contra hunc egressum Judae explicuere per mandatum a Domino acceptum « ut aliquid egenis daret ».

Alia difficultas oriri posset ex capite illegalitatis (3), sed haec

(1) Cum hac exegesi supervacanea evadit inquisitio, quam auctores quidam instituunt, ut textum s. Marci, per errorem sive copistae, sive traductoris explanent; cf. praeprimis CHWOLSON, *Das letzte Passamahl Christi und der Tag seines Todes*, Leipzig, 1908², qui correctionem proponit juxta fontem quemdam primogenium aramaicum, in quo fonte duplex verbum, post indicationem temporalem, exstiterit; vide etiam CALMES, *L'Évangile selon s. Jean*, p. 370, Paris et Rome, 1904 ; — Alteram adhuc explicationem excogitavit Chwolson, quam laudat LAGRANGE, *Evang. selon s. Marc*, p. 349. — A. RESCH, *Aussercan. Paralleltexte*, in TU., X, 3, p. 617, ad fontem hebraica lingua exaratum recurrit. — Cf. etiam C. VAN CROMBRUGGHE, *o. c.*, p. 189.

(2) Cf BELSER, *Die Geschichte des Leidens und Sterbens, der Auferstehung und Himmelfahrt des Herrn*, p. 158 s., Freiburg in B., 1913².

(3) Ad hanc difficultatem vitandam variae excogitatae sunt explanationes, quas summatim, cum eorum auctoribus, refert FOUARD, art. *Cène*, apud *Dic. de la Bible* (VIGOUROUX), II, 411, Paris, 1899. — Notissima est solutio, quae ad incertitudinem certae diei 14 *Nisan* provocat; cf. LAGRANGE, *Evang. s. Mc.*, p. 339; STRACK, *Pesahim* (*Schriften des Instit. Judaic. in Berlin*, n. 40), p. 8, Leipzig, 1911 ; M. O. GIBSON, *Which was the night of the Passover*, in period. *The expository times*, XXII, p. 378, 1911.

objectio neminem movebit, qui auctoritatem Christi novum ritum instaurantis, et figuras veteris Testamenti abrogantis, vel paulisper perpenderit. Jamdiu insuper, et solide quidem, comprobatum est (1), hac etiam die 14 *Nisan* illucescente, Dominum sibi omnia procurare potuisse, quae ad rectam celebrationem convivii paschalis erant necessaria, et ita cadit ultima objectio, quae interpretationi modo propositae adhuc opponi posse videtur (2).

*
* *

Merito igitur concludimus hanc paragraphum : certum est Christum Dominum *Eucharistiam instituisse durante ipso convivio paschali*, et quidem in tam arcta connexione ad has epulas legales, ut sacrificium novae legis a Traditione, uti videbimus, merito consideratum fuerit tanquam « novam Paschae novae legis » quod « Phase vetus terminat ».

Art. 2. — De relatione celebrationis Eucharistiae ad antiquum foedus.

Expensa connexione coenae Eucharisticae cum convivio paschali, statim ad relationem ejusdem coenae cum antiquo foedere investigandam accedimus.

Authenticitate expressionis «τῆς διαθήκης» asserta, nondum soluta est quaestio utrum necne institutio Eucharistiae cum antiquo foedere conjuncta fuerit ; quidam critici moderni vocem διαθήκην intelligendam volunt, non de pacto, novo nimirum ex oppositione ad foedus

(1) Cf. praeprimis Chwolson, *o. c.*, cujus argumenta succincte exponit. Berning, *o. c.*, p. 221 s. atque etiam emendat ; vide pariter Stakemeier, *Zur Antizipationstheorie*, apud period. *Theologie und Glaube*, V, p. 365, Paderborn, 1913.

(2) Varias solutiones referunt S. M. Semeria, *Le jour de la mort de Jésus selon les Syn. et selon saint Jean*, in RBI., I, p. 78-87, 1896 ; Knabenbauer, *Comm. in Ev. sec. Matth.*, II p. 411 s. et Fouard, *art. cit.*, 408 s. — Praeter sytemata, quae negant characterem paschalem coenae, aut quae Syn. et Jo. non de eadem coena locutos esse autumant (uti R. Schaefer, *o. c.*, p. 109 s.), diversae sunt sententiae, quae quartum evangelium cum tribus prioribus consentire conficere satagunt. Hae opiniones apud Fouard, et alios auctores laudatos in decursu hujus disputationis indicantur ; ibidem pariter aliqualem litteraturam hujusce quaestionis, ab initio aevi christiani disputatae, reperire est ; eamdem hic subnectere non juvat, nam eadem quaestio in periodicis ad hunc diem disputatur ; videsis art. jam adductos et adhuc H. Lesêtre, *Le jour de la dernière Cène*, apud RCF., LXII, p. 702-710, 1910 ; Rauschen, *Der Tag des letzten Abendmahls Jesu*, in *Monatsblätter für die Kath. Religionsunterricht*, XV, p. 84-90, 1914, etc.

antiquum, sed de dispositione aliqua unilaterali atque libera, concepta ad normam cujusdam testamenti, quo testator res suas heredibus suis reliquendas statuit (1). Methodus porro, qua hanc opinionem fulcire moliuntur, magis nova est quam ipsa thesis, quippe quae jam apud Lutherum legatur (2).

Concedit sane Dibelius, qui praecipuus nunc propugnator hujus theoriae exstitit, in verbis institutionis ad antiquam διαθήκην aliqualiter alludi, sed neminem fugit, cum illo sensu vocis διαθήκη, quo διαθήκη potius dispositionem unilateralem diceret, argumentum ad essentiam sacrificii novae legis definiendam ex oppositione ad antiquam διαθήκην, multum deficere, itaque rationes in adjumentum hujus sententiae adductas audiamus oportet.

Prima ratio autem desumitur ex sensu hujus vocis communiter recepto in *Koinè*, quae διαθήκην ubique « testamentum » intelligit; altera depromitur ex verbis s. Lucae, XXII, 29 : « Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum (κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν), ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo ». Verum, ait, in hac pericope, verbum διατίθεσθαι manifeste significat « disponere per testamentum », et quum haec sectio ex suo scopo (ἵνα ἔσθητε καὶ πίνητε) intime cohaereat cum coena Eucharistica, ubi Christus declaravit : « ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ πίω ἐκ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως....ὅταν αὐτὸ πίνω καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ », obvium erit ut vocem διαθήκην, in hac coena, per verbum διατίθεσθαι, a quo derivatur, definiamus.

Confirmantur haec asserta ex loco parallelo epistolae ad Hebr., IX, 15 s. : « Et ideo novi testamenti mediator est (διαθήκης

(1) Ita TH. ZAHN, *Die Briefe des Paulus an die Galater*, in *Kommentar zum NT.*, IX, p. 161, Leipzig, 1907²; DEISSMANN (apud O. SCHMITZ, *o. c.*, p. 208, n. 4) et in *Licht vom Osten. — Das NT. und die neuentdeckten Texte der hellenistische-römische Welt*, p. 253, Tübingen, 1909²; DIBELIUS, *Das Abendmahl. — Eine Untersuchung über die Anfänge der christlichen Religion*, p. 88, Leipzig, 1911. — Indicare sufficiat opinionem excogitatam a WELLHAUSEN, *Das Evang. Marci*, p. 123, Berlin, 1909², qui διαθήκην explicare molitur per « communionem sanguinis »; de hac sententia vide O. SCHMITZ, *o. c.*, p. 207; BEHM, *o. c.*, p. 64, n. 1. — Similem theoriam lege apud HEITMÜLLER, *Taufe und Abendmahl im Urchristentum*, in *Religionsgeschichtliche Volksbücher hrsg. von* F. M. SCHIELE, p. 59, Tübingen, 1911, et refutationem apud WEINEL, *Bibl. Theol. des NT.*, in *Grundriss der Theologischen Wissenschaften* (A. BAUMGARTEN et A. BENZIGER), h. XIX, p. 71, Tübingen, 1911.

(2) LUTHERUS, *De captivitate babyl.*, in WA., VI, p. 523; vide supra in parte prooemiali, p. 2.

καινῆς μεσίτης ἐστίν, scil. Christus) : ut morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento (ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ), redemptionem accipiant qui vocati sunt aeternae hereditatis (τῆς αἰωνίου κληρονομίας) (1). Ubi enim testamentum est (διαθήκη) : mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum (διαθήκη) enim in mortuis confirmatum est : alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est ».

Quale sit hoc testamentum, et quandonam statutum fuerit, ait Dibelius, luculenter apparet ex sequentibus vv., in quibus ultima coena haud obscure respicitur, quandoquidem verba ex vetere Testamento desumenda ad formulam Eucharisticam adaptantur : « Unde nec primum (testamentum) quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo : accipiens sanguinem vitulorum, et hircorum cum aqua et lana coccinea, et hyssopo : ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens : Hic sanguis testamenti (τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης), quod mandavit ad vos Deus ».

In ipsis verbis adhuc institutionis argumentum invenire fas est : dicitur « τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον » et « τὸ ποτήριον... τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον » ; atqui, tales formulae patenter aliquod testamentum innuunt, quod ex sese est « dispositio in favorem (ὑπὲρ) alicujus » (2).

* * *

Sat facili negotio retorquentur rationes modo prolatae : quod enim ultimum argumentum spectat, animadvertere sufficiat participia διδόμενον et ἐκχυννόμενον non ad διαθήκην, sed ad σῶμα et ποτήριον sive αἷμα referenda. Quod primam rationem attinet, respondetur : transeat in *Koinè* διαθήκην ubique pro « testamento » supponere ; nondum inde sequitur in verbis institutionis pariter hunc sensum esse admittendum a priori ; jam autem, hic sensus nullatenus conficitur a posteriori, ex textibus, qui in favorem hujus sententiae afferuntur:

Primo, in l.c., XXII, 29, negamus connexionem, convivium eschatologicum inter et coenam Eucharisticam, quoniam verba :

(1) Huic loco parallela non est pericope *Mt.*, XXV, 34 : « Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum (κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν) a constitutione mundi » ; ex additis enim conditionibus eliquet ibidem non agi testamentum sed mercedem ; cf. E. Lohmeyer, *Diatheke. — Ein Beitrag zur Erklärung des neutestamentlichen Begriffs*, p. 157 s., Leipzig, 1913.

(2) Dibelius, *o. c.*, p. 89.

« Non bibam amodo », ad festum judaicum prolata fuerunt, absque ulla immediata relatione ad institutionem Eucharistiae, quae postea obtinuit (1). Advertimus secundo verbum διατίθεσθαι in eodem textu magis dispositionem aliquam liberam, quam « testamentum » indicare, quippe quum Deus, qui Christo regnum disposuit, non moriatur, et prorsus parallelae aliunde videantur « dispositiones », prima, qua Christus discipulis suis, altera, qua Pater Christo regnum disposuit (2).

Deinde epistola ad Hebraeos perperam in adjumentum advocatur. Concesso enim v. 20 cum respectu ad formulam Eucharisticam proferri, num inde sequitur διαθήκην, in institutione Eucharistae, esse testamentum ? Nequaquam, quia διαθήκη, de qua v. 20, est ipsa διαθήκη antiqua, quae nullatenus cum testamento aequiparari potest ; concludimus igitur : διαθήκη, in formula consecrationis, non erit testamentum, siquidem huic priori διαθήκη opponitur.

Hanc oppositionem nimis negligit Dibelius, quare positive argumentum nostrum prosequimur, et animadvertimus : non tantum apud s. Lucam et Apostolum, qui διαθήκην vocant *novam*, sed adhuc in evangelio s. Matthaei et s. Marci haec oppositio satis elucet, quando dicitur διαθήκην ineundam esse in ipso sanguine Christi : « τοῦτο... τὸ αἷμα μου τῆς διαθήκης ». Atqui, quidquid disputari possit de sensu generaliori vocis διαθήκη in vetere et in novo Testamento (3), luce clarius constat διαθήκην initam ad montem Sinai, esse foedus seu pactum bilaterale (4), effusione sanguinis in immolatione sacrificali sancitam : « Venit ergo Moyses et narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia : responditque omnis populus una voce : Omnia verba Domini, quae locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyses universos sermones Domini : et mane consurgens aedificavit

(1) Hoc logion proprio suo loco occurrit in tertio evangelio ; cf. BERNING, *o. c.*, p. 85 s. ; KNABENBAUER, *Comm. in Ev. sec. Lucam*, p. 577 s., Parisiis, 1905².

(2) Hanc assertionem impugnat BEHM, *o. c.*, p. 65, n. 5, quia, ait, in hac interpretatione, propositio : « ἵνα ἔσθητε » connexione consecutiva ad « διατίθεμαι... βασιλείαν » religetur oportet, quod omnino nequit concipi ; talem impossibilitatem vero nullatenus videmus.

(3) Cf. de hac quaestione RIGGENBACH, *Begriff der Διαθήκη im Hebräerbrief* (*Theol. Studien zu Zahn's 70. Geburtstag*), p. 289-316, Leipzig, 1908 ; F. NORTON, *A lexicographical and historical study of διαθήκη from the earliest times to the end of the classical period*, Chicago, 1908 ; O. SCHMITZ, *o. c.*, p. 210, n. 2 ; praesertim BEHM, *o. c.*, p. 17 et p. 37 s. ; LOHMEYER, *o. c.*, p. 41 s., p. 78 s. et p. 124 s.

(4) Cf. BEHM, *o. c.*, p. 30 et LOHMEYER, *o. c.*, p. 52 ; in priori opere p. 27, n. 1 et in altero, p. 42, n. 1, varias explicationes reperies ad etymon vocis *berîth* definiendum.

altare ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Misitque juvenes de filiis Israel, et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras : partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen foederis, legit audiente populo : qui dixerunt : Omnia quae locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum et ait : Hic est sanguis foederis (ἰδοὺ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης) quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his (1) ».

Ad hoc foedus prophetae quampluries revocaverunt populum infidelem et novum praenuntiaverunt foedus (2), jam non sanguine vitulorum, sed proprio sanguine Christi confirmandum, « et ideo (Christus) novi testamenti mediator est : ut morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt aeternae hereditatis » (3).

Non negamus ceteroquin novam διαθήκην, praeter respectum foederis sive pacti, communem ipsi cum antiquo *berîth* (4), indolem adhuc testamenti proprie dicti prae se ferre (5) ; haec enim videtur manifesta doctrina Apostoli (6), qui quam maxime in oppositione novae ad antiquam διαθήκην insistit. Hunc aspectum ulterius perscrutari, ad scopum nostrum non pertinet, et ad aliam itaque trans-

(1) *Ex.*, XXIV, 3-8.

(2) Cf. *Is.*, LV, 3 ; LXI, 8 ; *Jer.*, XXXI, 31 s. ; XXXII, 40 ; L, 5 ; *Ez.*, XVI, 60 s., XXXIV, 25 s. ; XXXVII, 25 s. ; *Os.*, II, 18 etc.

(3) *Hebr.*, IX, 15.

(4) Non intelligimus conclusionem, quam scribunt Behm, *o. c.*, p. 63 s. et Lohmeyer, *o. c.*, p. 160 s., qui διαθήκην, in verbis institutionis, non audiunt foedus sive pactum (Bund), sed dispositionem (Ordnung, Verfügung), quoniam, aiunt, hic est sensus hujus vocis apud LXX. — Sed, quidquid sit de significatione vocis διαθήκη apud LXX, quum certum sit Christum novam διαθήκην ad antiquam opponere, et indubium appareat antiquum *berîth* fuisse pactum bilaterale, quod iidem auctores plane concedunt (Behm, *o. c.*, p. 30 ; Lohmeyer, *o. c.*, p. 52), non ad *terminum* διαθήκην, sed ad *rem significatam* praecipue attendentes, merito statuimus novam διαθήκην pariter esse pactum bilaterale.

(5) Ita scribit Prat, *La Théologie de s. Paul*, I, p. 539, 1909⁵ : « L'ancienne Loi était une διαθήκη au sens d'alliance mais pas au sens de testament : la nouvelle est à la fois l'une et l'autre. Or, dès que le testateur est mort, le testament est irrévocable » ; cf. etiam s. Thom., *Sum. Theol.*, III, q. 78, a. 3, ad 3m.

(6) Vide praesertim *Gal.*, III, 15 s. ; ita et *Hebr.*, IX, 15 s. ; cf. Berning, *o. c.*, p. 104 s. ; Lebreton, art. *Euch.*, in *Dict. Apol.*, I, 1565.

imus objectionem, quae praecipue ex ipsa hac oppositione, apud s. Paulum speciatim evoluta, procedit.

* * *

Prima vice s. Paulus (II Cor., III, 6), aiunt, de novo foedere locutus est, nam verba τῆς διαθήκης apud s. Matthaeum et s. Marcum uti spuria delenda sunt ; hanc διαθήκην novam porro audivit Apostolus foedus aliquod spirituale, ab antiquo foedere diversum, siquidem hoc novum foedus potius significationem generalem prae se fert et nullo speciali titulo cum sanguine connectitur. Ita, post alios, Goetz (1), qui ut assertionem suam confirmet, oppositionem invocat, quae, ait, inter doctrinam ipsius Christi apud evangelia s. Mt., V, 17 et s. Lucae, XVI, 17 servatam, et innovationem Apostoli in II Cor., III, 14 prolatam, luculenter apparet : Christus non venit solvere legem sed adimplere ; Paulus eamdem legem in Christo evacuatam proclamat !

Haec consideratio certo est moderna : nunc s. Paulo adscribuntur, quaecumque ipsi Christo abnuuntur. Verum, obvia patet responsio : de authentia vocis διαθήκη, tum apud s. Matthaeum, quum apud s. Marcum non est ambigendum (2), itaque patescit ipsum Christum de foedere locutum esse, et quidem de foedere novo, quod in sanguine ipsius conditur, et quod opponitur ad foedus antiquum in sanguine vitulorum initum.

Quod legem attinet, quam Dominus venit adimplere, haec unice praecepta moralia respicit (3), et s. Paulus nullibi docet ista praecepta non esse adimplenda, sed generali ratione, notatim in II Cor., III, 14, vetus Testamentum in Christo evacuatum proclamat (4).

Utraque ceteroquin διαθήκη, tum παλαιά, quum καινή, in sanguine initur, et significationem generalem prae se fert : ita nimirum antiquum *berîth* permultas praescriptiones et promissiones supponit, simul ac circumcisionem ut medium necessarium ad cooptationem in populum electum ; at vero haec omnia elementa Apostolo occa-

(1) Goetz, *o. c.*, p. 142 s.

(2) Cf. Van Crombrugghe, *o. c.*, p. 194 s.

(3) Dubium, quod ex loco parallelo *Lc.*, XVI, 17, suboriri posset ex inspecto textu *Mt.*, V, 18 s., omnino evanescit.

(4) Non affirmamus ipsum s. Paulum distinguere inter legem ritualem et moralem ; tota lex simul cadit, secundum Apostolum, at omnia praecepta, etiam naturalia, supplentur per dilectionem, quae est « plenitudo legis » (*Rom.*, XIII, 10 ; cf. etiam *Gal.*, V. 14) ; de hac doctrina s. Pauli lege E. Tobac, *La Justification dans saint Paul*, p. 189 s., praesertim p. 193 s. ; Prat, *La Théol. de saint Paul*, I, p. 312 s., imprimis p. 320 et p. 321.

sionem praebent ut, penitius quam Synoptici, qui quaestionem de διαθήκη vix movent, novum foedus perscrutetur et pressius definiat relationes, quae inter vetus et novum foedus intercedunt. — S. Paulus igitur foedus in sanguine Christi initum appelat novum, non novo sensu sed eodem sensu, quo quondam prophetae illud antiquum foedus renovandum et restaurandum praenuntiaverant; ad haec vaticinia, in ipso loco disputato, II Cor., III, 6 praeterea (1) et alibi, utputa Rom., XI, 27-28 (2), aperte alludit Apostulus, itaque ipsis suis verbis interpretationem nostram corroborat.

*
* *

In fine hujus articuli secundi sequentem propositionem statuere licet : institutio Eucharistiae *arcte omnino cum foedere antiquo in sanguine sacrificali sancito cohaeret*; *connectitur intimo vinculo pariter cum convivio paschali*, quod in articulo primo hujus sectionis demonstravimus ; momentum hujus conclusionis statim in interpretatione textuum apparebit.

Sectio III.

Interpretatio textuum.

Auctores quidam moderni, uti in fine partis prooemialis diximus, non mera assertione, uti Vasquezius, sed argumentis ex textu sacro congestis, definitionem sacrificii generice sumpti, non esse applicandam Eucharistiae contendunt. Eorum rationes nunc audiamus oportet : Renz enim et Wieland in hoc consentiunt ut quamlibet immolationem actualem Christi in celebratione Eucharistiae a sacra Pagina excludi effutiant; Wieland quinimmo suam opinionem, quae sacrificium novae legis per orationem eucharisticam explanat, in textibus sacris doceri asseverat; Thalhofer tandem sententiam sacrificii coelestis ex epistola ad Hebraeos commendare molitur.

Art. 1. — I Cor., X, 14 s.

Plerique auctores dogmatici hoc testimonium Apostoli in I Cor., X, 14 s., vel penitus omittunt, vel tantum in confirmationem adducunt (3), quando ipsam veritatem sacrificii Eucharistici demonstrant.

(1) *II Cor.*, III, 6 alludit ad *Jer.*, XXXI, 31.
(2) *Rom.*, XI, 27 respicit *Jer.*, XXXI, 33 s. et *Is.*, XXVII, 9.
(3) Exegetae catholici vero pene omnes ex illo textu ad characterem sacrificalem coenae Eucharisticae concludunt; ita etiam Goetz, *o. c.*, p. 185 et Hammond, *Notes on the sacrificial aspect of the holy Eucharist*, p. 23, Oxford, 1913.

Atqui ex hoc textu, quem etiam affert ss. Trid. Concilium, clare enasci videtur celebrationem Eucharistiae quamdam involvere immolationem, infra penitius perpendendam, eamque actualem, ita ut cum ipsa ss. Synodo dicendum sit : « In hoc divino sacrificio idem ille Christus incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit » (1).

§ 1. — *Probatur immolatio actualis in celebratione Eucharistiae ex I Cor., X, 14 s.*

Respondet s. Paulus in I Cor., X, ad quaestionem quam circa esum idolothytorum proposuerant Corinthii, et statim ab initio dilucide suam thesim proponit (v. 14-15) : « Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura (φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας): Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate quod dico ».

Argumentatio proprie dicta, quam in sequentibus vv. evolvere coepit Apostolus, non aequa claritate semper apparet, ob formam rabbinicam ejus ratiocinii (2) ; non enim procedit forma syllogistica nobis assueta, sed ab hac interrogatione exorditur (v. 16) : « Calix benedictionis (τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας) (3), cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est (οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος) ? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est (οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος) ? » (4)

Multum disputatur (5) quemadmodum intelligenda sit illa κοινωνία, quae postea per verbum μετέχειν exprimitur. Ex etymo autem κοινωνία (κοινός, communis) dicitur actio communicandi, dum μετέχειν (μετά = cum ; ἔχειν = habere) magis proprie participationem

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 2 (*Enchiridion*, n. 940).

(2) Cf. Prat, *o. c.*, I, p. 32.

(3) Hunc « calicem benedictionis » a tertio calice ritus paschalis ita vocatum esse volunt quidam exegetae, uti recenter adhuc Toussaint, *Les Épîtres de s. Paul*, I, p. 351, Paris, 1910; de hac quaestione cf. E. Mangenot, *Évang. Syn.*, in append. II, p. 447 et *L'Eucharistie dans saint Paul*, apud period. RPA., XIII, p. 37 s., 1911.

(4) Ex hoc quod s. Paulus prius de calice et deinde de pane agit, nullatenus sequitur Corinthios, in celebranda Eucharistia, primo calicem, secundo panem benedixisse, nam in I Cor., XI, 23 s., ordinem consuetum tradit Apostolus ; hanc inversionem varie explicuere exegetae ; cf. Ph. Bachmann, *Der erste Brief des Paulus an die Korinther*, in Zahn's *Kommentar zum NT.*, VII, p. 338, Leipzig, 1910² ; Toussaint, *o. c.*, I, p. 348, n. 2 ; Mangenot, *art. cit.*, apud RPA., XIII, p. 39 ; Ruch, *art. cit.*, apud *Dict. de Théol. Cath.*, V, 1045.

(5) Cf. Toussaint, *o. c.*, I, p. 350 ; Mangenot, *art. cit.*, p. 41.

indicat ; utrumque verbum nihilominus indifferenter in hac quaestione adhiberi potest (1).

Sed jam argumentum abrumpit s. Paulus per ideam ipsi gratam (v. 17) : « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus (μετέχομεν) », et quamvis interrogatio fuerit de manducandis idolothytis, deinde exemplum ex cultu judaico desumptum adhuc subinserit (v. 18) : « Videte Israel secundum carnem : nonne qui edunt hostias (οἱ ἐσθίοντες τὰς θυσίας), participes sunt altaris (κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσίν) ? »

Ex his verbis, quae quibusdam exegetis praeter rem afferri videntur (2), Apostolus reipsa principium suae solutionis depromit : etenim, juxta ritum judaicum, comestio victimae reservabatur vel ipsi sacerdoti offerenti, vel etiam, uti in pacificis, materiam sacrificii praestanti, itaque convivium sacrificale participare nemini fas erat, nisi sacerdoti, qui sacrificium legitime obtulerat, aut etiam illi, cujus nomine sacrificium perfectum fuerat. Qui edebant hostias adeo participes erant altaris seu sacrificii, ipsius nimirum actionis sacrificalis, qua cultus supremus Jahve exhibebatur (3).

Obvia videtur applicatio hujus principii, quam s. Paulus expressis verbis non subjungit, sed quae ita enuntiari potest : Qui edunt immolatum idolis, ipsum sacrificium paganum participant.

*
* *

Jamautem, cum tali regula, vita communis primis christianis prorsus impossibilis vel primo aspectu apparet, quum vivere cogerentur medii inter paganos, quibus ad omne convivium libationem sacram adjicere consuetum erat ; victimae praeterea, prius in sacrificium oblatae, in macello cum vaenirent, nec carnes ex illo emere christianis licere poterat. Hac de causa statim alterum principium addit Apostolus (v. 19a) : « Quid ergo ? dico quod idolis immolatum sit aliquid ? aut quod idolum sit aliquid ? » — Responsum denuo non exprimitur, at facile conjicitur : Idolum cum nihil sit, jam immolatio

(1) Cf. ROBERTSON-PLUMMER, *A critical and exegetical commentary on the first epistle of s. Paul to the Corinthians (International critical commentary)*, p. 212, Edinburgh, 1911.

(2) Ita SCHMIEDEL, *Der erste Brief Pauli an die Korinther*, in HOLTZMANN'S *Handkommentar zum NT.*, II, 1, p. 151, Freiburg. 1893[2] ; cf. etiam J. WEISS, *Der erste Korintherbrief*, in MEYER'S *Kommentar*, V, p, 259, Göttingen, 1910[9] et GOGUEL, *o. c.*, p. 171.

(3) Omittimus explicationes varias, quas ad hanc formulam « κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου », satis obviam tamen, explanandam proposuere BACHMANN, *o.c.*, p. 340, et J. WEISS, *o. c.*, p. 260; cf. MANGENOT, *art. cit.*, in RPA., XIII, p. 204.

victimarum, quae in honorem fit idolorum, nihil omnino refert, et inde solutio practica primi et alterius casus a Corinthiis propositi (v. 25) : « Omne, quod in macello vaenit, manducate, nihil interrogantes propter conscientam. Domini est terra et plenitudo ejus » ; quinimmo (v. 27) « si quis vocat vos infidelium, et vultis ire : omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam », nihil solliciti utrum necne cibi, qui vobis in convivium apponuntur, prius in sacrificium oblati fuerint.

Sed hoc secundum principium illi priori ex integro obstare videtur : manducantes enim immolatum idolis, cum sciant nihil esse idolum, nullatenus altari aut sacrificio participant, unde ait Apostolus (v. 23a) : « Omnia mihi licent », sed subdit illico : « non omnia expediunt ». Etenim, quia pagani existimant idolum esse aliquid, cum tamen nihil sit, reapse (v. 20a) « quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo », itaque per suas immolationes socii efficiuntur daemoniorum, quibus cultum indebitum persolvunt.

Si quis ergo dixerit, qui non inter prudentes (φρονίμοι) connumerari possit (vv. 28-29a) : « Hoc immolatum est idolis (τοῦτο ἱερόθυτόν ἐστιν) », quia adhuc nescit idolum nihil esse et censet hoc alicui enti sacro immolatum (ἱερόθυτόν), cui immerito honor praestatur, tunc « nolite manducare propter illum, qui indicavit, et propter conscientiam : conscientiam autem dico non tuam, sed alterius », nam (v. 23b) : « omnia mihi licent, sed non omnia aedificant », et (v. 24) : « nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius ».

Cum his verbis s. Paulus solutionem reassumit quam superius (I Cor., VIII, 4 s.), licet magis succincte et omisso ratiocinio jam similem proposuerat (1) : « De escis autem, quae idolis immolantur,

(1) Similem dicimus casum, quoniam in I Cor., VIII, 1, s. agitur de manducatione idolothytorum in ipso εἰδωλίῳ, seu in ipso loco, quo idolum erigitur. Haec manducatio fratri scientia pollenti per se non officit, quoniam novit idolum nihil esse ; at vero talis actus semper scandalum provocare ex sese natus est, adeoque semper vitandus erit. — In I Cor., X, 14 s. quaestio ponitur de comestione idolothytorum, quae in macello vaeniunt aut in convivio quodam privato praesentantur. — In I Cor., X, 14-21, s. Paulus idem principium enuntiat ac in I Cor., VIII, 4 s., sed simul probationem subnectit ; in I Cor., X, 23 s. applicationem practicam addit pro idolothytis in macello venumdatis et in convivio appositis. Non assentimus itaque interpretationi saepe propositae (ita nuper a Lemonnyer, *Epîtres de s. Paul*, I, p. 140 s., Paris, 1905³ et Toussaint, *o. c.*, I, p. 348 s.), juxta quam vv. 14-21 respicerent manducationem in domibus privatis ; in hac enim hypothesi admittendum foret s. Paulum bis eamdem quaestionem de manducatione idolothytorum in templo, pertractasse, prima vice scil. in I Cor., VIII, 1 s. et secunda vice in I Cor., X, 14-21 ; haec

scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in coelo, sive in terra... : nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum : et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum (ὡς εἰδωλόθυτον) manducant : et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus : neque si non manducaverimus, deficiemus. Videte autem ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem : nonne conscientia ejus, cum sit infirma, aedificabitur ad manducandum idolothyta ? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est ? Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum : non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem ».

Aperte igitur constat idolothytum tunc tantummodo officere, quando manducatur qua immolatum idolis (ὡς εἰδωλόθυτον), quando scilicet infirmus frater, qui scientia caret, opinatur idolum esse aliquid sacrum, cui immerito honor praestatur et nihilominus ex hoc exemplo fratris scientia pollentis, ad manducandum idolothytum inducitur. Ita statim intelligitur conclusio, quam Apostolus, in cap. X, 20a-21, ante conclusiones practicas, praemittit : « Nolo autem vos socios fieri daemoniorum : non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum : non potestis mensae Domini participes esse (τραπέζης κυρίου μετέχειν), et mensae daemoniorum (καὶ τραπέζης δαιμονίων) ».

* * *

Mensa Domini et mensa daemoniorum, ex sensu suo technico, quoties in Scriptura sacra occurrunt, altare Domini et altare daemoniorum designant (1), adeoque parallelismum admittamus oportet

interpretatio partim saltem ex erronee intellecta voce τράπεζα procedit. — Cum nostra explicatione simul corruunt objectiones, quas movet J. Weiss, ad *h. l.*, ut I Cor., VIII, 1-13 et I Cor., X, 14-21 ad epistolam praecanonicam referat, quoniam alia est, inquit, solutio in his locis, et alia in vv. 23 s. prolata. — Nulla est difficultas contra thesim a s. Paulo propugnatam ex *Decreto Hierosolymitano* (*Act.*, XV, 23-29), uti varii ostendunt critici ; cf. notatim Prat, *o. c.*, I, p. 161 s.

(1) Ita *Mal.*, I, 7, 12 ; in v. 11, uti notum, prostat vaticinium sacrificii novae legis ; cf. etiam *Ezech.*, XLI, 22 ; XLIV, 16 ; *Is.*, LXV, 11. Elenchon locorum, in quibus occurrit vox τράπεζα, videre est apud Hatch-Redpath,

inter utrumque membrum in v. 18a et utrumque membrum in v. 21, non autem inter ambo membra v. 21 ad invicem, ita ut v. 21a de calice bibendo et v. 21b de corpore manducando ageret (1). Mensa Domini audit altare ; attamen fatemur textum non ita urgendum esse ut manducatio victimarum penitus a conclusione dimoveatur : ex hoc enim quod altare, per figuram, dicitur « mensa » Domini et daemoniorum, simul indirecte exprimitur manducationem idolothytorum, in quibusdam adjunctis, in applicatione subnexa determinandis, omnino prohiberi, tunc nimirum quando haec comestio communicationem in ipso cultu pagano involvere videtur (2).

o. c., VI, p. 1369 ; 16ies reperitur τράπεζα apud *Ex.*; semel apud *Lev.* et *Num.*, et semper de mensa panum propositionis, uti ex contextu liquet ; apud ceteros VT. libros, hinc inde dicitur de eadem mensa, et saepius de mensa ordinaria, praesertim regis. Praeter locos superius indicatos nullibi de τρ. κυρίου agitur. Eodem sensu, nempe de altari, praedicatur vox τράπεζα, mensa, in litteratura profana, uti infra, in confutanda elucubratione a Wieland excogitata, notabimus ; τρ. κυρίου de altari audit etiam H. LECLERCQ, art. *Autel*, apud *Dict. d'Archéologie chrétienne et de Liturgie*, I, 3156, Paris, 1916 ; secum assentientes ibidem adducit plures auctores, sed, uti Mangenot, de quo in nota 2 in hac p., indirecte solummodo designari altare autumat.

(1) Ita non pauci exegetae, quorum quosdam recensere satis erit : BACHMANN, *o. c.*, p. 342 ; TOUSSAINT, *o. c.*, I, p 349 ; MANGENOT, *art. cit.*, in RPA., XIII, p. 205 ; RUCH, *art. cit.*, in *Dict. de Théol. Cath.*, V, 1950.

(2) E. MANGENOT, art. *Autel*, apud *Dict. de Théol. Cath.*, I 2576, putat τράπεζαν directe indicare convivium, et indirecte altare ; cf. etiam DORSCH, *Opferch.*, p. 53. — Ita censet Mangenot, quoniam per ratiocinium solummodo, ex oppositione scilicet mensae Domini ad mensam daemoniorum, ad significationem vocis τράπεζα pervenit ; verum, uti diximus, sensu suo technico τράπεζα κυρίου est altare, adeoque autumamus τράπεζαν directe supponere pro altari, quin tamen idea manducationis excludatur, quae certo indirecte innuitur. Haec nostra interpretatio melius quadrat cum contextu, nempe cum v. 18 b, cui opponitur v. 21 b. — Non admittimus igitur comparationem cum formulis quibusdam invitatoriis, quas in papyris deprehendere, et legere est apud GRENFELL et HUNT, *The Oxyrhynchus Papyri*, I, p. 177, n° 110 ; III, p. 260, n° 523, London, 1898-1904. Has formulas in explicationem ad I Cor., X, 21 adducunt TOUSSAINT, *o. c.*, I, p. 353, n. 1 ; GOGUEL, *o. c.*, p. 147 ; PRAT, *o. c.*, I, p. 161, n. 1 ; ROBERTSON-PLUMMER, *o. c.*, p. 217 ; RUCH, *art. cit.*, in *Dict. de Théol. Cath.*, V, 1048 ; G. PETERSON-WETTER, *Die Auffassung des Ap. Paulus vom Abendmahl*, in ZNWKU., XIV, p. 203, 1913 ; cf. adhuc ZORELL, *NT. Lexicon graecum* (*Cursus Script. Sacrae, auct.* R. CORNELY, I. KNABENBAUER et F. DE HUMMELAUER), p. 572, Parisiis, 1911. — Agitur enim in his papyris de invitatione ad prandendum εἰς κλείνην, dum apud s. Paulum scribitur τρ. κυρίου et τρ. τῶν δαιμονίων ; haec autem mensa, non est mensa proprie dicta, sed potius altare. — DEISSMANN, *o. c.*, p. 264, qui eamdem analogiam adnotat cum κλίνη Σαράπιδος, advertit insuper expressionem τρ. κυρίου aequo titulo ex VT. ac ex comparatione cum religione pagana explicari posse ; huic assentit C. CLEMEN, *Religionsgeschichtliche Erklärung des NT.*, p. 201,

Contra hanc interpretationem objicere nefas est, quum de corpore et sanguine Christi jam in v. 16 quaestio moveatur, utrumque membrum pariter in conclusione detegendum, nam s. Paulus, in v. 17, unice panem sanctum attendit; in v. 18a, manducationem victimarum in cultu judaico solummodo commemorat, et imo, in v. 21, subito calicem inducit daemoniorum, de quo hucusque nulla fuit disputatio, quia haec tota quanta circa comestionem idolothytorum versabatur.

Qui edunt hostias, participes sunt altaris; qui calicem daemoniorum potant, mensae daemoniorum participant; qui calicem Domini bibunt, mensae Domini communicant. Quamquam igitur interrogatio de sola liceitate manducationis idolothytorum fuerit, integrum nihilominus ratiocinium Apostoli ex principio immolationis procedit (1): quoniam idolum nihil est, immolatio nihil refert; at vero quum gentes idola colentes reapse in honorem immolent daemoniorum, ideo comestio idolothytorum, ex se licita christianis, qui scientia gaudent, in quibusdam tamen adjunctis vitanda erit, ne scandalizentur infirmi inter fratres; hi nimirum, utpote minus prudentes, talem manducationem uti participationem sacrificalem et cultum daemoniacum interpretari possent.

Jure meritoque statuimus igitur, attenta pressa oppositione altaris sive mensae Domini ad altare judaicum et mensam daemoniorum, immolationem aliquam in celebratione Eucharistiae admittendam esse; traditio primitiva ceteroquin mensam intellexit altare, uti ex doctrina hujus traditionis postea luculenter apparebit (2);

n. 1, Giessen, 1909. — Hac de causa omittimus explicationes quorumdam exegetarum, qui hanc participationem « mensae » declarare conantur ex similitudinibus cum manducatione cibi sanctificati apud paganos: cf. W. Bousset, *Der erste Brief an die Kor.*, in *Schriften des NT., hrsg. von* J. Weiss, II, p. 120, Göttingen, 1907²; D. Stone, *o. c.*, I, p. 2; Goguel, *o. c.*, p. 172 s. et p. 305 s.; Lietzmann, *An die Kor. I*, in *Handbuch zum NT.*, III, 1, p. 124 s., Tübingen, 1910; H. J. Holtzmann, *Lehrbuch der NT. Theologie, hrsg. von* A. Juelicher et W. Bauer, II, p. 207, Tübingen, 1911²; Heitmueller, *Taufe und Abendmahl*, p. 69 s. Has elucubrationes, connexas cum modernorum tendentia, quae semper ad innovationem provocat Apostoli coenam Eucharisticam ad normam religionum paganarum adaptantis, confutatas videsis apud Mangenot, *art. cit.*, in RPA., XIII, p, 206 s,; praesertim p. 209 s.

(1) Cf. etiam Goetz, *o. c.*, p. 185; Hammond, *o. c.*, p. 22 s.

(2) Ita Origines, Eusebius, s. Athanasius, s. Gregorius naz., s. Gregorius nyss. et s. J. Chrysostomus in Ecclesia graeca; infra, in exponenda doctrina traditionis, singulos locos accurate indigitabimus; cf. etiam s. Aug., *Tract. XXVI in Jo., VI, 15* (PL., XXXV, 1614). Scite advertit Hammond, o. c., 24, n. 11: « It is worth remembering that in the Greek Church, whose ritual is far more dramatic and realistic in regard to the sacrificial aspect than that of the West, « Holy Table », ἡ ἁγία τράπεζα, is the regular name for the altar in the rubrics »; cf. alioquin infra ubi ex professo de Traditione dicemus.

hanc doctrinam pulchre contraxit ss. Concilium Tridentinum (1), quando « per mensam altare utrobique » intelligendum voluit et Christum incruente in Eucharistia immolari affirmavit.

Verum, non pauci exegetae antiqui, quibuscum recentes quidam critici adhuc concinunt (2), quamquam immolationem esse principium totius solutionis a s. Paulo propositae haud infitiantur, hoc altare nihilominus putant esse ipsam aram crucis, et immolationem inde, de qua in praesenti controversia lis movetur, unice ad cruentam crucis mactationem referunt, ita ut ex I Cor., X, 14 s. nihil ad essentiam sacrificii Eucharistici definiendam assumi queat. Talis interpretatio vero nullo pacto cum textu consentit : Apostolus hîc elementa Eucharistica aperte respicit, et revera in connexione tam arcta ad mensam Domini, oppositam mensae daemoniorum, ut illa mensa solum altare Eucharisticum designare possit (3).

§ 2. — *Refutantur objectiones quae interpretationi nostrae opponuntur.*

Non omnibus auctoribus arridet haec explicatio, licet obvia, et recenter adhuc Renz immolationem Eucharisticam, praesertim actualem, nullibi doceri in Scriptura sacra demonstrare molitus est ; hujus argumenta nunc audiamus oportet.

Asserit cl. theologus Apostolum, quia nullam actualem Christi immolationem in Eucharistia agnoscit, ea praesertim de causa eligere vocem « mensam » Domini, dum e contra loquitur de altari, quando de cultu judaico agit, et pariter commemorat immolationem, quando de religione pagana tractat. Haec animadversio porro est mera affirmatio et alioquin minus recta, quum s. Paulus etiam de mensa dicat daemoniorum et hanc praecipue mensae Domini opponat.

Post istam assertionem, transit Renz ad demonstrationem suae opinionis, et primum affert textum Apostoli, quem supra recitavimus, in quo « κοινωνοὺς τοῦ θυσιαστηρίου » vertit « membra altaris », et « κοινωνοὺς τῶν δαιμονίων » audit « membra daemoniorum » ; conclusionem autem totius ratiocinii, in v. 21, hoc modo transcribit :

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae,* cap. 2 (*Enchiridion*, n. 940).

(2) Ita A. Robertson, art. *I Corinthians,* in *Dict. of the Bible*, I, 489 ; Mangenot, *art. cit.*, apud RPA., XIII, p. 42 ; Ruch, *art. cit.*, apud *Dict de Théol. Cath.*, V, 1047 ; Batiffol, *Euch.*, p. 97 ; cf. etiam W. Koch, *Das Abendmahl im NT.* (*Bibl. Zeitfragen*, IV, 10), p. 23, Münster in W., 1911.

(3) Cf. Bellarminum, *De Missa*, I, cap. 12.

non potestis manducare de mensa Domini, simul ac de mensa daemoniorum. Argumentum Apostoli his verbis deinde resumit : membrum daemoniorum fit ille homo, qui cibum ipsorum gustat ; christianus est membrum Christi, quoniam edit corpus Christi ejusque sanguinem potat ; israelita tandem eo, quod hostias manducat, membrum altaris efficitur : non potest igitur christianus cibum sumere Christi et cibum daemoniorum, quia simul membrum Christi et membrum daemoniorum esse nequit.

Hac interpretatione cl. doctor revera in textum Apostoli suam sententiam inserit, nam primo, κοινωνία, uti diximus, participationem sive communicationem denotat, et κοινωνός minus adaequate per « membrum » exprimitur ; advertatur secundo, etiam si membrum Christi, id est, membrum corporis mystici, sat bene adhuc intelligitur, s. Paulum potius loqui de κοινωνία corporis et sanguinis Domini ; addatur tertio, non percipi quid sit membrum daemoniorum et praesertim quid sit membrum altaris, de quo loquitur cl. criticus ; haec autem nunc transmittimus ut elucubrationem subnexam legamus, et exemplum habeamus argumentationis a Renz adhibitae, itaque ejus rationes leviori gressu deinceps transire possimus.

Ex hoc testimonio s. Pauli clarum est, inquit, totum ratiocinium Apostoli ex significatione desumi convivii christianorum, judaeorum ac gentilium, quo respective christiani, judaei ac gentiles membra efficiuntur Christi, altaris et daemoniorum, adeoque, addit, altare tanquam symbolizationem audiamus oportet Entis Supremi, cui vita spontanee devovetur ; altare imo est ipsa Divinitas, imago Divinitatis, imago daemonii, cui vita, et in quantum ipsi vita donatur (1). Per hanc donationem homines cum Divinitate vivere intendunt, ipsius mensae assidere cupiunt, ipsi Enti Supremo, uti capiti, se tanquam membra unire volunt. Nunc autem dicit Apostolus : judaei offerunt altari suo, et gentes immolant idolis suis, ideoque respective de altari et de idolis comedunt ; christiani vero a Christo sibi cibum sumunt et mensam dominicam participant. Apostolus igitur non loquitur de altari et de sacrificio christianorum, et ratio obvia est quia christiani nihil habent quod Deo suo immolent ; hi nimirum tanquam cibum et potum, tanquam mensam divinam, possident ipsam carnem et ipsum sanguinem Domini, qui quondam, in cruenta mactatione crucis, altare fuit ut Deus, et materia sacrificii ut homo, neque denuo immolari potest, quia Christus jam non moritur. Christiani nihil aliud ergo facere possunt quam sacrificium illud cruen-

(1) Renz, *Geschichte*, I, p. 134.

tum annuntiare, dum convivium suum sacrum peragunt et de mensa dominica manducant.

S. Paulus, ait Renz, non arguit ex parallelismo immolationis, sed ex parallelismo coenae : dum judaei et gentes mensae altaris et mensae daemoniorum assident, christiani e contra ad mensam Domini sedent, et quamvis nemo partem habere possit convivii sacrificalis, nisi praecesserit sacrificium et quidem cruentum, quandoquidem agitur de manducandis victimis, nullum novum sacrificium nihilominus immolare christianis necesse est; sacrificium judaeorum atque gentium ideo renovari debet, quia toties comeditur, quoties immolatur, sed Christus manducari potest absque nova immolatione, postquam cruente semel in die passionis immolatus fuit.

Christiani habent mensam Domini; judaei vero et gentes simul altare et mensam possident. Altare sane non idem dicit quam mensam, sed mensa supponit altare, sicut manducatio praesupponit immolationem ; attamen altare et mensa possunt, imo debent, in tantum identificari in quantum ambo Divinitatem symbolizant : Divinitas enim, cui homo vitam suam in mortem per sacrificium devovet, fit cibus hominis, itaque homo mensae divinae assidet et vita divina fruitur ; Divinitas effecta est mensa ipsius hominis, quoniam homo Divinitatem effecit altare suum. Filius Dei, qui pariter Deus est, altare erat quando in cruce moriebatur ; abhinc autem mensa est in quantum per cibum Eucharisticum hominibus vitam divinam impertitur (1).

Totum ratiocinium auctoris, fere ad litteram transcribere voluimus; si illud nunc involucro inutili spoliamus, et ea tantum servamus, quae ad textum et ad rem pertinent, videbimus statim totam argumentationem a cl. Renz conflatam ex his paucis considerationibus explicari :

Mensa dicitur objectum in quo manducatur ; « κοινωνία τοῦ

(1) Renz, *Geschichte*, I, p. 135 : « Der Christ hat den « Tisch des Herrn », der Jude und Heide Altar und Tisch. Altar ist begrifflich nicht identisch mit Tisch, sondern dessen Voraussetzung, wie Schlachten die Voraussetzung des Essens ist. Jedoch können und müssen Altar und Tisch insofern als identisch gefasst werden, als sie die Versinnbildlichung eines andern Wesens sind. Sie versinnbilden nämlich beide die Gottheit. Die Gottheit, welcher der Mensch sein Leben in den Tod durch den Opferakt übergibt, ist infolgedessen seine Lebensnahrung, infolge des Opfers sitzt der Mensch am Tische Gottes, geniesst göttliches Leben; die Gottheit ist sein Tisch geworden, weil der Mensch die Gottheit zum Altar gemacht hatte. Der Menschensohn Christus, der zugleich Gott ist, war Altar, die das menschliche Leben empfangende Gottheit, damals als er am Kreuze seinen Geist übergab, und ist seitdem Tisch, die göttliche Leben an die Menschen austeilende Gottheit ».

σώματος τοῦ Χριστοῦ », igitur significat de mensa Domini, seu de ipso Christo manducare; « κοινωνία τοῦ θυσιαστηρίου » audit de altari, seu de mensa altaris comedere; « κοινωνία τῶν δαιμονίων » idem dicit ac de mensa daemoniorum, seu de idolis manducare, et cum hac explicatione textum ss. Concilii Tridentini interpretari oportet.

Aperte dicit ss. Synodus τράπεζαν supponere pro altari, in quo Christus immolatur; hanc autem assertionem hoc modo intelligere debemus: mensa Domini, id est, corpus et sanguis Domini, in tantum est altare, in quantum signa, sub quibus praesentia sunt corpus et sanguis Christi, immolationem et oblationem Domini cruentam repraesentant, seu in quantum sacerdotes, per praeparationem et sumptionem cibi Eucharistici, sacrificium cruentum denuo praesens sistunt. Dominus igitur, inquit Renz, est ipsa mensa modo intimo et personali; est autem altare modo externo et per repraesentationem. Apostolus in I Cor., X, 14 s., quia demonstrare cupit illiceitatem manducationis idolothytorum, unice characterem hunc intimum, seu sumptionem Christi attendit; in I Cor., XI, 23 s., magis ad repraesentationem sacrificii crucis alludit, itaque in priori loco praesertim ex manducatione, sive ex mensa arguit, et immolationem aliquam novam, impossibilem ceterum, nullatenus astruere intendit.

Sat facili negotio argumentum retorquere licet: cum ipse cl. theologus concedat convivium sacrificale supponere immolationem, et aliunde corpus et sanguinem Christi profecto non sumamus prout cruento modo immolata fuerunt, statim patescit immolationem aliquam incruentam admittendam esse; haec est genuina doctrina Concilii Tridentini, quam pervertit auctor ut definitionem Ecclesiae cum elucubratione sua conciliare possit.

Attamen totam ejus disquisitionem penitius convellere fas est: mensa Domini est altare, et non est ipse Dominus aut etiam elementa Eucharistica, uti Renz inepte asseverat. Haec est enim significatio technica hujus vocis in Scriptura sacra, quae significatio insuper vel ex sola interpretatione loci disputati, I Cor., X, 14 s., indubie procedit; haec est etiam doctrina Traditionis, quae mensam Domini altare intellexit; haec est tandem explicatio authentica Concilii Tridentini, quod mensam Domini, oppositam mensae daemoniorum, altare denuntiavit.

*
* *

Nunc gressum facimus ad objectiones, quas ex eodem textu movet Wieland, qui non modo actualem oblationem Christi in I Cor.,

X, 14 s. non doceri affirmat, sed imo hanc immolationem ex eodem textu indirecte excludi autumat (1).

Primam partem hujus sententiae per affirmationem potius adstruit : de immolatione, ait, vel de oblatione Christi in Eucharistia, nulla movetur quaestio in hac pericope; quinimmo in hac sectione nequidem ad cruentam crucis mactationem alluditur ; tota monitio Apostoli κοινωνίαν spectat, quae per manducationem idolothytorum obtineri posset. « Fugite ab idolorum cultura » igitur idem sonat ac : « vitate manducationem religiose consciam », nam Paulus solam communicationem cum Deo et nullatenus oblationem sacrificii attendit.

Argumentum quod initio hujus articuli evolvimus huic assertioni satis respondet, siquidem ratiocinium nostrum analysi hujus conscientiae religiosae praecipue innititur : religiose conscii immolatum idolis comederent christiani, si censerent idolum esse aliquid, quoniam ita cultum praestarent idolis sive daemoniis, dum immolationi consentirent, et manducarent immolatum « ὡς εἰδωλόθυτον », sive « ὡς ἱερόθυτον » ; at vero prudentes, quum perfecte noverint idolum nihil esse, nunquam immolationi participant, adeoque omnia immolata edere possunt ; attamen non omne, quod licitum est, expedit aut aedificat : sunt enim quidam inter christianos, qui tali scientia carent, et idolum esse aliquid adhuc cogitant ; ii porro, quando vident fratrem immolata comedentem, quoniam ignorantia detinentur, hunc actum uti participationem cultus pagani interpretari possent ; quare ne eis scandalum inferatur, abstinendum erit a manducatione idolothytorum in quibusdam adjunctis, quae sollicite ab Apostolo in solutione practica indigitantur.

Ad secundam partem theseos itaque transimus, ubi Wieland ex textu disputato, 1 Cor., X, 14 s., sacrificium et altare christianum indirecte excludi comprobare satagit.

Cur, inquit primo, oportet s. Paulum ad exemplum Judaeorum, seu ad cultum populi Israel secundum carnem, recurrere, si et ipsi christiani altare habeant, de quo edere licet ? Cur facit Apostolus mentionem altaris judaici, dum magis obvia esset analogia cum ritu christiano, si in hoc ritu altare aliquod reperire fas sit, eo vel magis quod de convivio sacrificali christianorum modo locutus fuerat. Addit ceterum Paulus, in vv. sequentibus, gentiles nequidem Deo immolare, quod saltem faciunt Judaei, ideoque illorum sacrificia nihil esse pronuntiat ; at vero Apostolus indirecte adeo excludit quamlibet

(1) WIELAND, *Opferbegriff*, p. 10 s. ; *Mensa et Confessio*, p. 24 et p. 38 ; cf. etiam J. RÉVILLE, *Les Origines de l'Euch.*, p. 83 ; O. SCHMITZ, *o. c.*, p. 219 et auctorem antiquiorem CHEMNITIUM, *Examen Conc. Trid.*, II. — *De Missa*, p. 149 s., Genevae, 1614 ; contra Chemnitium scripsit BELLARMINUS, *De Missa*, I, cap. 14.

oblationem Eucharisticam, parallelam cum oblatione ethnica, et haud obscure innuit in quonam sit sacrificium christianorum, quando hoc in v. 16, in benedictione calicis, et non in oblatione ipsius, reponit.

Secundum argumentum, quod accedit ad elucubrationem a Renz expositam, huc redit : Altare judaicum per metonymiam Deum designat, itaque quando Paulus conclusionem suam, in v.21, statuit, altare ethnicum prorsus jam omittit, ut calicem Domini calici daemoniorum, et mensam, id est, cibum Domini, mensae et cibo daemoniorum opponat. Praeterea, etiam si haec « mensa » esset vera mensa, nondum esset altare ; quinimmo si admittendum foret τράπεζαν δαιμονίων supponere pro altari ethnico, quum aliunde constet altare gentium nunquam formam externam alicujus mensae prae se tulisse, admittendum ad summum foret altare ethnicum tanquam mensam designatum fuisse, ex analogia ad mensam Domini, quae nullo pacto altare proprie dictum erat.

Facili negotio convelluntur istae considerationes, quae ex erronea notione τραπέζης procedunt.

Quoad priorem rationem, advertatur primo, exemplum ex cultu judaico desumptum, nedum excludat altare christianum, multo magis favere interpretationi nostrae, quandoquidem v. 18b ad v. 21b parallelus deprehenditur ; ita porro confirmatur significatio vocis « mensa », quam supponere pro altari aliunde comprobavimus. Secundo, s. Paulus non dicit sacrificia gentilium nihil esse, sed ea nihil referre contendit, quia idolum reipsa nihil est, neque ulla ratione eadem cum oblationibus Judaeorum confert ; itaque etiam indirecte non excludit oblationem Eucharisticam, parallelam cum oblatione ethnica. Tertio, quod benedictionem calicis spectat, ubinam dicit Apostolus hac benedictione, quaecumque demum sit (1), absolvi essentiam sacrificii, quod ad benedictionem calicis, et fractionem panis offertur ?

Ad secundam considerationem retundendam, sufficit sensum genuinum vocis τραπέζης revocare et, ne cogamur disputationem archaeologicam suscipere, advertimus etiam litteraturam profanam novisse mensas sacras, quae erant altaria proprie dicta (2) ; at vero

(1) Cf. Schermann, *Das « Brotbrechen » im Urchristentum,* apud period. *Bibl. Zeitschrift*, VIII, p. 52, 1910 et Mangenot, *art. cit.* apud RPA., XIII, p. 38 s.

(2) Cf. Marquardt, *o. c.*, III, p. 165, n. 5 et p. 169, ubi notat et textibus classicis comprobat, in cultu privato mensam fieri altare per impositionem vasiculi cum sale et patellae ; advertatur Apostolum in hac sectione, I Cor., X, praeprimis respicere casum practicum, quo quis apud gentiles invitatos idolothyta manducare cogitur ; agebatur igitur de oblatis in cultu domestico, nam I Cor., VIII, de idolothytis in ipso εἰδωλίῳ comedendis dixerat.

post haec de forma externa altaris sive mensae disserere parum juvat.

* * *

Concludimus igitur merito hunc articulum : *ex I Cor., X, 14 s. constat celebrationem Eucharistiae involvere aliquam immolationem*, quoniam participatio convivii sacrificalis manifeste supponit immolationem et oblationem praecessisse (1) ; jamautem *haec immolatio, non est eadem cum mactatione crucis*, nam christiani corpus Domini non manducant, prout in passione cruente dilaniatum fuit, neque sanguinem ipsius potant, prout in cruce effusus erat, sed de pane et de calice participant, adeoque communicatione corporis et sanguinis Domini fruuntur, postquam Christus vere, ratione inferius, in parte tertia, penitius definienda, in celebratione Eucharistiae, immolatus fuerit.

Art. 2. — I Cor., XI, 23 s. et loci paralleli apud Synopticos.

In articulo secundo examinabimus alterum locum ejusdem epistolae paulinae, I Cor., XI, 23 s., parallelum cum narratione Synopticorum (Mt., XXVI, 26 s. ; Mc., XIV, 22 s., ; Lc., XXII, 15 s.) ut ibidem descriptionem ritus Eucharistici legamus. Ex his autem textibus simul consideratis (2) pro indubitato habendum est celebrationem Eucharistiae esse sacrificium per immolationem actualem ; quinimmo ex iisdem testimoniis modus nobis innotescit, quo haec oblatio nova peragitur, et patenter elucet huic sacrificio novae legis, praeter immolationem actualem, adhuc competere elementum ipsi peculiare, quo cruentae crucis mactationis commemorativum apparet. Haec relatio porro non est mere extrinseca, ut esset puta commemoratio verbalis, sed in ipso modo offerendi intrinsece haeret. Sacrificium igitur Eucharisticum primo est sacrificium verum, et ad normam sacrificii VT. immolationem actualem involvit ; secundo, simul est intrinsece

(1) Cf. Prat, o. c., II, p. 385, Paris, 1912 : « Si les raisonnements de l'Apôtre ne sont pas des paralogismes, la communion eucharistique est pour les chrétiens ce qu'est la manducation des idolothytes pour les Gentils et le repas sacré pour les Juifs. Or le banquet sacré a une signification religieuse ; il constitue un acte du culte en tant qu'il est le complément du sacrifice ».

(2) Quandoquidem manifeste eamdem doctrinam tradunt evangelistae simul cum Apostolo, ex omnibus textibus simul arguere licet, et unum testimonium vel imo alterum illustrat ; quaestionem vero quaenam ex variis lectionibus propius ad verba ab ipso Domino prolata, accedat, praetermittimus eamque tractatam videre est apud Berning, o. c., p. 130 s. et p. 155 s.

relativum ad oblationem cruentam. Quomodo sit verum sacrificium, seu in quanam sit immolatio actualis, et quomodo sit intrinsece relativum, seu quanam ratione ad oblationem cruentam connectatur, in disquisitione dogmatica determinandum veniet; haec determinatio doctrinae Traditionis et interpretationi authenticae Ecclesiae innitatur necesse est; ex Scriptura sacra demonstrare sufficit sacrificium Eucharisticum esse verum sacrificium, qua qualitate ad sacrificia vetera accedit, ac simul intrinsece relativum, qua relatione, ipsi propria, ab omnibus sacrificiis antiquis discriminatur.

§ 1. — *Celebratio Eucharistiae ad normam sacrificii VT. immolationem actualem involvit.*

Comprobavimus ex professo intimam connexionem celebrationis Eucharistiae cum ritu paschali, quam expressis verbis affirmat s. Lucas, XXII, 15 et quam haud obscure innuunt ceteri evangelistae (1); demonstravimus pariter pressam oppositionem foederis novi, quod in Eucharistia sancitur, ad antiquum *berît*^h^, quondam in sacrificio cruento initum (2); his rite perpensis hoc modo arguimus :

A. Probatur thesis.

Primo, ex hoc quod *αἷμα* Christi dicitur « *αἷμά... τῆς διαθήκης* », apud s. Mt., XXVI, 28 et s. Mc., XIV, 24, vel formula aequivalenti apud s. Lc., XXII, 20 : « *τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου* », et adhuc apud s. Paulum, in I Cor., XI, 25 : « *τοῦτο τὸ*

(1) Toussaint, *o. c.*, I, p. 370 s. et Mangenot, *art. cit.*, apud RPA., XIII, p. 258 s., haec verba : « Hoc facite in meam commemorationem », cum mandato in *Ex.*, XII, 14 et XIII, 9 ad celebrationem ritus paschalis proposito comparant, et inde inferunt hanc locutionem ita audiendam : « Toutes les fois que vous célébrerez ce repas sacré, faites-le, non plus en mémoire de l'agneau dont le sang a délivré vos pères, mais en mémoire de moi et du sacrifice que je vais accomplir pour vous » (Toussaint, *l. c.*).

(2) De sensu technico vocis *ἀνάμνησις* in materia sacrificali, cf. D. Stone, *o. c.*, I, p. 10 ; Gore, *The Body of Christ*, p. 318 et Hammond, *o. c.*, p. 15. — Multum disputatur, praesertim ad testimonium ex I Cor., XI, 23 s., utrum necne celebratio Eucharistiae, primis saltem temporibus, cum *Agape* connexa fuerit; de hac controversia cf. Funk, *L'Agape*, apud RHE., IV, p. 5-23, 1903; P. Ladeuze, *Pas d'Agape dans la première aux Corinthiens*, apud RBI., NS., I, p. 78-81, 1904 ; Batiffol, *Etudes d'Histoire et de Théol. positive*, p. 289 s., Paris, 1907[5]; E. Baumgartner, *Euch. und Agape im Urchristentum*, p. 152 s., Solothurn, 1909 ; Goguel, *o. c.*, p. 313 s. ; Leclercq, art. *Agape*, in *Dict. d'Archéol. chrétienne et de Liturgie*, I, 784 s., Paris, 1903 et *Dict. d'Histoire et Géographie chrétiennes*, I, 880, Paris, 1911 ; Mangenot, *art. cit.*, apud RPA., XIII, p. 268 s.

ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι », ad evidentiam constat verum offerri sacrificium in celebratione Eucharistiae ; « sanguis testamentarius » manifeste audit sanguinem sacrificalem (1).

Verum secundo, valde observandum est contentum calicis dici, « sanguinem novi foederis » ; ita explicite apud s. Lc. et s. Paulum. Licet s. Mt. et s. Mc. hoc adjectivum (καινή) verisimilius non addiderint, idem nihilominus attestantur, cum adjungunt vocem μου, quo vocabulo hoc foedus in sanguine Christi ineundum, ad antiquum illud pactum, in sanguine vitulorum sancitum, satis aperte opponunt.

Tertio, dicitur ad benedictionem panis apud s. Paulum, in I Cor., XI, 24 : « τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν », et magis explicite apud s. Lc., XXII, 19 : « τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον » (2) ; deinde in consecratione calicis ad αἷμα apponitur : « τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν » (Mc., XIV, 24), vel « τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον » (Lc., XXII, 20), et magis adhuc determinate apud s. Mt., XXVI, 28 : « τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυννόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ». Jamvero has formulas in ipsa coena paschali prolatas, et praesertim hanc ultimam expressionem apud s. Mt. conservatam, non nisi de sacrificio proprie dicto intelligere poterant Judaei, quibus, uti in prima parte explicavimus, assueta erat notio sacrificii per effusionem sanguinis (3).

(1) Ita exegetae catholici generatim; locutione : « sanguis foederis », indicari sacrificium, annuunt inter protestantes recentiores Goetz, *o. c.*, p. 148 ; Cremer, art. *Abendmahl*, I, in PRE., I, 36, Leipzig, 1896³ ; Goguel, *o. c.*, p. 192 ; Hammond, *o. c.*, p. 18 s.

(2) Lutherus « τὸ ὑπὲρ ὑμῶν (κλώμενον) » conjunxit cum τοῦτο et non cum σῶμα, itaque omnem ideam sacrificii in hac expressione evanescere opinatus est, siquidem id « quod frangitur aut datur », est τοῦτο, scilicet, inquit, ipse panis ; verum in hac hypothesi legendum foret ὑμῖν et non ὑπὲρ ὑμῶν, uti recte advertit Goetz, *o. c.*, p. 156, qui nihilominus, p. 186 s., eamdem connexionem propugnat, eamque genuinam contendit, dummodo participium κλώμενον, in cujus authentiam admittendam inclinatur, audiamus de fractione sacra, qualis in ritu judaico, et in ipsa coena paschali obtinebat. Eadem ratione διδόμενον, et imo ἐκχυννόμενον interpretatur, quae ita vertit : « Segnend opfern, weihen », adeoque nihil obstare putat, quominus haec participia ad τοῦτο conjungantur. Verum, quidquid sit de hac interpretatione, ex regulis grammaticae, participia διδόμενον et ἐκχυννόμενον, cum σῶμα, αἷμα, aut ποτήριον colliganda veniunt ; vide T. Schermann, *art. cit.*, in *Bibl. Zeitschrift*, VIII, p. 48 s.

(3) Ita etiam Hammond, *o. c.*, p. 18 : « The expressions, *a Body given* and *Blood shed* for, or on behalf of, us, convey irresistibly the notion of a sacrifice, and that a propitiatory one » ; utrum necne hoc sacrificium hic et nunc offeratur, statim disputabimus.

Merito proin tota traditio primitiva, et adhuc ipsum ss. Concilium Tridentinum intellexit ita novum Pascha fuisse celebratum, et novum foedus in sanguine Christi fuisse conditum, quare jure concludimus hoc sacrificium Eucharisticum ad normam sacrificii veteris legis esse intelligendum.

* * *

Acerrima autem viget controversia circa participia praesentia διδόμενον (s. Mt.) et ἐκχυννόμενον (s. Mt. ; s. Mc. ; s. Lc.), quae juxta alios, quibuscum facimus, immolationem Eucharisticam, juxta alios vero immolationem cruentam crucis spectant. Ex ipsa grammatica, quaestio facillime solvitur, quia participium praesens ex sese ad tempus praesens refertur, si cum verbo finito in tempore praesenti constructo occurrit (1). Verum, ut conficerent istam regulam in casu non esse applicandam, quidam doctores varia collegerunt exempla, quae nunc singula discutienda veniunt.

Statim a disputatione excludimus testimonia, in quibus verbum ἔρχομαι legimus, quia hoc verbum ex se jam tempus futurum exprimit (2) ; recusamus pariter quosdam locos, in quibus verbum in modo participii non prostat, quandoquidem talia exempla disceptationem de sensu participii manifeste non solvunt (3).

His praenotatis, primum examinanda veniunt verba s. Mt., XXVI, 25 : « ἀποκριθεὶς δὲ Ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν εἶπεν », qua in locutione eo apertius participium praesens pro tempore futuro supponere asseverant, quod in v. 23 de eodem Juda praedicatur : « οὗτος με παραδώσει » ; itaque, aiunt, omnis explicatio, quae participium prae-

(1) Cf. Moulton, *A Grammar of the NT. Greek*, I, p. 126, Edinburgh, 1908³, vel in versione germanica : *Einleitung in die Sprache des NT.*, p. 205, Heidelsberg, 1911 ; cf. etiam A. T. Robertson, *Grammaire du grec du NT.* (trad. E. Montet), p. 252, Paris, 1911 ; Blass-Debrunner, *Grammatik des NT. Griechisch*, p. 196, Göttingen, 1913⁴ ; *l. c.*, in hac ultima grammatica unus affertur casus, in quo participium praesens indicat tempus futurum, sed tunc verbum principale jam exprimit scopum aliquem attingendum, ut puta in *Act.*, XV, 27 : « ἀπεστάλκαμεν ἀπαγγέλλοντας » ; haec igitur non contradicunt regulae modo enuntiatae. *Ibidem*, p. 195, legere est : « Die Participia hatten ursprünglich keine temporale Funktion, sondern bezeichneten durch die « Tempora » nur die Aktionsart ; das zeitliche Verhältnis zum verbum finitum ergab sich aus dem Zusammenhang ». — Ex contextu statim arguemus, ut conficiamus in participiis διδόμενον et ἐκχυννόμενον tempus praesens esse agnoscendum. Confirmatur alioquin regula superius enuntiata ex litteratura profana ; vide Kaigi-Attinger, *Grammaire abrégée de la langue grecque*, p. 130, Paris, 1907.

(2) *Mt.*, XI, 3 ; *Lc.*, VII, 20 ; *I Thess.*, I, 20 ; *Jac.*, V, 1.

(3) *Jo.*, XIII, 27 ; XIV, 3, 12.

sens παραδιδούς, per intentionem actualem et praesentem declarare conatur, statim labilis apparere debet (1).

Replicamus : quid impedit quominus s. Matthaeus, in v. 25, Judam tanquam « proditorem » designet et, in v. 23, actum potius respiciat, quo proditio perficietur Et enim rem vario sub respectu considerare licet, prout nimirum magis attenditur ipsa qualitas, qua Judas traditor existit, aut magis ipsissima actio, qua, tempore opportuno, traditor scelus suum perpetrabit. Ita et quartus evangelista nunc ipsam actionem futuram : « ὁ παρδώσων αὐτόν » (Jo., VI, 64), nunc ipsam qualitatem praesentem : « ᾔδει γὰρ τὸν παραδιδόντα αὐτόν » (Jo., XIII, 11) ; « ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν » (Jo., XVIII, 2) ; « τίς ἐστιν ὁ παραδιδούς σε ; » (Jo., XXI, 20), magis respicere videtur (2). Addamus auctores, qui participium praesens pro tempore futuro supponere autumant, nullam reapse indicare causam cur evangelistae nunc participium παραδιδοὺς, tunc participium παραδώσων, adhibeant ; mere affirmant participium praesens indicare tempus futurum, dum magis obvia profecto videtur solutio nostra, quae, quia hagiographi diversos terminos usurpant, eos rem diversam, aut saltem diverse consideratam, exprimere voluisse asseverat.

Eadem ratione intelliguntur verba, quae Baptista de Christo praedicavit, quando Dominum per qualitatem ipsius permanentem indicavit tanquam Agnum Dei, qui tollit peccata mundi : « ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου » (Jo., I, 29) ; ita et in I Thess., I, 9-10 legitur : « πῶς ἐπεστρέψατε... ἀναμένειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ... Ἰησοῦν τὸν ῥυόμενον ἡμᾶς ἐκ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης », quamvis actio, qua Christus « nos eripuit ab ira ventura », sicuti vertit Vulgata, jamdiu transierit.

Ad rem etiam non videtur locus ex II Thess., I, 7 s. : « ἐν τῇ ἀποκαλύψει ... ἐν πυρὶ φλογός, διδόντος ἐκδίκησιν τοῖς μὴ εἰδόσιν θεὸν », nam « in revelatione Domini Jesu », non « dabitur » sed statim « datur » vindicta iis, « qui non noverunt Deum ». Similiter in I Cor., IV, 14 : « οὐκ ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω ταῦτα, ἀλλ' ὡς τέκνα μου ἀγαπητὰ νουθετῶν », actionem tanquam praesentem proponit Apostolus, quod

(1) Cf. Wieland, *Opferbegriff*, p. 4.

(2) Cf. Moulton, *Einleitung*, p. 205, ubi advertit participium praesens cum articulo quandoque nullum indicare tempus, sed supponere pro substantivo (ὁ κλέπτων = Der Stehler = fur, sive ille qui ordinarie furatur); cf. etiam ed. anglicam, p. 127 vel E. Combe, *Grammaire grecque du NT.*, p. 113, Paris, 1894 et adhuc Blass-Debrunner, *o. c.*, p. 196, qui referunt *Ephes.*, *IV*, 28 : « ὁ κλέπτων » = « Wer bisher stahl », sed hic sensus determinatur per verba sequentia : « μηκέτι κλεπτέτω ».

indubie ex parallelismo utriusque apparet participii : « Non ut confundam vos », id est, non vituperans vos, « haec scribo, sed ut filios meos charissimos (monens) moneo ».

Exempla modo allata, participia in voce activa aut media cum habeant, rem dirimere ceteroquin minus nata sunt ; ita pariter testimonium ex I Petr., I, 9 : « ἀγαλλιᾶσθε... κομιζόμενοι τὸ τέλος », scopum non attingit : advertendum enim est verbum ἀγαλλιάω, quocum conjungitur participium κομιζόμενοι, quod sensum futurum revera prae se ferre videtur, in tempore futuro non esse usitatum, quare maxima cum probabilitate asserere licet ἀγαλλιᾶσθε supponere pro futuro (vertit Vulgata : « exsultabitis »), ita ut participium κομιζόμενοι jam per verbum ἀγαλλιᾶσθε, cui apponitur, ad sensum futurum definiatur. Ceteri loci vero, quae adducuntur : II Cor., II, 15 : « ὅτι Χριστοῦ εὐωδία ἐσμὲν τῷ θεῷ ἐν τοῖς σωζομένοις καὶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις » ; Hebr., X, 14 : « μιᾷ γὰρ προσφορᾷ τετελείωκεν... τοὺς ἁγιαζομένους » (1) ; II Petr., III, 11 : « τούτων οὖν πάντων λυομένων ποταποὺς δεῖ ὑπάρχειν ὑμᾶς », stricte loquendo, cum verbis institutionis paralleli non sunt, quia haec participia nullatenus cum verbo in tempore praesenti, sicuti in formulis explicandis (τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ... διδόμενον ; τοῦτό ἐστιν... τὸ ἐκχυννόμενον) connectuntur.

* * *

Jam omnes locos pervolvimus, et nullum invenimus testimonium stricte parallelum, itaque textum disputatum ex sese intelligamus necessarium apparet. Regulae grammaticae innixi, participia de quibus lis movetur ad tempus praesens igitur referimus, donec ille sensus demonstretur ineptus, et hanc comprobationem fautores sensus futuri revera adstruere conantur.

Provocant primo ad significationem obviam vocis ἐκχέειν, quae « de se notat effusionem : porro sanguinem Christi, ut formaliter in coena fuit, effusum esse non probatur nec intelligitur. Quaenam enim effusio potuerit obtineri, non apparet. Sitne forsan sermo de fusione ex uno calice in alium vini, quod dein consecratur ? At in hoc casu — qui ceterum non quadrat cum rituali paschatis — ipse sanguis non effunditur. An forsan vox ἐκχυννόμενον adducta est praecise ad caracterem sacrificalem sanguinis, formaliter ut praesentis, indigitandum ? At figuratus ille sermo, in coena esset aeque devius

(1) Moulton, *Grammar*, p. 127, opinatur « τοὺς ἁγιαζομένους » indicare potius aliquam actionem, quae durat (durative action).

et conquisitus, ac si quis ad exprimendum sacrificium Missae, diceret per consecrationem (connotando vel non, communionem) *effundi* sanguinem Domini. Participium διδόμενον ut determinativum formulae consecrationis panis, adjicit solus Lucas : si supponatur primitivum, ob parallelismum cum formula consecrationis vini, intelligi debet de traditione corporis in mortem (juxta I Tim., II, 6 : δοῦναι ἑαυτόν et Mc., X, 45) » (1).

Sat facili negotio respondetur his rationibus : cum cl. doctore ultro abnuimus quamlibet effusionem cruentam aut etiam materialem, ut esset puta effusio de calice in calicem (2), sed non percipimus quemadmodum devius atque conquisitus sit sermo, qui affirmat sanguinem Christi sacrificali modo effundi in ipsa coena, quandoquidem locutio « αἷμα τῆς διαθήκης » sanguinem uti sacrificalem jam designavit. Si vero nobis forsitan minus clara apparet illa loquendi forma, ne obliviscamur Judaeis omnino obviam fuisse notionem sacrificii per effusionem sanguinis.

Eadem ratione, uti patet, intelligendum venit participium διδόμενον ad σῶμα, et quoad formulam « δοῦναι ἑαυτόν» , in Mc., X, 45, ex adjunctis historicis ad cruentam mactationem restringitur (3), sed nulla indicatur causa cur eamdem restrictionem ad verba institutionis admittamus, eo vel magis quod locutio « τῆς διαθήκης », quae directe corroborat interpretationem participii ἐκχυννόμενον, de actuali effusione in ipsa coena, simul indirecte eamdem significationem et immolationem actualem ad « σῶμα διδόμενον » haud obscure innuit.

Secundum argumentum allatum in favorem sententiae, quae participium ἐκχυννόμενον ad tempus futurum refert, aeque labile nobis apparet : « Traditionis paulinae documenta, ita arguitur, ponunt sanguinem Christi effundi ὑπὲρ ὑμῶν, id est per modum sacrificii expiatorii pro discipulis ; apud Mt., XXVI, 28 sanguis

(1) Van Crombrugghe, *o. c.*, p. 201 s., in nota.

(2) Ita nimirum O. Holtzmann, *Das Abendmahl im Urchristentum*, apud period. ZNWKU., V, p. 101, 1904, qui ἐκχέειν audit de effusione calicis in terram ; cf. etiam Goetz, *o. c.*, p. 189. — Spitta, *o. c.*, p. 268, n. 3, refert ἐκχυννόμενον ad effusionem in calicem. Tales elucubrationes refutare non juvat, quoniam textum penitus non sequuntur ; dicitur enim « τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχ » et adeo jam praecluditur effusio de calice in calicem, quae nullatenus sacrificalis est. Contra gratuitam opinionem ab O. Holtzmann excogitatam, quam in nota, apud ZNWKU., V, p. 264, inserta, adhuc stabilire conatus est, lege Goguel, *o. c.*, p. 80.

(3) Ita *I Tim.*, II, 6 et etiam *Gal.*, I, 4 ; *Tit.*, II, 14 necnon *Mt.*, XX, 28 et *Mc.*, X, 45, quibus locis auctores sacri manifeste cruentam mactationem respiciunt.

dicitur effundi εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Jamvero dici non potest Dominum discipulis porrexisse sanguinem in remissionem peccatorum sumendum : ex Joanne enim XIII, 10 s. eosdem haec dona coelestia mundo corde accepisse constat » (1).

Respondetur : sacrificium crucis profecto propitiatorium fuit pro discipulis et pro multis, sed et sacrificium Eucharisticum esse propitiatorium invicte comprobatur (2) ; nullo modo praeterea in textu dicitur Dominum corpus suum atque sanguinem porrexisse discipulis in remissionem peccatorum *sumendum*, sed legitur : « καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων· τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον.... τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον », itaque verba « ὑπὲρ ὑμῶν » directe ad oblationem et ad effusionem spectant (3).

*
* *

In tota narratione institutionis Eucharistiae nihil igitur insinuat participium praesens supponere pro tempore futuro, et haec est negativa confirmatio sententiae nostrae ; sed positive jam argumentum prosequi lubet, nam ex textu s. Lucae, qui grammaticali acribeia ceteris evangeliis praestat, indubium prorsus videtur participium ἐκχυννόμενον audiendum esse de actuali effusione sanguinis in ipsa coena ; et revera in formula tertii nostri evangelii : « τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον », grammaticali etiam connexione ipsum ἐκχυννόμενον ad ποτήριον colligatur (4).

(1) Van Crombrugghe. *o. c.*, p. 202, in nota.

(2) Cf. *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 2 ; vide etiam can. 3 (*Enchiridion*, n. 940 et n. 950).

(3) Non negamus profecto sumptionem Eucharisticam esse antidotum « quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur » ; haec est enim explicita doctrina Ecclesiae (*Conc. Trid.*, sess. XIII, *De ss. Euch. Sacramento*, cap. 2 (*Enchiridion*, n. 875), sed affirmamus verba : « ὑπὲρ ὑμῶν » directe ad ἐκχυννόμενον colligari, adeoque ad hanc locutionem nihil de sumptione disputandum.

(4) Nihilominus ἐκχυννόμενον ad αἷμα connectendum censet Hehn, *o.c.*, p. 78, n. 3, primo, quia haec expressio « ἐκχέειν ποτήριον » eo minus assueta est, quo magis usitata illa : « ἐκχέειν αἷμα » ; secundo, ait, cum Schanz, *Comm. zu Luc.*, p. 508, quem fideliter sequitur, quia, ἐκχυννόμενον, quandoquidem longe a voce ποτήριον distat, dum prope ad αἷμα enuntiatur, a legente quasi sponte (unwillkürlich) ad αἷμα conjungitur ; tertio tandem, quia propositiones appositae saepe in nominativo prostant, dum in casu quodam dependente proferendae essent, itaque nihil obstat quominus ἐκχυννόμενον, in nominativo, ad αἵματι, in dativo, adnectamus. Adnotamus autem ad primam animadversionem : neque institutio sacrificii incruenti est res consueta, et ideo forsan adhibenda formula minus communis ; ad secundam :

At vero « quamvis calix et sanguis secundum rem significent idem, cum ποτήριον sit continens pro contento, tamen modus significandi est alius. Neque enim sanguis simpliciter vocari potest calix, sed solum eatenus quatenus in calice est, ita ut sensus verborum Christi sit : Sanguis meus hic et nunc, prout in calice est, effunditur » (1), et ideo « necesse est intelligere effusionem tanquam dictam de sanguine Christi reduplicative ut in sacramento, nam licet in sacrificio crucis effusus sit ille ipse sanguis qui erat tunc in calice, non tamen dici potest quod in cruce effusus est calix, ut scite observat Card. Franzelin ; quippe, quando contentum denominatur ex continente, accipitur cum habitudine ad continens, adeoque non suscipit praedicata quae cum dicta habitudine non conjunguntur » (2).

Haec interpretatio rursus corroboratur ex ipsa formula s. Lucae intimius inspecta, nam tertius evangelista, cum s. Paulo, habet : « τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη », et non « τοῦτο... τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης », sicuti s. Mt. et s. Mc. ; in hac enim formula saltem dubitatio suboriri posset, utrum necne jam hic et nunc, in ipsa coena, διαθήκη pangatur ; in illa vero tale dubium prorsus praecluditur.

Hac de causa initio hujus disceptationis monuimus argumentum ex omnibus textibus simul consideratis esse astruendum, et quamquam libenter huic assertioni assentimus : « Expressio τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης, quam Dominus cum respectu ad Ex. XXIV, 8, protulit, manifeste ponit sanguinem reduplicative ut in sacramento esse testamentarium seu sacrificalem » (3), ulterius

textus, in his praesertim locis difficillimis, attente pervolvi debet, neque interpretari potest secundum impressionem aliquam, quae ad primam quamdam lectionem enascitur ; ad tertiam : ipse textus et regulae grammaticae manifeste obstant ne ἐκχυννόμενον ad αἷμα adnectamus, adeoque legimus « effundi calicem », in quo reipsa adest sanguis, donec solidis argumentis demonstretur participium ἐκχ. *directe* ad αἷμα referendum.

(1) Pesch, *Praelectiones dogmaticae de Sacramentis*, I, p. 398 ; cf. etiam Bellarminum, *De Missa*, I, cap. 12.

(2) Billot, *De Ecclesiae Sacramentis*, I, p. 613.

(3) Van Crombrugghe, *o. c.*, p. 203, in nota.— Arguit idem auctor, postquam connexionem realem participii ἐκχυννόμενον ad αἷμα *actu* effusum rejecerit, ex oppositione σῶμα ad αἷμα, qua sufficienter characterem sacrificalem coenae indicatum habet ; cf. etiam Goetz, *o. c.*, p. 265. — Verum, uti recte dicit Hehn, *o. c.*, p. 72, hac oppositione optime indicari potest ipsa mors Christi, sed inde nondum constat de *actuali* immolatione in Eucharistia, itaque ex integra expressione «σῶμα διδόμενον» et «αἷμα ἐκχυννόμενον», quinimmo et ex locutione «αἷμα τῆς διαθήκης» arguendum duximus, attenta insuper speciali forma, qua eadem doctrina apud s. Lucam proponitur.

tamen inde inferimus nihil obstare, siquidem sanguis jam ut sacrificalis designatur, quominus ipsum sacrificali modo in coena effusum fuisse declaretur.

Instant adhuc auctores, qui sententiae oppositae adstipulantur, et ex speciali expressione s. Lucae nihil quaestionis dirimendum esse asseverant, quia tertius evangelista, ob necessitatem forsan usus liturgici (1), aut « symetriae inter duas formulas procurandae causa, simpliciter ex Marco XIV, 24 determinativum illud τὸ ὑπὲρ πολλῶν (ὑμῶν) ἐκχυννόμενον, post formulam consecrationis calicis, quam a Paulo audierat » (2), transtulerit. Praetermissa adhuc disquisitione quinam fontes s. Lucae inservierint, huic instantiae facillime respondetur ; idem enim cl. auctor ipse advertit, ut mechanicam interpolationem a quibusdam criticis s. Lucae imputatam excludat : « tertium evangelistam ex Marco desumpsisse additionem τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον libenter fatemur, observantes tamen ipsum eamdem juxta symetriae exigentias cum formula consecrationis panis coaequasse, convertens πολλῶν in ὑμῶν » (3). Reponimus igitur statim cum argumento ad hominem : si s. Lucas exigentiis symetriae tantum attenderit, nonne pronum etiam est ut admittamus ipsum aeque exigentiis grammaticae satisfecisse, et consequenter connexionem participii ἐκχυννόμενον ad ποτήριον intendisse, siquidem levi negotio potuisset paulisper expressionem mutare ut grammaticali relatione ἐκχυννόμενον ad αἷμα colligaret, si hanc connexionem reipsa prae oculis habuisset ?

Argumentum confirmatorium, quod simul cum hac instantia adducunt (4) ex lectione Vulgatae, quae non tantum ad textum s. Matthaei et s. Marci, sed adhuc ad verba s. Lucae habet : « qui effundetur », neminem profecto movebit, siquidem « fas est, imo quandoque necessarium, ad plenum Scripturae sensum assequendum, uti omnibus praesidiis opportunis, inter quae potissimum recensetur collatio versionis cum exemplari, maxime si certum sit originalia adhuc integre et incorrupte asservari » (5) ; hunc textum, quem secuti sumus, esse originalem satis superque statutum confi-

(1) Cf. HEHN, *o. c.*, p. 78.

(2) VAN CROMBRUGGHE, *o. c.*, p. 203, in nota ; cf. etiam B. WEISS, *Textkritik der vier Evangelien*, TU., NF., IV, 2, p. 181, 1899 et H. J. HOLTZMANN, *Die Synoptiker*, in *Handkommentar*, I, 1, p. 410, Tübingen und Leipzig, 1901[3], quos ejusdem sententiae fautores esse affirmat GOETZ, *o. c.*, p. 148, n. 3.

(3) VAN CROMBRUGGHE, *o. c.*, 144.

(4) Ita RENZ, *Geschichte*, I, p. 128 ; VAN CROMBRUGGHE, *o. c.*, p. 203 ; WIELAND, *Opferbegriff*, p. 5 ; RAUSCHEN, *Euch. und Busssakrament*, p. 83 ; W. KOCH, *o. c.*, p. 53.

(5) BILLOT, *o. c.*, I, p. 614.

dimus, et insuper conficiemus postea editionem Vulgatam non esse mendosam, eamque positive ab originali lectione non esse difformem, quia eamdem doctrinam ac codices graeci, licet diverso sub respectu, proponit.

Advertimus tandem editionem Vulgatam, ad locum Mt., XXVI, 25, quem in adjutorium adducunt, ut participium praesens ad tempus futurum esse referendum conficiant, locutionem : « ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν », per verba : « qui tradidit eum » transtulisse, et auctoritati Vulgatae deinde, ut testis antiquae traditionis opponi posse testimonium liturgiae s. Marci, quae haec participia ad calicem indubie connectit (1). In eamdem confirmationem praeterea, secundum Renaudot, omnes orientales rituum interpretes advocare fas est (2).

* * *

Antequam gressum faciamus ad quasdam difficultates, quas praeter objectiones jam solutas adhuc afferunt Renz et Wieland, argumentationis meminisse libet, quam proponit Card. Franzelin (3) ex verbis s. Pauli in I Cor., XI, 24, collatis locis Lc., XXII, 19 et Jo., VI, 51b (52 in Vulg.). Ita nimirum textum Apostoli legit em. auctor : « τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον », et huic loco juxtaponit Lc., XXII, 19 : « τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ... διδόμενον », et Jo., VI, 51b : « ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μού ἐστιν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς », atque tunc prosequitur : « In textu graeco Pauli corpus Christi, quod fit praesens sub speciebus panis, dicitur *frangi pro nobis*.... Verbum *frangere* quando refertur ad id, quod manducandum est, in usu loquendi biblico sensum habet parationis, comparationis, donationis in cibum. Sensus ergo apud Paulum immediatus est : « hoc est corpus meum, quod pro vobis in statu cibi, sub speciebus panis frangitur ». Verba autem apud Paulum necessario rem eandem significant, quam verba apud Lucam; ambo enim eandem sententiam Christi et proinde eundem sensum referunt. Jam vero apud Lucam verba : « corpus meum, *quod pro vobis datur* », exprimunt sacrificium. Nam haec locutio : corpus Christi *pro vobis datur*, ex collatione cum Matth. Marc. Joann. aequivalens alteri : « pro multis datur, pro multis in remissionem peccatorum datur, pro mundi vita datur », sine dubio significat,

(1) Cf. Renz, *Geschichte*, I, p. 59.
(2) Cf. Renaudot, *Liturg. orient. Coll.*, II, p. 81, Parisiis, 1716.
(3) Franzelin, o. c., thes. XI, p. 362; cf. etiam Bellarminum, *De Missa*, I, cap. 12 et Hurter, *Theol. dogm. compendium*, III, p. 400, Oeniponte, 1908[12].

Christum pro nobis offerri in sacrificium... Ergo etiam verba, ut referuntur a Paulo, exprimunt, sacrificari Christum pro nobis. His praestitutis dico, *directe* enuntiari sacrificium praesens, quatenus ponitur corpus et sanguis Christi in statu cibi et potus.... Nam expressio sacrificii apud Luc. « quod pro vobis datur », a Paulo declaratur : « quod pro vobis frangitur », et locutio utraque significat *sacrificationem*. Atqui verba Pauli immediate significant corpus Christi formaliter ut positum sub speciebus panis in statu cibi, in quo statu pro nobis frangitur. Ergo apud Paulum sacrificatio dicitur fieri corporis Christi formaliter ut constitutum est in statu cibi, ac proinde *directe* significatur, in sacrificium offerri Christi corpus et sanguinem, quatenus sub speciebus panis fit praesens in Eucharistia ».

In statuendo autem textu genuino observavimus participium *κλώμενον* minime videri authenticum, quandoquidem in cdd. melioris notae deest, et quidam alii cdd. aut etiam variae verss. aliud participium subjungunt vel subaudiunt ; addamus adhuc textum Jo., VI, 51b (Vulg. 52) non omnino parallelum esse ad locos invocatos, quum formula joannea (*ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς*) directe passionem et cruentam immolationem respiciat (1), licet in eodem contextu de Eucharistia agatur, et

(1) Hic enim sensus manifestus omnino apparet, ubi textum cum Franzelin, juxta editionem criticam septimam NT. a Tischendorf curatam legimus : « panis, quem ego dabo (manducandum) caro mea est, quam ego dabo (in cruce immolandam) pro mundi vita », et ita hunc locum communi fere ratione audiunt interpretes, uti adnotat Corluy, *Comm. in Evang. s. Jo.*, p. 152 ; cf. etiam Loisy, *Le Quatrième Evangile*, p. 455, Paris, 1903 et Ruch, *art. cit.*, apud *Dict. de Théol. Cath.*, V, 998. — Idem ceterum manet sensus, si cum cdd. B, C, D, L, T, quibusdam verss. et Patribus, verba « *ἣν ἐγὼ δώσω* » post *σάρξ* omittimus, quam lectionem acceptat H. von Soden, *Die Schriften des NT.*, II, Berlin, 1913 et Nestle, *NT. graece et latine*, Stuttgart, 1910³. Tischendorf in ed. octava critica maj., innixus praesertim cod. Sinaïtico legit : « *ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς ἡ σάρξ μου ἐστίν* » ; ita et de Gebhardt, *NT. graece*, Lipsiae 1901⁸, sed haec lectio traditione manuscriptiali minus probatur. Directe igitur ad mortem suam redemptricem in cruce alludit Christus, uti etiam in Mt., XX, 28; Mc., X, 45 et Jo., X, 17-18; sed insuper in verbis « *ὁ ἄρτος ὃν ἐγὼ δώσω* », aperte Eucharistiam respicit, itaque indirecte panem Eucharisticum cum immolatione cruenta connectit. — Batiffol, *art cit.*, in RBI., XII, p. 519, n. 3, 1903 et *Euch.*, p. 84, n. 1, hunc versiculum 51b unice crucem spectare dicit ; ad Eucharistiam igitur alludi inde tantum a v. 52 affirmat. Contra hanc interpretationem lege praesertim Ruch, *art.* et *l. c.* — B. Weiss, *Evang. Joannis*, in Meyer's *Kommentar*, II, Göttingen, 1902⁹, legendum putat : « Panis quem ego dabo, caro mea, est pro mundi vita », itaque in hoc textu

indirecte proin panis Eucharisticus cum cruenta immolatione connectatur (1). Expressiones autem similes, ad institutionem Eucharistiae, directe ipsam effusionem sacrificalem in coena declarant, quamquam indirecte, quod statim explicabimus, cruentam effusionem crucis simul connotant.

Funditus insuper ruit integrum ratiocinium, si animadvertimus verbum *κλᾶν* nullatenus ex se, et certissime non in hoc contextu, significare comparationem in cibum : hic enim sensus ex parallelismo ad *ἐκχυννόμενον* prorsus excluditur, quia *ἐκχέειν*, uti ipse assentit Card. Franzelin, non denotat effusionem materialem sive effusionem in potum, sed unice effusionem sacrificalem ; si participium *κλώμενον* igitur esset authenticum, significaret corpus Christi in coena sacrificari, et illud idem solis verbis « *τὸ ὑπὲρ ὑμῶν* » sat superque exprimitur.

B. Vindicatur thesis contra quasdam objectiones.

Ex parallelismo ad textum s. Jo., VI, 51b (52) arguit etiam Renz (2) ut locutionem « *τὸ ὑπὲρ ὑμῶν (κλώμενον)* » ad sacrificium cruentum spectare conficiat, et per vocem *κλώμενον* fractionem violentam seu mortem indicari ex Rom., XI, 17 ; Jo., XIX, 31 s. et Mc., XIV, 3 clarum esse autumat.

Verum primo, quomodo Mc., XIV, 3 : « *συντρίψασα τόν ἀλάβαστρον* » et Rom., XI, 17 : « *εἰ δέ τινες τῶν κλάδων ἐξεκλάσθησαν* » ad rem invocari possint nos omnino latet ; deinde Jo., XIX, 31 : « *ἵνα κατεαγῶσιν αὐτῶν τὰ σκέλη* » potius obstat interpretationi a Renz excogitatae, nam (v. 33) : « ad Jesum... cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit », et corpus Christi nullatenus confractum est.

Secundo, quod textum s. Jo., VI, 51b (52) attinet, advertimus

nullatenus ad Eucharistiam attendi affirmat ; contra hanc exegesim cf. Loisy, *Le Quatrième Evangile*, p. 455. — Zahn, *Das Evangelium des Johannes*, in *Kommentar zum NT.*, IV, Leipzig, 1911³, hoc loco non memorari ipsam redemptionem autumat, adeoque « *ὁ ἄρτος ὃν ἐγὼ δώσω* », tanquam praedicatum in propositione et « *ἡ σάρξ μου* » tanquam subjectum habet ; dein locutio « *ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς* » cum praedicato conjungit ; contra hanc interpretationem lege O. Schmitz, *o. c.*, p. 251 s.

(1) Ex hoc textu igitur demonstrari nequit character sacrificalis Missae, uti voluit Belser, *Der Opfercharakter der Euch.*, in *Theol. Quartalschrift*, XCV, p. 1 s., Tübingen, 1913.

(2) Renz, *Geschichte*, I, p. 124 s.

jam supra hoc testimonium non stricte parallelum esse ad expressiones in institutione Eucharistiae usurpatas ; minime igitur explicationi nostrae officit. Quoad difficultates autem a cl. doctore contra sensum participii praesentis allatas, easdem in exponendis argumentis nostris jam obviavimus, eisque ibidem satisfecimus.

Praejudicata sua opinione ductus, addit Renz (1) : cibus sacramentalis non praeparatur et non datur in remissionem peccatorum. Respondetur : non agitur de *sumendo* cibo Eucharistico « εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν », sed de sanguine *effuso* in remissionem peccatorum. Quae cl. theologus ulterius longe lateque adhuc evolvit de sacramento Eucharistiae, nullo pacto ad quaestionem pertinent ; non suscipimus sacramentum sed sacrificium explicandum.

Tales deductiones autem inde intelliguntur quod auctor sacramentum et sacrificium libenter confundit, uti ex ipsius theoria luculenter patescit ; ad mentem enim ejus *unicum* est sacrificium, scilicet cruentum illud crucis, cujus umbra et figura fuere sacrificia *improprie* dicta VT., et cujus repraesentatio in praeparando et sumendo convivio sacrificali est ipsum sacrificium Eucharisticum.

Eadem ratione contradictionem reperit auctor in locutione « τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον », si ἐκχυννόμενον ad sacrificium actuale Eucharisticum referatur oportet. Anticipatio enim mortis de facto involvit contradictionem ; haec est major ratiocinii ipsius totidem verbis pronuntiata (2). Atqui, omnis oblatio et immolatio est cruenta ; haec est minor, quam supponit ubique in sua dissertatione ; ergo locutio « τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον », ad Eucharistiam relata, huc redit : Me nunc in sacrificium offero, dum me non offero, seu nunc morior dum vivo ! Vitium totius argumentationis, uti videtur, est in inepta notione sacrificii ; quare cl. auctorem ad partem nostram prooemialem remittimus, in qua, de methodo disserentes, comprobavimus notionem sacrificii a posteriori esse elaborandam, et praeprimis quidem ex ipso VT., quod aptam nobis subministrat materiam ad rectam definitionem statuendam ; hanc definitionem sacrificii generice sumpti et *proprie dicti* in I parte subministravimus, adeoque refutationem hujus assertionis praetermittimus ; quod sacrificium Eucharisticum autem spectat, in praecedentibus sufficienter demonstratum confidimus hoc esse verum sacrificium, licet non cruentum, quod actualem involvit

(1) Renz, *Geschichte*, I, p. 127.
(2) *Ibidem*, p. 129.

immolationem, et intimiorem ejus explicationem ad III partem remittimus.

* * *

Eadem viget confusio apud Wieland (1) : « Corpus dare » et « sanguinem effundere », inquit, nihil aliud significare potest quam mori ; si ergo locutionibus sensum ipsis proprium relinquimus, et participia *διδόμενον* et *ἐκχυννόμενον* ad sacrificium Eucharisticum referimus, admittendum est Christum eo ipso momento, quo cum discipulis mensae accubuit, fuisse mortuum et tamen vivum ! Haec participia igitur, si verba audire volumus, uti ab hominibus communiter adhibentur, ad tempus futurum remittamus oportet.

Respondetur : ex textu constat Dominum ad benedictionem calicis declarasse contentum calicis esse sanguinem suum, effusum pro discipulis et pro multis ; ita liquet primo, sacrificium ad ipsam consecrationem perfici, nec major profecto erat difficultas Apostolis ut formulam « *τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον* » de actuali sacrificio intelligerent, quam ut ipsum contentum calicis esse sanguinem Christi crederent.

Secundo, quidquid sit de sensu obvio vocis *ἐκχέειν*, pronuntiatur a Domino corpus suum in coena « dari » et « sanguinem effundi *ὑπὲρ πολλῶν* » ; hac autem expressione, simul ac locutione « *τὸ αἷμα τῆς διαθήκης* », Judaeis apertum erat sacrificium in ipsa coena peragi, etsi difficultas maneat, in disquisitione dogmatica enodanda, quemadmodum verum sacrificium, ad normam sacrificii VT. intelligendum, in celebratione Eucharistiae perfici queat.

Quae affert deinde Wieland, ad argumentum nostrum enervandum, ex locis quibusdam Scripturae sacrae, ubi participium praesens cum indicatione temporis futuri prostare autumat, ea superius confutavimus, itaque jure respuimus hanc ipsius conclusionem : textus, in quo de institutione Eucharistiae agitur, nullum continet terminum, qui quamlibet oblationem corporis et sanguinis Christi tanquam donum Deo, aut quamvis etiam actualem immolationem innuit (2).

Et revera, quonam sensu sacrificium involvat donum, in I parte, ubi diximus de sacrificio generice sumpto, exposuimus ; dein, de actuali mactatione seu de morte physica Christi, uti immolationem audit cl. auctor, nequidem quaestio est, aut unquam fuit in sacrificio Eucharistico ; tandem, quae subdit Wieland de essentia

(1) Wieland, *Opferbegriff*, p. 2.
(2) *Ibidem* ; ita etiam J. Réville, *o. c.*, p. 83.

sacrificii Eucharistici, quod ad mentem ejus, oratione eucharistica absolvitur, haec gratuito plane affirmantur : ad benedictionem panis et ad consecrationem calicis perficitur sacrificium, sed ex textu luce clarius patescit corpus et sanguinem Domini vere et realiter offerri, dum panis et vinum in elementa Eucharistica convertuntur.

§ 2. *Sacrificium Eucharisticum relationem intrinsecam dicit ad sacrificium crucis.*

Ex iisdem verbis institutionis alterum apparet elementum sacrificio Eucharistico essentiale, quod ut astruamus a diserta coepimus declaratione Apostoli : « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis : mortem Domini annuntiabitis (gr. : *καταγγέλλετε*, annuntiatis) (1) donec veniat ».

His verbis s. Paulus authentice interpretatus est Christi mandatum, quod ad benedictionem panis cum uno s. Luca, ad consecrationem vero calicis ipse solus addidit : « *τοῦτο ποιεῖτε .... εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν* » (2). Isti textus nimirum sese mutuo illustrant, nam in I Cor., XI, 26 solam manducationem respicere videtur Apostolus, quia narrationem institutionis Eucharistiae non nisi occasione abusus tollendi adducit ; in conclusione sua igitur, praecisive attendit participantes convivii sacrificalis, qui convenientes in unum jam non sumunt sibi coenam Dominicam ; at vero ex formula « *τοῦτο ποιεῖτε* », immediate ad ritum Eucharisticum annexa, luculenter apparet ipsum ritum integre spectatum esse renovandum, et in ipso ritu memoriam Domini instaurandam ; Apostoli, qui hac institutione ad celebrationem Eucharistiae reiterandam deputantur, et eo ipso sacerdotes NL. constituuntur, idem ergo sacrificium offerre debent, quod Christus prius obtulit, et idem corpus Domini sumere debent,

(1) Scite advertit Batiffol, *Euch.*, p. 104 : « Influencé par la traduction de Luther, M. Réville traduit : Annoncez la mort du Seigneur. Mais Paul ne donne pas un précepte, il donne la signification d'une liturgie établie : Vous annoncez la mort du Seigneur. Vous annoncez, non au sens d'annoncer un évènement futur, évidemment, puisque l'évènement est passé, mais au sens de célébrer, de représenter, au sens de : Faites ceci en mon souvenir ».

(2) Resch, *Agrapha*, in TU., V, 4, p. 105 s. et p. 178 s., Leipzig, 1889 (non ita in ed. altera, 1906), et adhuc *Ausẓercan. Paralleltexte*, in TU, X, 3. p. 655, hunc v. 26, in I Cor., XI, uti locutionem finalem primitivam in ipsa coena a Christo pronuntiatam habet, et haec verba inter *Agrapha* Domini connumerat. Contra hanc sententiam, quam quibusdam praescriptionibus liturgicis fulcire conantur, lege Berning, *o. c.*, p. 112 s., ubi simul litteraturam circa hanc quaestionem reperies.

quod in coena comederunt; haec autem in memoriam Domini facient (1).

Munus erit disquisitionis dogmaticae intimius hanc celebrationem Eucharisticam perscrutari, ut definiatur qua ratione consecratio et sumptio cibi Eucharistici ad sacrificium pertineant; ex sacra Pagina satis constat in memoriam Domini renovandum esse integrum ritum, quippe qui per τοῦτο signate indicetur.

Sed ex authentica interpretatione Apostoli adhuc patescit quaenam ἀνάμνησις Domini in coena Eucharistica fieri oporteat: « Quotiescumque enim manducabitis... mortem Domini annuntiabitis (annuntiatis) » (2).

Passionem igitur et mortem Christi, non verbis mere, sed ipso ritu sacro, recolent discipuli et sacerdotes, ad benedictionem et consecrationem panis atque calicis, itaque in ipso reali corpore et sanguine

(1) Verbum ποιεῖν itaque ad totum ritum praecedentem referimus, et haec interpretatio a Catechismo Romano confirmatur: « Nam quod Dominus faciendum praecepit, non solum ad id quod egerat, sed etiam ad ea, quae dixerat, referri debet » (Pars II, De Sacr. Euch., XX, in nota, p. 258, Parisiis, 1906); quinimmo uti notat Corluy, *Spicilegium dogmatico-biblicum*, II, p. 388, Gandavi, 1884: « Duo Christus mandavit Apostolis, alterum ut facerent quod ipse fecerat, alterum ut facerent quod ipsi fecerant ». — Ita etiam explicite *ss. Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 1, coll. sess. XIII, *De Sacramento Euch.*, cap. 2 (*Enchiridion*, n. 938 et n. 875); in priore enim loco ss. Synodus docet Christum, per verba: « Hoc facite », praecepisse ut Apostoli offerrent, et in altero loco nos in ipsa sumptione memoriam Domini colere et mortem ipsius annuntiare declarat. — Verbum ποιεῖν sensum habere sacrificalem putant recentiores quidam auctores uti D. Stone, *o. c.*, I, p. 9; Hammond, *o. c.*, p. 15; cf. etiam Harnack, *Dogmengesch.*, I, p. 232. Verum, hunc sensum habet revera ποιεῖν, sed ex contexta oratione, uti recte advertit Kattenbusch, art. *Messe*, I, apud PRE., XII, 672, Leipzig, 1903[3]; cf. etiam Gore, *The body of Christ*, p. 316 s. et Robertson-Plummer, *o. c.*, p. 245. — Notat Lebreton, *art. cit.* apud *Dict. Apol.*, I, 1565 et post ipsum Ruch, *art. cit.*, in *Dict. de Théol. Cath.*, V, 1054, vocem ποιεῖν cum hoc sensu non occurrere in NT., neque hanc significationem Traditione confirmari; attamen ποιεῖν in textu institutionis, procul dubio sacrificium simul respicit et ex eodem loco ceterum intelliguntur verba s. Justini, in *Dial.*, XLI (PG., VI, 563 s.). Ex eximio opere Hatch-Redpath, *A Concordance to the Septuagint*, V, 1154 s., Oxford, 1896, luculenter insuper constat ποιεῖν ex contextu, etiam in VT., significare « in sacrificium offerre », adeoque nihil prohibet quominus, in verbis institutionis, eumdem sensum admittamus ex contexta scil. narratione, ita tamen ut ποιεῖν totum ritum sacrum simul renovandum demonstret.

(2) O. Holtzmann, *War Jesus Ekstatiker*, p. 109, Tübingen, 1903, ultimam cœnam ex usu convivii funebris celebrandi explicare satagit; contra hanc theoriam vide C. Clemen, *Religionsgeschichtliche Erklärung des NT.*, p. 198; cf. etiam Ruch, *art. cit.*, apud *Dict. de Théol. Cath.*, V, 1113.

Domini, per ipsam oblationem ejusdem sacrificii a Christo in coena novissima oblati, commemorabunt mortem et cruentam sanguinis effusionem, quae quondam in cruce obtinuit. His rite perspectis haec formula : « *τοῦτο τὸ σῶμά μου... τὸ διδόμενον* » et praesertim illa : *τοῦτο τὸ αἷμά μου... τὸ ἐκχυννόμενον* », optime intelliguntur : eodem nomine nimirum complectitur Christus et sacrificium repraesentans et sacrificium repraesentatum, dum idem nomen derivat ab effusione cruenta et repraesentata ad sacrificium, quod ipso suo modo quo offertur, eamdem effusionem cruentam repraesentat. Directe igitur, uti supra jam innuimus, hac locutione : « qui effunditur », enuntiatur sacrificium praesens, sed indirecte simul significatur immolatio et effusio cruenta, « pro quanto scilicet, omnis imago connotat illud cujus imago est, ipsumque adsignificat » (1). Editio Vulgatae, ubi legit : « qui tradetur »,... « qui effundetur », solam immolationem cruentam clare exprimit, neque tamen negat quod omittit, adeoque lectioni originali opponi non potest, quamvis totam vim textus primitivi non reddat (2).

*
* *

Statuimus ergo conclusionem sequentem : *sacrificium Eucharisticum in ipso ritu sacro cruentam mactationem ad vivum repraesentat et commemorat; est nihilominus verum sacrificium, quod actualem immolationem involvit ad normam sacrificiorum VT., quibus opponitur et substituitur;* est igitur verum sacrificium, essentialiter relativum.

Art. 3. — Epistola ad Hebraeos.

Actualem oblationem Christi in Eucharistia ex I Cor., X, 14 s. et ex verbis institutionis (Mt., XXVI, 26 s.; Mc., XIV, 22 s.; Lc., XXII, 19 s.; I Cor., XI, 23 s.) hucusque demonstratam, ex Hebr., XIII, 10 corroborare licet, sed antequam ad hanc confirmationem accedamus, prius rationes audiamus oportet, quibus Thalhofer existentiam sacrificii coelestis proprie dicti ex Hebr., VIII, 1 s., astruere conatur, ut inde fundamentum nanciscatur, seu pontem, uti ait, ad sententiam suam specialem de essentia sacrificii Eucharistici, quam in parte prooemiali delineavimus, et in parte tertia dissolvendam habebimus.

(1) Billot. o. c., I, p. 614; cf. etiam Franzelin, o. c., thes. XV, p. 386.
(2) Lege Billot, *l. c.*, qui in nota, remittit ad Card. Franzelin, *De Traditione et Scriptura*, ubi de authenticitate Vulgatae.

§ 1. — *Theoria sacrificii coelestis.*

Demonstrationem suam coepit Thalhofer (1) animadvertendo Christum saepe saepius in epistola ad Hebraeos, notatim II, 17; III, 1; IV, 14-15; VI, 20; VII, 26; VIII, 1 et passim, vocari ἀρχιερέα seu pontificem summum, quo nomine merito ob sublime sacrificium crucis condecoratur; attamen, ita prosequitur, non solum ob hoc sacrificium eximium et unicum, dici potest et debet sacerdos, sed expressis verbis, in Hebr., VIII, 1 s., pontifex nuncupatur, quia adhuc in coelis sacrificium suum offert. Hoc indubie constat tum, ex sensu proprio vocis λειτουργὸς (v. 2), quae ex usu LXX et NT. (Lc., I, 23; Hebr., IX, 21; X, 11), sacrificantem sive offerentem sacrificium designat, quum ex connexione v. 3 ad v. 2, quandoquidem, in v. 3, exponitur ratio (γὰρ) cur Christus « in dextera sedis magnitudinis » consedens, λειτουργὸς appellari debeat: « omnis enim pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur: unde necesse est (ὅθεν ἀναγκαῖον) et hunc habere aliquid, quod offerat (ἔχειν τι... ὃ προσενέγκῃ) ». Cum Vulgata post ἀναγκαῖον subaudiamus ergo petitur non ἦν, sed ἐστίν (= unde necesse est) (2), et formam aoristi προσενέγκῃ ita intelligamus, ut demonstretur sacrificium quoddam, simul perfectum et actu semper oblatum, sacrificium nimirum ipsum crucis, quod quondam cruento modo in terris peractum et completum, aliquo tamen modo Sanctis Sanctorum coelestibus adaptato, sine intermissione et jugiter in « tabernaculo vero » offertur.

Ut hanc theoriam paulisper illustret, recurrit Thalhofer (3) ad notionem sacrificii VT., et speciatim ad sacrificium diei expiationis, in quo victima foris tabernaculi mactata, summus pontifex cum sanguine varias aspersiones in ipsis Sanctis Sanctorum perficiebat; aspersiones istae cum ipsa immolatione, quae erat centrum sacrificii, unam constituebant oblationem, itaque tamdiu perdurabat sacrificium, quamdiu omnis sanguis aspergebatur. Similiter, ait Thalhofer, et in NT., usque ad finem mundi, quamdiu scilicet homines in terra degentes, per applicationem meritorum oblationis cruentae salvandi erunt (4), Dominus Chris-

(1) THALHOFER, *o. c.*, p. 202 s.

(2) Erronee asseverat STENTRUP, *o. c.*, II, p. 280, ἀναγκαῖον, secundum Thalhofer, supplendum esse, non per ἐστί sed per ἦν; haec est enim sententia propugnata a KURTZ, *Der Brief an die Hebräer*, Mitau, 1869, quam apud THALHOFER, *o. c.*, p. 203, rejiciendam esse expressis verbis legimus.

(3) THALHOFER, *o. c.*, p. 206 s.

(4) *Ibidem*, p 219.

tus in coelo sanguinem suum in cruce effusum offert, et Patri suo exhibet, non nuda suiipsius praesentatione, sed actu proprie sacrificali, qui sacrificium coeleste constituit (1).

Nemo non videt circa hanc praecipue assertionem versari totam difficultatem, eo vel magis quod fatente ipso Thalhofer, sacrificium etiam VT. essentialiter effusione sanguinis, id est, mactatione absolvebatur, et absque ullo dubio, tum Scriptura, et praeprimis ipsa epistola ad Hebr., quum Traditione et magisterio infallibili Ecclesiae constat, sacrificium crucis in sese per immolationem cruentam omnino perfectum esse.

* * *

Ut huic difficultati occurrat, distinguit auctor (2) formam inter externam sacrificii, seu ipsam mactationem, quam supra formam physicam denominavimus, et formam, quam dicit spiritualem, seu finem intentum ab offerente sacrificium, quam nos formam metaphysicam nuncupavimus. Utramque formam ad sacrificium cruentum prorsus essentialem asseverat, ita tamen ut forma spiritualis prae forma externa multo magis referat. Et enim, inquit, demonstravimus sacrificium proprie dictum in coelis offerri ; scimus insuper sacrificium proprie dictum in Eucharistia admittendum ; atqui, si mortem physicam et effusionem sanguinis dicamus elementa ad sacrificium Christi absolute necessaria, nec illam oblationem in coelis, nec hanc in terris declarare poterimus, siquidem « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur » (3). Omittemus igitur formam externam et cruentam effusionem sanguinis, ad sacrificium coeleste et ad sacrificium Eucharisticum, et quum aliunde noverimus cruentum sacrificium Christi esse perfectum, imo, unum tantum esse sacrificium, sicuti docemur in epistola ad Hebraeos : « Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata » (4), et « una oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos » (5), ex

(1) Thalhofer, *o.c.*,p.217; sacrificium coeleste etiam admittit Pell, *o.c.*, p. 24 s., cujus sententiam, similem opinioni a Thalhofer excogitatae, in parte prooemiali, p.17, explicuimus, sed ipse oblationem propugnat late seu improprie dictam; Lepin pariter sacrificium coeleste profitetur, et quidem proprie dictum; ita etiam Grivet; P. de Condren, *o. c.*, p. 91 s., juxta descriptionem sacrificii coelestis, quam ibidem tradit, videtur potius admittere sacrificium coeleste improprie dictum, itaque Pell revera propius quam Lepin ad P. de Condren accedere videtur.

(2) *Ibidem*, *o. c.*, p. 210.

(3) *Rom.*, VI, 9. (4) *Hebr.*, IX, 28. (5) *Hebr.*, X, 14.

forma spirituali, seu ex voluntate Christi sese pro salute mundi devovendi, nunc sacrificium coeleste, et item infra sacrificium Eucharisticum, explicabimus. Hanc voluntatem, quae in cruce ipsam mactationem ad sacrificium sublimavit, Dominus noster *semper actualem* retinet, illamque signo quodam externo manifestat, in coelis probabilius per conservationem vulnerum crucifixionis (1), in Eucharistia per mysticam et sacramentalem separationem sanguinis a corpore (2), itaque eamdem semper oblationem cruentam exhibet. Destructionem vitae ad verum sacrificium prorsus necessariam, non aliam igitur invenimus quam illam, quae in cruce obtinuit, et unum profitemur sacrificium, cruentum nimirum crucis, quod cum oblatione coelesti et Eucharistica, tam arcte conjungitur, quam intime connectebantur variae aspersiones a summo pontifice in Sanctis Sanctorum peractae, cum ipsa mactatione victimae, ita ut unum omnino essent sacrificium (3).

*
* *

Jamvero,hac ratione terminos quaestionis ex integro intervertit Thalhofer, quem hucusque disserentem audivimus ; et revera, uti in parte prooemiali, in enodanda methodo pronuntiavimus, in hac inquisitione de essentia sacrificii definienda, nihil a priori statuere fas est. Comprobavimus autem in prima parte, tum formam physicam, quum formam metaphysicam ad sacrificium generice sumptum esse necessariam ; confecimus jam ex Scriptura sacra hanc definitionem genericam sacrificio Eucharistico applicari *debere*, et eamdem veritatem mox ex Traditione demonstrabimus ; manet ut doctrina Patrum et interpretatione authentica Ecclesiae innixi requiramus, quomodo haec definitio Eucharistiae adaptari *possit*, attenta insuper relatione intrinseca sacrificium cruentum inter et Eucharisticum, sed nullatenus licet, quia mors physica Christi manifeste non jam

(1) THALHOFER, *o. c.*, p. 214.
(2) *Ibidem*, p. 262.
(3) In exponenda theoria sacrificii coelestis omisimus ea, quae de relatione Christi in dextera Patris consedentis, ad categorias « tempus » et « spatium » disserit THALHOFER, *o. c.*, p. 216 s. Minime ad disquisitionem de essentia sacrificii Eucharistici refert, quemadmodum *actualis* voluntas salvifica Christi Domini explicari debeat, quandoquidem sacrificium coeleste proprie dictum nullum est, et sacrificium proin Eucharisticum nullatenus exinde explanatur. Theoriam similem, ad ipsam unitatem sacrificii NL. praesertim vindicandam, quam reperimus apud G. SIMONS, *Le Sacrifice parfait, perpétuel et universel de la nouvelle loi*, p. 36 s., Bruxelles, 1916, infra, ubi de explicatione dogmatica sacrificii Missae, memorabimus.

est possibilis, a priori statuere unum ex elementis necessarium ad sacrificium generice spectatum, esse resecandum, ut sacrificium verum, tum in coelis, quum in Eucharistia offerendum affirmare possimus.

His praenotatis, et quod oblationem in Eucharistia spectat, intimiore confutatione ad partem tertiam remissa, haud arduo negotio expenduntur argumenta, quae ad sacrificium coeleste definiendum, a Thalhofer congesta fuere.

Ad fundamentum totius systematis, ad demonstrationem scilicet sacrificii coelestis proprie dicti ex Hebr., VIII, 1 s., quod attinet, statim replicamus nullo pacto ex hoc testimonio apparere sacrificium proprie dictum in Sanctis Sanctorum coelestibus a Christo peragi; et reipsa, hoc minime constat ex sola voce λειτουργὸς, etiam si ponamus cum Thalhofer λειτουργὸν idem significare ac sacrificatorem (1). Nonne enim sacerdotium et sacrificium sunt correlativa, uti alioquin expressis verbis monemur in v. 3 : « Omnis pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur »; itaque si Dominum nuncupare fas est ἀρχιερέα, uti annuit Thalhofer, quia sacrificium cruentum quondam obtulit, non etiam λειτουργὸν appellari potest, quoniam in cruce seipsum sacrificavit ?

Sed instat auctor, et alteram rationem invocat : ex ipsa intima connexione, inquit, quae inter v. 2 et v. 3 viget, actu aliquid a Christo in coelis offerri constat. Petimus autem : ubinam est argumentum, quo patescat hanc oblationem in coelis, quam textus profecto respicit (2), esse sacrificium proprie dictum, quum

(1) Cf. enim *Rom.*, XIII, 6, ubi λειτουργοὶ vocantur magistratus, qui reipublicae praesunt; *Rom.*, XV, 15, seipsum vocat Apostolus : « λειτουργὸν Christi Jesu in Gentibus : sanctificans evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, et sanctificata in Spiritu Sancto »; hoc ultimo loco, vox λειτουργὸς,per figuram saltem, de sacrificatore posset intelligi, sed *Philipp.*, II, 25, Epaphroditum vocat Paulus : « λειτουργὸν necessitatis meae », et in ipsa epistola ad *Hebr.*, I, 7, legitur Deum fecisse « angelos suos λειτουργοὺς (id est, ministros suos) ». Ex etymo enim λειτουργὸς ille est, qui peragit opus publicum, et exinde satis explicantur diversae illae acceptationes; in materia vero sacra, λειτουργὸς praesertim dicitur ipse, qui sacrificium perficit, adeoque ad *Hebr.*, VIII, 2, sensum a Thalhofer propositum acceptamus.

(2) Non sufficit igitur ut dicamus cum STENTRUP, *o. c.*, II, p. 286 s., sacrificium coeleste, de quo agitur in *Hebr.*, VIII, 1 s., esse ipsum sacrificium cruentum, hac appellatione non a loco, ubi illud offertur, sed a natura ipsius sacrificii crucis desumpta; cf. etiam PRAT, *o. c.*, I, s. 537. — Ex oppositione enim inter vv. 2-3 et vv. 4-6 manifestum videtur Christum offerre in ipso coelo, sed sacrificium improprie dictum, uti in textu nostro explicatur; ad talem autem oblationem devenimus, non ex solo sensu vocis λειτουργὸς aut

magis obvia aliunde, et argumento totius epistolae magis consentanea, videatur haec explicatio, quae Christum proclamat tabernaculi veri ministrum, quia « sempiternum habet sacerdotium..., semper vivens ad interpellandum pro nobis » (1) ; hoc sacerdotium perpetuum obtinuit Christus ex capite cruentae suae immolationis, nam « unam pro peccatis offerens hostiam (προσενέγκας θυσίαν), in sempiternum sedet in dextera Dei », atque « una oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos » (2).

* * *

Offensiva jam methodo confutationem prosequi liceret, et facile demonstrari posset hoc sacrificium coeleste, quale ab eximio theologo describitur, non esse oblationem proprie dictam, siquidem exhibitio vulnerum crucifixionis nullum involvit actum proprie sacrificalem, sed ad summum passionem et mortem Domini commemorat ; ne autem considerationes quasdam praeoccupare videamur, quae in parte tertia, ubi de essentia sacrificii Eucharistici, latius evolventur, statim ad comparationem transimus, quam Thalhofer cum sacrificio diei expiationis instituit, ut sententiam suam illustratam et confirmatam habeat ; haec porro collatio, nedum theoriam sacrificii coelestis lumine aut robore muniat, multo magis eamdem obnubilat atque infirmat.

Apodictice in prima parte probatum confidimus, aspersiones varias, ad quaedam sacrificia VT. consuetas, quamquam ad sacrificium essentialibus suis elementis jam constitutum accedebant, siquidem in quibusdam adjunctis omitti poterant, reapse tamen ad sacrificium integre et concrete spectatum pertinuisse, quia finem et intentionem offerentium, diversam pro diversis oblationibus, pressius manifestabant. Jamautem primo, sicuti aspersiones in Sanctis Sanctorum a pontifice judaico peractas, vocare non licet sacrificium ipsius tabernaculi, ita pariter, illam aspersionem in tabernaculo coelesti perfectam, quae praeterea non nisi metaphorica denuntiari potest, nuncupare nefas est sacrificium coeleste, et quidem proprie dictum. Secundo, in ritu VT., aspersiones quadam ratione sacrificium reipsa complebant, uti modo innuimus, et in prima parte ex

ἀρχιερεύς, siquidem sacerdotes non ad sacrificia improprie dicta sed ad proprie dicta offerenda deputantur, sed ex integro argumento hujus epistolae, quippe quae unitatem hujus sacrificii NL. quam maxime inculcet.

(1) *Hebr.*, VII, 24-25.

(2) *Hebr.*, X, 12, 14.

professo ostendimus, sed sacrificium crucis hisce in terris jam perfectum erat, et nullo pacto concedendum est aspersionem quamdam coelestem, quovis titulo, sacrificium cruentum complere, quin immediate contra doctrinam apertam ipsius epistolae ad Hebraeos graviter offendamus (1).

* * *

Concludimus ergo *theoriam sacrificii coelestis esse rejiciendam* ; attamen libenter profitemur cl. theologum optime ostendisse quemadmodum sub nova lege unum tantummodo sit sacrificium, quo omnes homines salvari oporteat. Auctor enim ep. ad Hebraeos nullibi nisi in cap. XIII, et quasi per transennam (2), sacrificium Eucharisticum respicit, sed dum sacrificium novae legis explanat, *talem propugnat unitatem sacrificii, aut imo talem unicitatem, quae opponi possit multiplicitati oblationum sub VT.*, quando victimae ineptae erant ad peccatum efficaci ratione delendum (3), ut reipsa nobis meta ponatur, et norma statuatur, quam in enodanda relatione sacrificii Eucharistici ad sacrificium cruentum sedulo perpendendam habebimus ; verum offertur sacrificium in ipso novo ritu celebrando, dum passio et mors cruenta Domini absque intermissione annuntiatur, sed nulla ratione sacrificio cruento derogatur.

(1) Cum tali explicatione enim ad errorem Socinianorum deveniremus, qui mortem Christi verum fuisse sacrificium negabant, et sacrificium proprie dictum unice in coelis perficiendum asseverabant. Hunc errorem prorsus respuit Thalhofer, neque illum ei imputamus, sed advertimus primo, collationem cum sacrificio diei expiationis non esse urgendam, et hanc comparationem insuper minime illustrare sacrificium coeleste proprie dictum, quale a Thalhofer propugnatur. Refutata theoria sacrificii coelestis, jam praecipuam rationem Socinianorum simul convulsam habemus, et ita indirecte quasdam opiniones de sacrificio Missae excludimus, in parte prooemiali breviter adumbratas, et cum eodem errore Socinianorum connexas ; de his theoriis neotericis, in Anglia praesertim enatis, cf. interim eximium opus concinnatum a Mortimer, *The Eucharistic Sacrifice*, p. 82 s. et p. 106 s.

(2) Bellarminus, *De Missa*, I, cap. 6, hoc testimonium ex Hebr., VIII, 1 s., audit de Eucharistia, sed talis explicatio cum v. 4 minime consentit, quum ibidem doceamur Christum offerre in coelis, et non super terram ; attamen non excluditur hoc loco omne sacerdotium Christi hisce in terris, sed solum sacerdotium secundum legem, uti expresse in eodem v. 4 innuitur, quamquam Hebr., VIII, 1-6, directe non respicit sacerdotium quoddam in terra exercendum.

(3) Cf. *Hebr.*, X, 1 s.

§ 2. — *Argumentum in favorem nostrae sententiae ex epist. ad Hebr., XIII, 10.*

Accedimus nunc ad caput XIII, in quo auctor epistolae, in v. 10, inopinanter ad Eucharistiam alludit (1), quando in fine suae exhortationis monita quaedam practica subdit, quae diversissimas quaestiones tangunt : « Charitas fraternitatis maneat in vobis (v. 1). Et hospitalitatem nolite oblivisci (v. 2)... Mementote vinctorum (v. 3)... Honorabile (sit) connubium in omnibus, et thorus immaculatus (v. 4)... Sint mores sine avaritia (v. 5)... Mementote praepositorum vestrorum (v. 7)... Doctrinis variis, et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis : quae non profuerunt ambulantibus in eis (v. 9). Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt (v. 10). Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra (v. 11). Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est (v. 12). Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes (v. 13). Non enim habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus (v. 14). Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis (*θυσίαν αἰνέσεως*) semper Deo, id est, fructus labiorum confitentium nomini ejus (v. 15). Beneficentiae autem, et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus (v. 16). Obedite praepositis vestris... (v. 17), (et) orate pro nobis (v. 18) ».

Ex toto illo contextu statim apparet quantum valeat argumentum, quod auctores quidam, ex arcta connexione vv. 9-15 cum integra epistola, deducunt, ut ad altare Eucharisticum ibidem alludi excludant, et *θυσιαστήριον* de ara crucis audiant (2).

(1) Censet Belser, *art. cit.*, in *Theol. Quartalschrift,* XCV, p. 13 s., Eucharistiam pluries memorari in ep. ad Hebraeos, et indicat, praeter locum statim disputandum, Hebr., XIII, 10, adhuc Hebr., X, 29; XII, 24 et XIII, 20. — In tribus his testimoniis agitur revera de « sanguine testamentario », quâ locutione, uti ad interpretationem narrationis institutionis Eucharistiae advertimus, indicatur reipsa sanguis sacrificalis; attamen etiam adnotavimus, hac sola expressione non constare, utrum necne hic sanguis actu effundatur, itaque arguimus in art. praec., non ex hac sola formula, sed adhuc ex contextu. Jam autem, contextus in tribus his locis non innuit agi sacrificium Eucharisticum, et rationes, quas auctor in sensum oppositum adducit, rem non conficiunt.

(2) Ita recentius Batiffol, *Nouvelles Études documentaires sur la s. Eucharistie*, apud period. RCF., LXVI, p. 516, 1909; P. Haensler, *Zu Hebr.*, XIII, 10, apud *Bibl. Zeitschrift*, XI, p. 403-409, 1913. In hoc ultimo art. simul reperies auctores citatos, quos in eumdem sensum, aut etiam in sensum

Nihil mirum sane, ubi quaestiones tam diversae agitantur, auctorem subito, ob necessitatem alioquin practicam, uti v. 9 insinuat, de Eucharistia et de altari agere christiano, eo vel magis quod haec monitio, in vv. 9-10, intimiore ratione, quam exhortationes ad charitatem, obedientiam et castitatem, cum thesi de sacerdotio Christi in epistola probanda, cohaereat.

Instant tamen exegetae, qui θυσιαστήριον de ara crucis intelligunt, et arctam connexionem v. 10 v. ad 12 invocant : haec est causa, aiunt, cur Judaei, qui procul omni dubio sunt illi tabernaculo servientes, de altari christiano comedere nequeant, quia nimirum, Christus extra portam passus est, utpote hostia pro peccato ; Christus enim extra civitatem in cruce immolatus est tanquam victima piacularis ; atqui talem hostiam manducare lex omnino prohibebat (1).

Haec consideratio porro rem minime convincit : et enim, eadem est victima, tum in ara crucis, quum in oblatione Eucharistica, itaque eamdem connexionem inter v. 10 et vv. 11-12 salvamus, etiam si v. 10 obvio suo sensu legimus, et ibidem φαγεῖν audimus, non de manducatione spirituali et metaphorica, qualem fingunt fautores sententiae nobis adversantis, sed de manducatione reali et objectiva ; haec nostra interpretatio insuper, per oppositionem v. 9 ad v. 10 commendatur (2). — In v. 9b. enimvero agitur de escis veris,

oppositum, invocare licet.— Inter illos, qui locum citatum non de Eucharistia audiendum esse autumant, eminet s. THOMAS, *Comm. in Ep. ad Hebr., XIII, 10* (ed. VIVÈS, XXI, p. 729, Parisiis, 1876); ita adhuc ESTIUS, *Comm. in Ep. s. Pauli et reliq. Apostol.*, p. 1084, Coloniae Agrip., 1631.—Eodem modo hoc testimonium interpretantur haud pauci protestantes hodierni, qui saltem profitentur agi l. c. de quodam sacrificio ; cf. RIGGENBACH, *Der Brief an die Hebräer*, in ZAHN's *Kommentar zum NT.*, XIV, Leipzig, 1913. — Exegetae et auctores dogmatici catholici plerique nunc probabilius habent ibidem respici altare christianum ; cf. DORSCH, *o. c.*, p. 38 s. et RAUSCHEN, *Euch. und Buszsakrament*, p. 82 s. ; ita etiam quidam protestantes, quos infra indicabimus.

(1) Ita arguit adhuc KOCH, *Das Abendmahl im NT.* (*Bibl. Zeitfragen*, IV, 10), p. 25 ; cf. etiam HUYGHE, *Comm. in Ep. ad Hebraeos*, p. 274, Gandavi, 1901, qui hanc considerationem optime confutat.

(2) Non assentimus igitur ZAHN, *Einl. in das NT.*, II, p. 138, Leipzig, 1907[3] et BATIFFOL, *Euch.*, p. 111, qui nullam connexionem inter v. 9 et v. 10 admittunt ; particulae conjunctivae, uti γὰρ, διὸ, οὖν, quae in sequentibus vv. abundant, in vv. 9-10 revera desiderantur ; sed, uti infra dicemus, connectuntur omnes vv. 10-15 per particulas conjunctivas, neque tamen tam arcte mutuo opponuntur aut conjunguntur ideae, quae successive in eisdem vv. evolvuntur ; oppositio vero inter v. 9 et v. 10 ex ipsa sententia proposita prorsus intima apparet. — Escae, de quibus v. 9, sunt escae sacrificales, et non manna ex deserto, uti quidam exegetae opinati sunt ; hoc satis

et quidem sacrificalibus, quibus cor stabilire conantur illi, nempe Judaei, qui in eis ambulant (1) ; auctor ad rem igitur his alimoniis sacrificalibus cibum opponit Eucharisticum, illumque cum altari connectit christiano, « de quo edere non habent, qui tabernaculo deserviunt » (2). Contorta alioquin apparet explicatio, quae contendit christianos comedere de ara crucis, quia et in quantum meritum sanguinis Christi sibimetipsis applicant, et Christo tanquam capiti incorporantur.

Respicit ergo Hebr. XIII, 10 *altare christianum, oppositum altari judaico*, et obvia inde illatio : *christiani habent sacrificium actu super illud altare oblatum*, et *hoc suum sacrificium sacrificiis judaicis merito opponunt* (3).

* * *

Haec conclusio nimis aperte contradicit opinioni, quam

constat ex integro argumento epistolae, et ex scopo ipsius auctoris, qui judaeo-christianos a cultu Judaismi abducere studet; a manducatione mannae lectores avertere nullatenus erat necessarium.

(1) Quidam auctores βρώματα, de quibus in v.9, idolothyta audiere, sed haec interpretatio non tantum cum contextu, sed cum integra epistola pugnat; cf. HOLLMANN, *Der Hebräerbrief (Schriften des NT., hrsg. von* J. WEISS, II), p 499, Göttingen, 1908[2]. Sufficiat indicare sententiam prolatam a WINDISCH, *Der Hebräerbrief erklärt*, in *Handbuch zum NT., hrsg. von* H. LIETZMANN, IV, 3, p. 106, Tübingen. 1913, qui in loco disputato impugnari putat aliquam tendentiam ad syncretismum ex doctrinis judaicis, orientalibus et hellenisticis conflatum, et connexum cum quibusdam praescriptionibus de cibis sumendis; exhortationem in hisce vv. contentam ita legit : « Dasz Speisen nichts helfen ist daran zu sehen dasz es auch bei uns heiszt : Weg vom Tisch, hinaus aus der Stadt in Schmach und Elend » !

(2) Quidam doctores,contra sensum manifestum v.10, illos qui tabernaculo deserviunt volunt esse ipsos christianos ; ita VON SODEN, *Der Hebräerbrief*, in *Hand-Commentar zum NT., hrsg. von* H. J. HOLTZMANN, III, 1, p. 107, Freib. in B., 1899[3] ; ZAHN. *Einl. in das NT.*, II, p. 143 ; RÉVILLE, *o. c.*, p. 70 ; O. HOLTZMANN, *Der Hebräerbrief und das Abendmahl*, in ZNWKU., X, p.255, 1909 ; GOGUEL, *o. c.*, p. 218; O. SCHMITZ, *o. c.*, p. 278. — O. HOLTZMANN, verba « πρώτη σκηνή », in Hebr., IX, 8, audit de ordinatione divina sub VT. manifestata, dum luce meridiana clarius ibidem de duabus partibus Tabernaculi agitur ; in Hebr., XIII, 10, σκηνή, ad mentem ipsius, designat templum pneumaticum NT., in quo Christus seipsum obtulit !

(3) Ita auctores catholici, sive dogmatici, sive exegetici plerique ; cf. I. ROHR, *Der Hebräerbrief erklärt*, p. 41, Berlin, 1912. Haud pauci protestantes hanc thesim admittunt, licet posterius, cum de essentia hujus sacrificii agunt, a catholicis omnino discedant ; ita GOETZ, *o. c.*, 195 ; HAMMOND, *o. c.*, p. 23 s. — KATTENBUSCH, art. *Messe*, I, apud PRE., XII, 671, Leipzig, 1903[3], hanc conclusionem probabilem appellat, sed in ep. ad Hebr., jam aliqualem evolutionem coenae primitivae detegendam censet, quae, uti patet, ab auctore gratuito affirmatur.

excogitavit Renz (1), ut non totis viribus demonstrare moliretur θυσιαστήριον indicare aram crucis, aut imo ipsum Christum; verum, nullum argumentum attulit, quod non audivimus et confutavimus. Ita pariter Wieland (2), qui in convellendis rationibus modo propositis multum allaborat.

« Exeamus igitur ad eum extra castra », in v. 13, est quaedam exhortatio, quae manifeste figurate est intelligenda, quum Christus jam non amplius cruci sit affixus ; haec est prima ipsius consideratio, ex qua θυσιαστήριον pariter figurate audiendum esse constare oportet. Verba « extra castra », in v. 11, ait deinde, immediate, per particulam γὰρ, cum voce θυσιαστήριον, in v. 10, connectuntur; arcta relatione rursum colligatur v. 12 ad v. 11 (διὸ καὶ Ἰησοῦς) et ita adhuc v. 13 ad v. 12 : « τοίνυν ἐξερχώμεθα »; vv. 10, 11, 12 et 13 grammatice et logice proin ita cohaerent, ut totam illam pericopen per figuram interpretari debeamus, quandoquidem ad Christum extra castra crucifixum, in sensu proprio locutionis, exire non possimus.

Jam autem, connexionem intimam, in vv. 10-13, aeque ac Wieland propugnamus, et nos pariter, in v. 13, non reperimus exhortationem ut extra castra ad Christum adhuc cruci affixum exeamus; attamen inde θυσιαστήριον figurata ratione audiendum esse non opinamur.

Scopus enim totius epistolae hic est, ut judaeo-christianos a cultu judaico retrahat (3): in v. 9, auctor lectores praemunit contra doctrinas varias et a recta traditione alienas, ad cultum judaicum et ad escas allicientes, quae nihil ambulantibus in eis prodesse possunt. Imo, ita in v. 10, si esca necessaria sit, habent christiani altare et sacrificium, de quo nequidem edere possunt, qui adhuc tabernaculo deserviunt; Judaeis enim de sacrificio piaculari manducare nefas est (v. 11) ; atqui Christus, cujus idem corpus in cruce quondam cruente, et nunc denuo mystice immolatum, de altari sumere licet, extra portam passus est (v. 12). Exeamus igitur ad eum extra castra, et renuntiemus omni communitati cum Judaeis, improperium portantes ipsius Christi, quem Judaei persecuti sunt, sicuti et nos persequentur (v. 13) ; sed tales tribulationes minus referunt, siquidem hîc non habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus (v. 14).

Nihil in hoc ratiocinio vel leviter innuit θυσιαστήριον, in v. 10,

(1) Renz, *Geschichte*, I, 112 s.
(2) Wieland, *Opferbegriff*, p. 16 s.
(3) Cf. Prat, *o. c.*, I, p. 509.

figurate esse accipiendum ; imo, quum in v. 9 de escis agatur cum altari judaico et sacrificio rituali connexis, per ipsam oppositionem multo magis commendatur interpretatio, quae in v. 10, altare proprie dictum et sacrificium verum astruit.

Attamen Wieland, ex hoc ipso v. 9, sententiam suam confirmare studet : optimum ibidem dicitur esse gratia stabilire cor et non escis ; sed non intelligitur post hanc assertionem christianis categorice proponi manducationem Eucharistiae tanquam βρῶμα ; ergo, φαγεῖν spirituali modo audiamus oportet (1).

Patet responsum ad talem argumentationem, quae membrum finale v. 9 aperte omittit : in hoc enim ipso v. 9 specificantur alimonia, quibus cor stabilire nefas est ; excluduntur solummodo talia alimonia, « quae non profuerunt ambulantibus in eis », itaque merito, in v. 10, potius exspectatur ut de cibo quodam sermo fiat, qui comedentibus illum prodesse possit.

Tertiam adhuc rationem affert cl. auctor in favorem suae sententiae, sed hanc aeque infirmam : Christus, inquit, in v. 11, comparatur cum victima, de qua secundum legem edere non licebat ; sed haec hostia extra portam non offerebatur et nullum erat altare extra castra, itaque comparationem oblationis Christi cum sacrificio rituali tantum urgere vetamur ut locutionem, ἐξ οὗ (θυσ.) φαγεῖν, sensu litterali sumendam, et verum altare in v. 10 admittendum esse asseramus.

Tali argumento nihil prorsus respondendum est, quum textus nimis manifeste utrimque supponat oblationem, et consequenter etiam locum oblationis, seu altare, ubicumque demum illud positum sit. Comparationem autem non premendam esse libenter fatebimur, uti statim intimius explicabimus, neque demonstrationem nostram astruimus ex collatione v. 10 ad v. 11, aut ad vv. sequentes, sed ex oppositione v. 9 ad v. 10, ubi aperte de manducatione agitur escae sacrificalis ; ita porro plane commendatur interpretatio, quae θυσιαστήριον audit altare, et quidem tale de quo edere revera habent christiani, qui de cruce non nisi sensu metaphorico comedere possent.

Quae subdit cl. auctor de uno tantum admittendo sacrificio novae legis, ita ut de sacrificio distincto ab oblatione crucis nihil sit loquendum, aut quae disserit de ipso sacrificio crucis, quod προσφορά et oblatio vocari nequit nisi sensu metaphorico, quia Deo in cruce nihil donatur, haec simpliciter ejus ignorantiam et rela-

(1) Wieland, *Opferbegriff*, p. 18.

tionis sacrificii incruenti ad cruentum, et notionis sacrificii generice sumpti, patefaciunt; tales elucubrationes praeterea in prima parte satis refutatas confidimus.

* * *

Hucusque audivimus considerationes, quibus Wieland altare christianorum proprie dictum tollere conatus est; attamen, christiani habent sacrificium, et hoc sacrificium indirecte saltem indicatum reperit cl. criticus in v. 15, in quo, inquit, θυσία αἰνέσεως, ex ipsa oppositione hujus hostiae laudis ad sacrificia ritualia, luculenter designat sacrificium novae legis. Hoc sacrificium igitur est in « gratiarum actione », in « eucharistia », quae « per Christum (δι'αὐτοῦ) », ad consecrationem pronuntiatur, dum Christus, sub aspectu mortis suae cruentae, cum laude et gratiarum actione praesens sistitur (1).

Ubinam Wieland, in hoc textu, oppositionem hujus hostiae laudis ad sacrificia ritualia VT., imo substitutionem illius victimae pro his oblationibus detegere potuerit, nos revera fugit. Commentarium hujus pericopes, usque ad v. 14 inclusive, supra jam praestitimus. Uti autem locum disputatum vel leviter perpendenti statim non apparere non potest, miscentur in hac conclusione paraenetica exhortationes quam diversissimae, et saepe saepius ab imagine quadam in versiculo praecedente evocata, explicatur forma, qua monitio in versiculo sequente proponitur : ita nimirum in v. 13 invitantur lectores ut communitati cum Judaeis valedicant, et per figuram, quae et ipsa a v. 12 inspiratur, quia Christus extra portam passus est, haec exhortatio ita exprimitur : exeamus igitur ad Christum extra castra ; similiter idea moenium civitatis formam determinat v. sequentis : non habemus hîc manentem civitatem.

Quisnam vero, his rite perspectis, mirari posset auctorem epistolae, cujus scopus praecipuus in exponendo sacerdotio Christi et in opponendo sacrificio illius cruento ad sacrificia ritualia reponitur, orationem, per imaginem ceteroquin jam ut fructus labiorum designatam, adhuc ex terminologia sacrificali nuncupare hostiam laudis ? Advertamus deinde hanc indicationem pluries usurpari in

(1) Wieland, *Opferbegriff*, p. 27; cf. etiam Réville, *o. c.*, p. 70, qui in Hebr., XIII, 15-16 sacrificia christianorum indicari censet ; hac ratione vero reducimur omnino ad thesim protestantium, qui simpliciter sacrificium negant ; et revera hoc sacrificium quod adhuc admittunt nihil aliud est quam mera oratio, adeoque oblatio improprie dicta.

litteratura VT., quae praeprimis auctori epistolae obversatur (1); luce clarius praeterea ex integro argumento epistolae constat, non celebrationem Eucharistae, ad quam non nisi per transennam in Hebr., XIII, 10, alluditur, sed sacrificium crucis sustulisse sacrificia ritualia, quae peccatum delere nunquam potuerunt. In v. 16 tandem per eamdem figuram, eadem ratione adductam et intelligendam, beneficentiam et communionem esse « hostias » legimus, et ita interpretatio nostra perfecte commendatur.

* * *

In fine hujus sectionis sequentem conclusionem scribimus : *ex testimonio I Cor., X, 14 s. et verbis institutionis Eucharistiae, confirmatis per pericopen ex Hebr., XIII, 10, elucet, in celebranda Eucharistia, Deo offerri verum sacrificium, ad normam oblationum VT. intelligendum ; haec oblatio est simul ad sacrificium cruentum relativa, adeoque primo contra Vasquezium demonstratum habemus nullatenus distinguendum esse inter sacrificium absolutum, quod destructionem involvit et sacrificium relativum, quod talem notam excludit ;* sacrificium Eucharisticum, licet essentialiter relativum, etiam est sacrificium verum, cui applicari potest, imo debet definitio sacrificii generice sumpti, quam praesertim ex praescriptionibus ritualibus VT. deduximus.

In hac applicatione profecto, quae ad disquisitionem dogmaticam spectat, relationem intestinam ad sacrificium crucis, necnon formam specialem, qua celebratur ritus Eucharisticus in benedictione panis et vini, per ipsa verba Christi, prae oculis servemus oportet, sed eligendum non est, uti vult Vasquezius, inter sacrificium quoddam absolutum, quale invenit in VT., et sacrificium mere relativum, quale unicum agnoscit Eucharisticum. Sacrificium Eucharisticum simul verum est et relativum, et haec est praecipua difficultas, quae in parte dogmatica solvenda manet, et a Vasquezio mera negatione evitatur.

Ex disputatis hucusque *patescit insuper relinquendam esse theoriam propositam a Renz et Wieland*, qui plane concinunt in impugnanda necessitate applicationis definitionis genericae ad ritum Eucharisticum ; Renz autem ex sola Traditione suam theoriam convivii sacrificalis statuere conatur, sed identidem tamen, in

(1) Ita (juxta *Vulg.*) *Ps.* CXV, 17 : « Tibi sacrificabo hostiam laudis » ; cf. adhuc *Ps.* XLIX, 14 et 23, necnon *Ps.* CVI, 22 : « sacrificium laudis » ; vide etiam *Tob.*, VIII, 19 et forsan *I Mach.*, IV, 56. In *Os.*, XIV, 3 imo legimus : « Reddemus vitulos labiorum nostrorum ».

vertendo et in interpretando textu sacrae Paginae, hanc suam opinionem jam praeparat; Wieland e contra non solum ad negandam sententiam nostram, sed adhuc ad conficiendam suam theoriam orationis eucharisticae, Scriptura sacra positive utitur; at vero quantum valeant utriusque rationes ex confutatis, quinimmo saepe ex indicatis eorum argumentis, luculenter patescit.

Minime etiam in Hebr., VIII, 1 s. deprehendere potuimus sacrificium aliquod coeleste proprie dictum, quo essentia sacrificii Eucharistici explicari aut illustrari valeat; attamen ex argumento totius epistolae eruere fas est hanc conclusionem, quam infra pariter examinandam habebimus: *unum est tantummodo sacrificium novae legis;* sacrificium Eucharisticum, licet verum, sacrificio crucis nullatenus derogare profiteamur oportet.

CAPUT II.

TRADITIO PATRISTICA ANTE CONCILIUM NICAENUM (a. 325).

In capite secundo hujus secundae partis traditionem primitivam examinandam suscipimus, eo praesertim scopo ut videamus utrum theoriae, quas Renz et Wieland propugnaverunt, fundamentum aliquod habeant in doctrina Ecclesiae primitivae, an potius interpretatio a nobis proposita ex primis illis documentis confirmationem accipiat. Quum controversia circa prima monumenta praeprimis vigeat, in iisdem pervolvendis magis immorabimur, et penitus quidem singula testimonia perscrutabimur, primo, quia quidam auctores, licet etiam has theorias neotericas rejecerint, innovationi nihilominus, per istas elucubrationes in quaestionem de essentia Missae sacrificii illatae, suum momentum non tribuisse nobis videntur (1); secundo, quoniam haec opera revera multas laudes obtinuerunt, tum apud aliquos criticos catholicos (2), quum apud protestantes modernos magni nominis (3), itaque operae pretium fuerit ostendere quam parum tales deductiones a traditione primitiva commendentur.

(1) Cf. Lebreton, *art. cit.*, in *Dict. Apol.*, I, 1566; Rauschen, *Euch. und Buszsakrament*, p. 60 s.

(2) Rauschen, *l. c.*, laudes adnotat quas nacta est dissertatio historica a Renz conscripta (v. g. apud Leyendecker, *Studien uud Mittheilungen aus dem Benediktiner- und Cistercienser-Orden*, XXV, p. 858 s., Brünn, 1904) et deinde pergit : « In vielen Einzelkeiten kann man natürlich anderer Meinung sein als der Verfasser ; auch sind seine Schlüsse öfters voreilig, die beigebrachten Gründe nicht so beweiskräftig, als er voraussetzt. Trotzdem musz man sagen, dasz das Buch die ihm gewordene Anerkennung vollauf verdient » ; cf. etiam L. Baillet, in recensione operis apud RHE., VII, p. 71 s., 1906. — Prima dissertatio a Wieland concinnata pariter quasdam adprobationes accepit, quas ipse notavit in altero suo opusculo (*Opferbegr.*, p. vi) ; hanc secundam opellam porro multum impugnaverunt critici catholici non pauci, uti in parte prooemiali diximus. Ex decreto s. Congr. Indicis, diei 2ae Jan. 1911, *Mensa et Confessio* et etiam *Der vorirenäische Opferbegriff* in Indicem relata sunt.

(3) Kattenbusch, art. *Messe*, I, in PRE., XII, 665, Leipzig, 1903[3], multum laudat historiam a Renz conscriptam, et addit : « Ein protestantisches Werk in Analogie zu dem Renzschen wäre eine dringende, nicht leichte Aufgabe ». — Harnack, *Dogmengeschichte*, I, p. 233, n. 1, cum laude loquitur de priore opere a Wieland concinnato ; idem etiam multum commendavit in oratione habita a. 1907.

Praeterea, disputatio de sacrificio Missae apud protestantes hodiernos paulatim loco mutata est, quod in parte prooemiali jam animadvertimus; quidam enim inter illos reapse profitentur celebrationem Eucharistiae in documentis primitivis tanquam sacrificium proponi et describi, sed sententia catholica de *existentia* sacrificii novae legis ita admissa in terminis, deinde longius, in explicanda *essentia* hujus oblationis, uti pariter notavimus, ab opinione catholica recedunt (1). Quando igitur contra Renz et Wieland comprobaverimus unam semper et eamdem fuisse fidem in Ecclesia, inde a Doctrina XII Apostolorum ad usque s. Irenaeum et s. Cyprianum, tunc indirecte demonstratum erit protestantes modernos aeque a recta via deflexisse ac reformatores, quos nunc caecitatis accusant, quoniam sacrificium in celebratione Eucharistiae negaverunt.

In sectione prima dicemus de Patribus, quos vocant apostolicos; in sectione secunda tractabimus de apologetis II saeculi, inter quos maxime excellit s. Justinus; in tertia sectione tandem testimonia Patrum saeculi tertii adferemus.

Sectio I.

Patres apostolici.

— « Patres apostolici inde a saeculo XVII disciplui apostolorum nominantur vel scriptores ecclesiastici, qui apostolos audivisse putabantur » (2). — In hac sectione testimonium Doctrinae XII Apost., epistolae Barnabae, s. Clementis romani et s. Ignatii antiocheni audiemus.

Art. 1. — Doctrina XII apostolorum.

Inquisitionem coepimus a Διδαχή, seu Doctrina XII Apostolorum, quam critici, communi fere ratione, uti primum documentum christianum considerant (3). In cap. XIV, nn. 1-3, ibidem legimus :

(1) Cf. Goetz, *o. c.*, p. 185; vide supra, p. 36 s.

(2) F. X. Funk, *Patres Apostolici*, I, p. I s., Tubingae, 1901².

(3) Illud documentum ab ill. Bryennios, a. 1883, prima vice in lucem editum, ad ultima I saec. decennia referendum putat Batiffol, *Anciennes Littératures chrétiennes*, I, *Littérature grecque*, p. 70, Paris, 1901⁴; ita etiam Funk, *o. c.*, I, p. VI s.; v. ejusdem auctoris *Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen*, II, p. 108-141, Paderborn, 1899, vel O. Bardenhewer, *Patrologie*. p. 181, Freiburg in B., 1910³; *Geschichte der altkirchlichen Literatur*, I, p. 93 s., Freiburg in B., 1913². — A. Harnack, *Geschichte der altchristlichen Literatur*, II, *Die Chronologie*, I, p. 432, Leipzig, 1897, proponit a. 120-160, probabilius a. 130; notat vero Spitta, *Zur Geschichte*, p. 245 :

« Die Dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite (κλάσατε ἄρτον καὶ εὐχαριστήσατε), postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum (ὅπως καθαρὰ ἡ θυσία ὑμῶν ᾖ). — Omnis vero, cui est controversia cum amico suo, ne conveniat vobiscum, donec reconciliati sunt, ne inquinetur sacrificium vestrum (ἵνα μὴ κοινωθῇ ἡ θυσία ὑμῶν). — Hoc enim est dictum a Domino : In omni loco et tempore offeratur mihi sacrificium mundum (προσφέρειν μοι θυσίαν καθαράν), quoniam rex magnus sum, dicit Dominus, et nomen meum mirabile in gentibus » (1).

In hoc textu expresse edocemur ritum Eucharisticum esse sacrificium (θυσία), quod alioquin haud obscure jam innuitur, dum alluditur ad locum evangelii (2), in quo Christus munus ante altare relinquendum praecepit, ut prius reconciliatio cum fratre institueretur, quam sacrificium offerretur; idem constat ex celebri Malachiae prophetia ibidem citata (3), quae novam oblationem sacrificiis VT. substituendam praenuntiavit (4).

* * *

Protestantes recentiores hanc veritatem non infitiantur (5), sed in essentia hujus novae oblationis determinanda prorsus a catholicis recedunt ; de interpretatione eorum statim dicemus. Non adeo plana tamen atque obvia res apparuit J. Réville, cui ratum atque fixum est traditionem primitivam sacrificium aliquod in Eucharistia celebrandum omnino non novisse : Non potuit Didachè, ait, Eucharistiam non conferre cum sacrificio, et revera monentur fideles de confessione instituenda, antequam ad ritum Eucharisticum acce-

« Vorläufig sei bemerkt dasz, wenn die Didachè in der ersten Hälfte des zweiten Jahrhunderts fällt, die in sich aufgenommenen festen liturgischen Formen jener Gebete sicher bis in 's erste Jahrhundert reichen ». — P. Sabatier, *La Didachè ou l'enseignement des douze Apôtres*, p. 159, Paris, 1885, has paginas vel ante epistolas paulinas conscriptas autumat.

(1) *Didachè*, XIV, 1 s. (ed. Funk, *o. c.*, I, p. 32 s.).

(2) *Mt.*, V, 23-24. — Evangelium s. Mt. certo cognovit auctor Doctrinae, uti conficit E. Jacquier, *Le NT. dans l'Église chrétienne*, I, p. 58, Paris, 1911[2].

(3) *Mal.*, I, 11 ; recte notat Swete, *The Eucharistic belief in the second and third century*, apud period. *Journal of theological studies*, III, p. 164, London, 1902 : « This passage from Mal. is quite a locus classicus in early Eucharistic teaching ».

(4) Cf. Van Hoonacker, *Les douze petits Prophètes*, p. 713, Paris, 1908.

(5) Cf. Goetz, *o. c.*, p. 197 ; Mortimer, *o. c.*, p. 181 ; Darwell Stone, *o. c.*, I, p. 46 s. ; Goguel, *o. c.*, p. 243 ; vide adhuc Harnack, *Dogmengeschichte*, I, p. 231, n. 1, 1909[4].

dant ; ratio simul indicatur : ut mundum sit eorum sacrificium, et haec monitio per invocatum vaticinium Malachiae adhuc corroboratur. Verum, ea procedendi methodus in Doctrina sat mira videtur, neque improbabile apparet hanc comparationem et etiam citationem prophetiae in textu primitivo fuisse interpolatas, quandoquidem cum textu minime consentiunt. Plures loci ejusdem documenti ceterum idem suspicium provocant, et si talis solutio arbitraria habeatur, et vox θυσία authentica statuatur, concedendum nihilominus erit comparationem in rerum summa atque externa facie tantum haerere, siquidem notio Eucharistiae, in quantum est convivium spirituale et religiosum, ideam sacrificii ex integro excludit. Nullibi agitur de oblatione, quod decretorio modo conficiunt orationes, quas in cc. IX et X ejusdem monumenti legere fas est (1).

Prudenter omittit cl. doctor ostendere in quonam cum textu primitivo vaticinium haud conveniat, et quinam sint loci, qui suspicium ipsius confirmare valeant ; hanc igitur sententiam, suadente ipso auctore, tanquam arbitrariam relinquimus. Non adeo laxa praeterea et extrinseca apparet comparatio, et minime videtur evidens Eucharistiam, in quantum participationem convivii sacri, excludere sacrificium, uti profitetur J. Réville, qui insuper ad orationes cc. IX et X appellat, et in eisdem nullam mentionem oblationis reperit. Jamautem, multum disputatur inter criticos utrum necne hae orationes Eucharistiam respiciant (2), ast dato etiam eas ad Eucharistiam spectare, quidnam postulat ut eadem Doctrina in utroque loco de sacrificio loquatur ? Nonne magis obvium ut Didachè in cc. IX-X de Eucharistia ut sacramento, seu participatione convivii sacri, et in c. XIV de Eucharistia ut oblatione agat ?

*
* *

In quonam sit haec θυσία ex contextu sufficienter apparet : confert enim Didachè hoc sacrificium novum cum sacrificio judaico,

(1) J. Réville, *o. c.*, p. 54.

(2) Alii auctores enim has orationes agapen spectare autumant ; ita inter recentiores Ill. Ladeuze, *L'Eucharistie et les repas communs des fidèles dans la Didachè*, apud period. *Revue de l'Orient Chrétien* (ROC.), VII, p. 339-359, Paris, 1902 et D. Cagin, *L'Euchologie Latine*, II, *L'Eucharistia. — Canon primitif de la Messe*, p. 287 s., Paris, 1912 ; alii vero ibidem de agape praecipue agi sentiunt, sed in fine c. X ad Eucharistiam alludi putant ; ita Berning, *o. c.*, p. 167 ; alii tandem easdem orationes unice ad ritum Eucharisticum pertinere censent, uti Funk, *Patres Apost.*, I, p. 20, in n. ; Struckmann, *o. c.*, p. 3 ; Batiffol, *Euch.*, p. 60 s. In his ultimis tribus operibus litteraturam circa hanc disputationem reperies.

quod in evangelio relinquendum mandatur ante altare, dum reconciliatio instituitur; expresse dein ad vaticinium Malachiae provocatur. Jamautem, in evangelio agi de sacrificio rituali nemo diffitebitur; ex prophetia vero aperte constat oblationem novam antiquis sacrificiis fore substituendam.

Concedimus adhuc, ex repudiatis sacrificiis apud Malachiam potius innui vocem *minḥâh*, non sensu suo specifico, pro oblatione incruenta scilicet, sed sensu latiori, quem in I parte explicuimus, esse sumendam (1), ita ut simpliciter dicatur sacrificium aliquod novum et quidem mundum sacrificiis antiquis sufficiendum, quin ulterius addatur illud futurum esse incruentum aut cruentum; attamen haec plane sufficiunt ut asseramus hanc θυσίαν concipiendam esse ad normam sacrificii veteris legis, tum primo, quia comparatur ad oblationem antiquam, quae ratio est minus stringens; tum praecipue, quia sacrificium novum sacrificiis VT. substitutum annuntiatur. Praeterea, auctorem Doctrinae XII Apostolorum e regione syriaca, aut imo ex ipsa Palestina oriundum probabilius videtur (2); illa igitur sacrificia antiqua ipsi plane nota fuere, et eadem prae mente habuerit, quando sacrificium novum cum antiquo conferebat.

* * *

Jamdiu auctores protestantes, quorum inter recentiores tantum recensemus von der Goltz (3) et Harnack (4), per hanc θυσίαν indicari voluerunt sacrificium mysticum, quod orationes puro corde prolatae constituunt; ita et nunc Wieland (5) celebrationem Eucharistiae prima vice in Didachè tanquam θυσίαν designatam, juxta placita suae theseos per « orationem eucharisticam » explicandam dicit, et in hac innovatione primum stadium alicujus evolutionis comperit, quae paulatim notionem ritus Eucharistici adulterabit :

(1) Cf. Corluy, *Spicilegium dogmatico-biblicum*, II, p. 403, Gandavi, 1884; Lagrange, *Notes sur les prophéties messianiques des derniers Prophètes*, apud period. RBI., NS., III, p. 79 s., 1906; Van Hoonacker, *Les petits Prophètes*, p. 715.

(2) Ita Funk, *Patres Apost.*, I, p. XIII; J. Réville, *o. c.*, p. 46; O. Bardenhewer, *Patr.*, p. 18 et *Geschichte*, I, p. 96 s.; Goguel, *o. c.*, p. 231; Batiffol, *Euch.*, p. 58. — Pro Aegypto opinatur Harnack, *Chronologie*, I, p. 437, cum aliis non paucis.

(3) von der Goltz, *Das Gebet in der ältesten Christenheit*, p. 223, Leipzig, 1901.

(4) Harnack, *Dogmengeschichte*, I, p. 225.

(5) Wieland, *Opferbegriff*, p. 36 s.; cf. ejusdem auctoris *Mensa et Confessio*, p. 25.

iste ritus vocatur nimirum θυσία, sed sensu prorsus novo et hucusque inaudito, qui nullatenus notionem antiqui sacrificii importat.

Ut sententiam suam argumento muniat,advertit cl.auctor novum jam incipere Testamentum, cujus innovatio praeprimis in materia sacrificali apparet, quod ostendit epistola ad Hebraeos, in qua, per « θυσίαν αἰνέσεως διὰ Χριστοῦ », verisimilius Eucharistia designatur. Valorem hujus considerationis supra appendimus, et hoc argumentum nullum esse comprobatum est. Nullo modo ceteroquin percipimus cur, novo incipiente Testamento, quod arcte cum antiquo foedere connectitur, ipsas rerum notiones plane converti oporteat.

Ad rationem, quam ex collatione cum vaticinio Malachiae eruimus, cl. doctor hanc argumentationem opponit : tertium comparationis, ait, non est sacrificium, sed munditia oblationis, itaque minime petitur ut utrimque eadem definitio sacrificii habeatur. — Huic difficultati porro obvia patet responsio : ultro concedimus necessarium non esse ut sacrificia sibimet invicem in omnibus respondeant, et revera, in parte tertia, problema solvendum remanet quemadmodum definitio generica sacrificii conciliari possit cum iis elementis, quae sacrificium novae legis constituunt ; attamen procul omni dubio postulatur ut notiones sacrificii conveniant, tum in novo, quum in vetere Testamento, quod ad essentialia spectat, quoniam secus idem nomen res diversas denominaret. Oratio enim, etiam eucharistica, nullibi, nec in vetere, nec in novo foedere, nec in aliis quibuscumque religionibus, *sensu proprio* sacrificium nuncupatur ; ritum igitur Eucharisticum, si quoad essentiam suam oratione absolvatur, nullo titulo sacrificium vocare licebit (1).

Rem pariter non attingit instantia, quam depromit Wieland ex modo, quo illud sacrificium peragendum describitur : « convenientes, frangite panem et gratias agite ». Hoc testimonium, inquit, verti nequit : « offerte Deo dona », neque ullum donum aliunde in Eucharistia indicari potest. Jamvero, uti saepius adnotavimus, haec objectio falsae innititur opinioni de essentia sacrificii, sed facilis reipsa cum tali notione evadit arguendi methodus : prius statuitur sacrificium involvere aliquam donationem, et deinde frustra tale donum in Eucharistia requiritur.

Gratuito declarat igitur Wieland primum evolutionis stadium in Didachè esse admittendum, quoniam in eodem documento ritus Eucharisticus jam appellatur θυσία, et actus sacrificalis nihilominus

(1) Cf. etiam Huppertz, *Ueber dem Opferbegriff der drei ersten christlichen Jahrhunderten*, apud period. *Katholik*, XXXVII, p. 435, Mainz, 1908 ; Dorsch, *Opferch.*, p. 221 s. ; Rauschen, *Euch. und Buszsakrament*, p. 83.

oratione eucharistica absolvitur. Replicatur : si celebratio Eucharistiae est in mera oratione, haec celebratio immerito, sensu saltem proprio, sacrificium et θυσία nuncupatur ; si vero, nomine proprio, sacrificium vocatur, quod negare non intendit cl. criticus, tunc definitio generica, mutatis mutandis, applicanda venit, ita tamen ut essentia rei penitus non immutetur.

* * *

Minus radicalis est sententia quam tuetur Renz, cui sacrificium non in mera gratiarum actione cordis atque oris consistere videtur, sed in convivio, quod est gratiarum actio (1). Argumentum ipsius, brevi ratione ita exprimitur : panis unice frangitur ut sumatur ; postea grates Deo pro convivio sacro rependuntur (2) ; has gratias legimus, in cc. IX-X ; atqui, si panis frangitur ut sumatur, illud « frangere », quod ritum Eucharisticum describit, erit praeprimis praeparatio epularum, et hoc convivio, quod est gratiarum actio, sacrificium novae legis absolvitur.

Advertimus autem primo, cc. IX-X, si reapse de Eucharistia agant, sedulo secernenda a c. XIV, quippe quod sacrificium spectet, dum priora capita potius sumptionem seu sacramentum respiciunt. Secundo, omnino non percipimus quemadmodum hoc c. XIV legenti ritus Eucharisticus prima fronte tanquam convivium apparere debeat, uti Renz pronuntiat ; ex hoc enim quod panis frangitur ut sumatur, sane nondum sequitur ipsam sumptionem esse oblationem, licet etiam communio arcte cum sacrificio Eucharistico connectatur ? Tertio, alterum membrum prophetiae Malachiae in hac opinione penitus omittitur : multum revera insistit Renz in summa laude Deo, sub novo foedere, in epulis his sacrificalibus reddenda, ast praetermittit modum, quo nomen Jahve magnum in gentibus proclamabitur, nimirum per sacrificium, et quidem proprie dictum, uti paulo superius ostendimus. At vero manducationem cibi sacrificalis vocare non licet sacrificium proprie dictum, et valde dubitamus num aliquem exegetam invenire sit, qui explicationem illius prophetiae a cl. doctore elucubratam admittat.

Dicit nimirum, et hoc transmittimus, ex voce *minḥâh* essentiam hujus oblationis novae non esse eruendam, nec determinandum utrum haec cruenta an incruenta, futura sit ; attamen, pergit, siqui-

(1) Renz, *Geschichte*, I, p. 144 s.
(2) Cf. adhuc ejusdem auctoris *Opfercharakter der Eucharistie*, p. 12 s.

dem haec ipsa vocatur *minḥâh*, sicut illa *minḥâh tâmîd^h*, quam Aaron, a tempore unctionis suae, singula die, mane et vespere, per dimidiam partem Deo offerre debebat (1), et quum aliunde illa *minḥâh tâmîd^h* sacrificium fuerit alibile (Speiseopfer), satis innuitur novum hoc θυμίαμα, de quo agitur in prophetia, qualitatem simul in se continere illius supplementi, quod ad vetus sacrificium incensi, ad antiquum θυμίαμα, in mensa apponi legimus, qualitatem nempe panum propositionis, quos sacra Pagina pariter sacrificium appellat. Ideo, ita jam concludit, novum sacrificium, novum θυμίαμα etiam erit alimonium (2).

Talis constructio subjectiva nullam sane postulat refutationem, et non nisi ex necessitate intelligitur convivii in Eucharistia demonstrandi ; huc enim uno verbo redit argumentum : primo, novum sacrificium dicitur *minḥâh* ; atqui novimus quamdam *minḥâh tâmîd^h*, in qua escae offerebantur ; declaratur adhuc hoc sacrificium novum esse θυμίαμα ; atqui ad sacrificium incensi adjuncti erant panes propositionis, qui debebant comedi ; ergo satis innuitur novum sacrificium fore convivium, in quo profecto aliquid manducabitur !

*
* *

Conclusio nostra, multo magis obvia, haec est : dicitur in Doctrina XII Apostolorum ritum Eucharisticum esse θυσίαν ; quid sit haec θυσία non edocemur, sed quoniam alluditur ad sacrificium rituale judaicum coram altari relinquendum, donec amicitia cum fratre restituatur, et praesertim quia dicitur hanc θυσίαν, eam ipsam esse oblationem a Malachia praenuntiatam, et sacrificiis VT. substitutam, aperte declaratur hanc θυσίαν primo, non esse meram orationem eucharisticam, (quippe quae non esset sacrificium nisi improprie dictum), neque secundo, eam unice esse convivium etiam sacrificale, (quod erat complementum sacrificii, non ipsum sacrificium), sed *esse sacrificium proprie dictum, cui notionem sacrificii generice sumpti applicemus oporteat* (3).

(1) *Lev.*, VI, 20 (hebr. 13).
(2) Renz, *Geschichte*, I, p. 94.
(3) Cf. Rauschen, *Euch. und Buszsakrament*, p. 83, qui notat in Didachè non indicari in quonam sit sacrificium novum ; hoc ultro concedimus, si intelligitur nimirum in hoc documento non poni definitionem hujus novi sacrificii, ast certo certius sat clare dicitur saltem quid non sit, nempe non mera oratio eucharistica, neque solum convivium cum gratiarum actione.

Art. 2. — Epistola Barnabae.

In confirmationem suae theseos, adducitur dein a Wieland, epistola Barnabae (1), quae revera cum respectu ad prophetiam Isaiae omnem respuit « oblationem factam ab hominibus (ἀνθρωποποίητον... τὴν προσφοράν) » (2), ut solum poscat sacrificium spirituale : « sacrificium Domino cor contritum, odor suavitatis Domino cor glorificans eum, qui plasmavit ipsum » (3) ; omnino intelligere nequit cl. doctor (4) quomodo tales assertiones cum illa sententia convenire possint, quae concretam donationem in Eucharistia propugnat.

Respondetur : primo, non oportet concretam donationem in Eucharistia vindicare, et secundo, non advertit sane Wieland metaphoram, quae manifesta in his textibus apparet, et inde principium erroris.

At vero, auctorem epistolae cor contritum per figuram nuncupare sacrificium, non tantum ex hoc capite ubi de sacrificiis disserit, sed adhuc ex capite sequenti, in quo de jejunio agit, luce clarius affulget. Et re quidem vera ipsum jejunium, quod nos aperte docet Didachè (5), in primitiva Ecclesia plane ignotum fuisse ex quibusdam expressionibus ejusdem epistolae admittendum erit, nisi locutionem metaphoricam profiteri velimus. Ita nimirum ibidem legimus : « Ecce hoc jejunium, quod ego elegi, dicitDominus : solve omne vinculum injustitiae, ... dimitte fractos in remissione et omnem syngrapham iniquam discerpe » (6).

Probabilius ergo videtur auctorem hujus documenti sacrificium novae legis non attendisse, sed perperam ex hoc silentio concludit Goguel (7) celebrationem Eucharistiae ad mentem auctoris epistolae Barnabae non fuisse sacrificium. Non demonstratur

(1) Harnack, *Chronologie*, I, p. 410-428, putat Doctrinam XII Apost. ab hac epistola dependere ; juxta Funk, *Kirchengeschichtliche Abhandl.*, II, p. 77-108, hoc documentum, regnante Nerva, aut paulo postea, conscriptum fuerit ; demonstravit autem Ill. Ladeuze, art. *L'Epître de Barnabé*, apud period RHE., I, p. 31-40, hoc potius ad annos 130-131 esse referendum ; hanc epistolam igitur hîc extra ordinem chronologicum referimus, quoniam a Wieland statim post Didachè in adjutorium invocatur.

(2) *Epistula*, II, 6 (ed. Funk, *Patres Apost.*, I, p. 42 s.).

(3) *Ibidem.*, II, 10 (apud Funk, *l. c.*).

(4) Wieland, *Opferbegriff*, p. 42 ; cf. *Mensa et Confessio*, p. 48.

(5) *Did.*, VIII, 1 (Funk, *o. c.*, I, p. 18 s.).

(6) *Ep.*, III, 3 (Funk, *o. c.*, I, p. 44 s.).

(7) Goguel, *o. c.*, p. 257.

enim necessitas, quam supponit Goguel, ut quisquis de vetere sacrificio egerit, etiam de oblatione nova dicere debeat (1).

Art. 3. — S. Clemens romanus.

Eadem via, qua auctor epistolae modo laudatae, procedit s. Clemens romanus (2), qui, postquam lectores suos ad poenitentiam adhortatus est, ex exemplo regis poenitentis, et cum manifesta reminiscentia Psalmorum (3), ita pergit (4) : « Nullius rei, fratres, indigus est Dominus omnium, nihil a quoquam desiderat, praeterquam ut ipsi fiat confessio. Dicit enim electus David : Confitebor Domino, et placebit ei super vitulum novellum cornua producentem et ungulas ; videant pauperes et laetentur (5). Et rursus dicit : Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis tuae, et eruam te, et glorificabis me (6). Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus » (7).

Statim apparet quam immerito Wieland (8) ex hoc testimonio concludat s. Clementem quaecumque dona sacrificalia directe excludere, et quam gratuito pariter Renz (9) ex his verbis inferat s. pontificem omnem respuere rem oblatam, quae ad normam sacrificii pagani aut etiam judaici Deo donaretur. Deo revera nihil donatur per sacrificium, itaque ex hac erronea notione sacrificii

(1) Omittimus nunc *Passionem s. Andreae apostoli*, VI (ed. Bonnet, *Acta apostolorum apocrypha*, II, 1, p. 13, Lipsiae, 1898) : « Ego omni die sacrifico, non turis fummum nec taurorum mugientium carnes, nec hyrcorum sanguinem, sed immaculatum agnum cotidie in altare crucis sacrifico ». — Ibidem clare proponitur character sacrificalis celebrationis Eucharistiae, ast hoc documentum non ante finem V saeculi exortum videtur ; cf. Bardenhewer, *Patr.*, p. 71 et 82 s. et *Geschichte*, I, p. 568 ; Flamion, *Les Actes apocryphes de l'apôtre André*, p. 27 et 42, Louvain, 1911 ; Batiffol, *Euch.*, p. 33, n. 1, qui praeterea advertit cum Bonnet, illa Acta potius ad traditionem latinam pertinere.

(2) Primam tantum ep. ad Cor. esse genuinam passim admittitur ; haec vero circa a. 93-97 exarata videtur ; cf. Funk, *o. c.*, I, p. XXXII s. et p. XXXVI s. ; *Kirchengeschichtliche Abhand.*, I, p. 308-329 ; Batiffol, *Litt. gr.*, p. 11 s. ; Bardenhewer, *Patr.*, p. 23 s. aut *Geschichte*, I, p. 116 s.

(3) *Ps.* XLIX, 9 (juxta *Vulg.*) : « Non accipiam de domo tua vitulos : neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meae sunt omnes ferae silvarum, jumenta in montibus et boves ».

(4) *I Cor.*, LII (Funk, *o. c.*, I, p. 166 s.).

(5) *Ps.* LXVIII, 31-33 (juxta *Vulg.*).

(6) *Ps.* XLIX, 14-15 (juxta *Vulg.*).

(7) *Ps.* L, 19 (juxta *Vulg.*).

(8) Wieland, *Opferbegriff*, p. 50 s.

(9) Renz, *Geschichte*, I, p. 148 s. et *Opferch.*, p. 33.

generice considerati nihil arguendum est; praeterea ad rem non afferuntur haec dicta s. Clementis, qui profecto in hac sua exhortatione sacrificium novae legis non commemorat, sed nihil tamen negare intendit. Idem dicendum de aliis quibusdam locis, qui similiter ab iisdem auctoribus invocantur, quasi eamdem materiam respiciant, dum aliam omnino, et minime cum Eucharistia connexam, considerant. Ita v. g. scribit s. Clemens : « Haec igitur omnia cum ab eo (Deo) habeamus », nihil gloriandum est, sed « propter omnia gratias ipsi agere (εὐχαριστεῖν) debemus, cui est gloria in saecula saeculorum » (1). Talia testimonia, e contextu suo cum sunt avulsa, ob vocem εὐχαριστεῖν, de Eucharistia agere videri possunt; in contexta oratione vero quando leguntur, nihil ad materiam facere statim deprehenduntur (2).

* * *

Textus ex I epistola s. Clementis ad Corinthios, qui sine dubio in hac disquisitione de Eucharistia examinandi veniunt, capitibus constant XL-XLIV, in quibus auctor fideles increpat, quia « eos, qui sancte et sine reprehensione munera obtulerunt, episcopatu » ejecerunt (3).

Tota hac sectione de Eucharistia quaestionem moveri, licet illud nullibi explicite declaretur (4), satis elucet ex ipsis verbis ibidem

(1) *I Cor.*, XXXVIII, 4 (Funk, *o. c.*, I, p. 148 s.).

(2) Rauschen, *Florilegium patristicum*, VII, p. 156 s., Bonnae, 1909, inter monumenta Eucharistica primitiva refert I Cor., XXXIV, 5-7; notat autem Funk, ad *h. l.* (*Patres Apost.*, I, p. 142) : « Mihi de hac re nihil certi dici posse videtur ». — Goetz, *o. c.*, p. 158, ad I Cor., XLIX, quaestionem movet utrum necne ibidem de Eucharistia res agatur, sed s. Clemens probabilius hoc loco unum sacrificium cruentum commemorat; levis etiam est ratio, qua Dorsch, *Opferch.*, p. 231, in I Cor., LXI, 3 et LXIV, ob similitudinem textus cum orationibus quibusdam liturgicis, verba ἀρχιερεύς et προστάτης ἡμῶν in connexione cum sacrificio Eucharistico prolata autumat; cf. etiam Duchesne, *Origines du culte chrétien*, p. 50 s., Paris, 1909[5], qui adhuc I Cor., LIX, LXI ut orationes habet Eucharisticas, ab episcopo pronuntiatas; ita et Tixeront, *Histoire des Dogmes*, I, *La Théologie anténicéenne*, p. 122, Paris, 1909[6]; in alium sensum vide Batiffol, *Euch.*, p. 51, n. 1.

(3) *I Cor.*, XLIV, 4 (Funk, *o. c.*, I, p. 156 s.). — Vox ἐπισκοπῆς non ad substantivum δῶρα, sed ad verbum ἀποβάλωμεν, connectenda venit, quare lectionem a Dorsch, *Opferch.*, p. 230, n. 1, ex auctoritate mss. lat. et copt. propositam, et a Wieland, *Opferbegriff*, p. 50 s. acceptatam, quae legit δῶρα τῆς ἐπισκοπῆς rejiciendam putamus; cf. J Réville, *o. c.*, p. 41, n. 2 et Rauschen, *Euch. und Buszsakrament*, p. 83, n. 2.

(4) In I Cor., XLI, 1, cum ms. C, legit Funk, *Patres Apost.*, I, p. 150 : εὐαρεστείτω, quam lectionem commendare videntur Constitutiones Aposto-

adhibitis, et a criticis etiam passim conceditur ; nobis inquirendum restat quemadmodum sacrificium Eucharisticum ab auctore concipiatur ; ut hanc ipsius mentem assequamur, totam pericopen sedulo perpendemus.

Arguit s. pontifex praeprimis ex analogia ad vetus Testamentum, et lectores monet ut oblationes (τάς τε προσφορὰς) et officia sacra (καὶ λειτουργίας) perficiantur non temere et inordinate, sed statutis temporibus et horis (1). « Non in omni loco, ait, offeruntur sacrificia perpetua vel votiva vel pro peccatis et delictis, sed Hierosolymis tantum ; neque illic in quovis loco fit oblatio, sed in atrio templi ad altare... Videtis, fratres : quo majore cognitione digni sumus habiti, eo graviori periculo obnoxii sumus. Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Jesu Christo, Jesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et Apostoli a Christo ; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei » (2). — Apostoli porro « constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant » (3) ; sicut enim Moyses ex mandato divino, « cum aemulatio pro sacerdotio incidisset et tribus inter se dissentirent, quaenam illarum glorioso illo nomine ornanda esset » (4), per electionem divinam in virga ostensam, Aaron in sacerdotio constituit, ita et « Apostoli quoque nostri per Jesum Christum Dominum nostrum cognoverunt, contentionem de nomine episcopatus oborituram ; ob eam ergo causam, perfecta praescientia praediti, constituerunt praedictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent. Itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa ecclesia, quique inculpate gregi Christi deservierunt cum humilitate, quiete nec illiberaliter, et longo tempore ab omnibus testimonium praeclarum reportarunt, hos judicamus munere suo non juste dejici (ἀποβάλλεσθαι τῆς λειτουργίας). Non enim leve erit peccatum nostrum, si eos, qui sancte et sine reprehensione munera obtulerunt (προσενεγκόντας τὰ δῶρα) episcopatu ejicimus » (5).

S. Clementem romanum in hoc loco cultum et sacrificium

licae ; in ms. A legitur εὐχαριστείτω, quam lectionem adoptat Lightfoot, *The Apostolic Fathers*, I, *S. Clement of Rome*, II, p. 124, London, 1890 ; cf. Goguel, *o. c.*, p. 224, n. 3 et Batiffol, *Euch.*, p. 52, n. 5.

(1) *I Cor.*, XL, 2 (Funk, *o. c.*, I, p. 150 s.).

(2) *I Cor.*, XLI, 2 et 4 ; XLII, 1-2 (Funk, *o. c.*, I, p. 150 s. et 152 s.).

(3) *I Cor.*, XLII, 4 (Funk, *o. c.*, I, p. 152 s.).

(4) *I Cor.*, XLIII, 2 (Funk, *o. c.*, I, p. 152 s.).

(5) *I Cor.*, XLIV, 1-4 (Funk, *o. c.*, I, p. 154 s.).

christianum respicere auctores communi fere ratione profitentur (1), et hoc reapse ex parallelismo ad cultum et sacerdotium judaicum obvium apparet; nullo alio pacto praeterea admonitionem intelligere est ne Corinthii temere aut inordinate oblationes et officia sacra perficiant, aut eos, qui sancte et absque reprehensione munera obtulerunt, episcopatu ejiciant.

* * *

Ita non opinatur Wieland. De sacrificio, ait (2), non loquitur Clemens, sed functiones (ecclesiasticas) in genere unice considerat; quod patescit ex voce λειτουργία, quae actum quemcumque cultus externi indicare potest. Replicatur : liturgia reapse, ex etymo, opus publicum designat, adeoque recte pro toto munere sacro supponere potest; at vero, uti ad rem animadvertit Batiffol (3), et superius, ad expositam theoriam sacrificii coelestis pariter innuimus, hoc vocabulum apud LXX assuetum, praeprimis de officio sacerdotum et levitarum adhibetur (4); deinde, in hoc testimonio ipsum munus, a quo episcopos deturbari vetat s. Clemens, a s. praesule satis determinatur, quando prohibet quominus ab episcopatu dejiciantur illi, qui munera sancte et absque reprehensione obtulerunt.

Erronee legit Wieland (5) : « προσενεγκόντας, τὰ δῶρα τῆς ἐπισκοπῆς ἀποβάλωμεν » ; προσενεγκόντας nempe cum τὰ δῶρα conjungendum venit, sed hac etiam expressione, quae est stricte sacrificalis, nunc praetermissa, ex ipsa comparatione cum cultu VT. sufficienter constat non quodvis munus, sed munus sacrum utrimque attendi et illud quidem quod in sacrificium offertur.

Cum eadem instantia, qua textum omnino clarum Doctrinae XII Apostolorum eludere conatus erat, rursus respondet cl. theologus : Quum tertium comparationis sint καιροί atque τάγματα ... nullatenus sequitur oblationes utrimque eodem modo esse concipiendas (6). Replicamus autem, uti supra : non exigitur ut sacrificium, quum in antiquo, tum in novo foedere, plane idem habeatur,

(1) Cf. HARNACK, *Dogmengeschichte*, I, p. 231, n. 1; advertatur tamen velimus cl. auctorem alio prorsus modo quam nos essentiam hujus sacrificii definire; vide etiam MORTIMER, *o. c.*, p. 180; GOETZ, *o. c.*, p. 197; RÉVILLE, *o. c.*, p. 44; DARWELL STONE, *o. c.*, I, p. 51; GOGUEL, *o. c.*, p. 226.

(2) WIELAND, *Opferbegriff*, p. 49.

(3) BATIFFOL, *Euch.*, p. 53, n. 2.

(4) Cf. HATCH-REDPATH, *A Concordance to the Septuagint and other Greek Versions of the OT.*, ad vocem : λειτουργία, IV, p. 873, Oxford, 1895.

(5) WIELAND, *Opferbegriff*, p. 50; vide notam supra appositam, ubi textum retulimus.

(6) WIELAND, *o. c.*, p. 47.

sed postulatur saltem ut res utrimque quoad elementa essentialia conveniant, quoniam secus eodem nomine easdem condecorare omnino non liceret.

Ipse ceteroquin cl. criticus suis argumentis non multum fidere videtur, nam in fine suae elucubrationis, explicationem aliquam hujus sectionis subnectit, pro casu quo quis haec capita de Eucharistia nihilominus audienda contenderet. In hac explicatione, illa δῶρα tanquam caritatis donaria habenda sunt, quae fideles conferebant ad celebrationem Eucharistiae, quaeque ad cleri et pauperum sustentationem ordinata, ab episcopo juste ac scite distribuenda erant (1).

Hanc exegesim ex adverbiis ὁσίως - ἀμέμπτως commendari censet, et s. Justinum invocat (2), necnon testimonium Didascaliae (3), ex quibus patescere oportet, quanti momenti fuerit haec distributio episcopo reservata ; ideo verbum προσφέρειν, juxta sensum, quem et apud Justinum habet (4), ita intelligendum affirmat, ut nempe episcopi, vi muneris sui, sancte et sine reprehensione dona proposuisse dicantur (5).

Quomodo talem sententiam confirmet adverbium praesertim ὁσίως, quod potius actionem sacram indicat, nobis non apparet (6) ; indubium vero videtur usum, quem primo saeculo exeunte describit s. Clemens, non multum illustrari ex Didascalia, quae ex criticorum fere unanimi consensu ad tertium saeculum est reportanda ; quod locos attinet, qui ex s. Justino adducuntur (7), iidem vel consuetudinem spectant christianorum, qui sese mutuo et in specie pauperes adjuvabant, et hic usus nullo titulo cum sacrificio connectebatur, vel de praesentanda et subministranda materia agunt, quae partim ad celebrationem Eucharistiae inservire debebat (8) ;

(1) Wieland, *Opferbegriff*, p. 50 ; hoc etiam sensu, quem specialissimum vocat, sacrificium in Ecclesia primitiva propugnat Harnack, *Dogmengeschichte*, I, p. 226 ; cf. adhuc A. Andersen, *o. c.*, p. 62 ; Goetz, *o. c.*, p. 197, n. 4 ; Réville, *o. c.*, p. 42.

(2) S. Just., *I Apol.*, XIII (PG., VI, 345).

(3) Didascalia, II, 25 (ed. Funk, *Didascalia et Constitutiones Apost.*, p. 92 s., Paderbornae, 1906).

(4) S. Just., *I Apol.*, LXV ; LXVII (PG., VI, 428 s.).

(5) Wieland, *Opferbegriff*, p. 50.

(6) Wieland, *l. c.*, minus recte igitur ὁσίως vertit : gewissenhaft, seu cum scientia, juxta conscientiam ; ὁσίως potius dicit : sancte.

(7) S. Just., *I Apol.*, XIII (PG., VI, 345).

(8) S. Just, *I Apol.*, LXV ; LXVII (PG., VI, 428 s.) ; in his locis sumitur vox προσφέρειν sensu suo etymologico : obferre, praesentare ; itaque nihil exinde ad sacrificium determinandum eruere fas est ; vide infra, ubi ex professo de testimonio s. Justini agemus.

praeterea, nullibi in his textibus expressionem, προσφέρειν τὰ δῶρα, legere est, atqui de hac praecipue lis impraesentium movetur.

Addimus adhuc : erroneae criticae indicium est, in explicatione separare, quae in una expressione conjunguntur (1) ; at vero, manifestum est τὰ δῶρα significare posse donaria ; clarum pariter est significationem primogeniam verbi προσφέρειν hanc esse : praeponere, praesentare, afferre ; sed primo, vox δῶρα, quidquid sit de sensu primogenio, et imo de intimiore ipsius significatione in definienda essentia sacrificii, ex usu communi apud LXX saepissime munus sacrificale designat (2) ; secundo, προσφέρειν pro offerendo sacrificio vix non semper supponit ; tertio, et praesertim, integra locutio προσφέρειν τὰ δῶρα, in materia sacrificali, quasi unice adhibetur ad indicandum sacrificium proprie dictum atque actu oblatum (3). Ita profitentur critici plerique (4), quare merito suspicatur Batiffol (5) s. Clementem hoc loco respicere epistolam ad Hebraeos (6), quae pontificem ex hominibus assumptum et pro hominibus constitutum esse declarat ut : « offerat dona, et sacrificia pro peccatis ».

*
* *

Fatemur ingenue nulla speciali ratione testimonium s. Clementis in hac nostra disquisitione invocandum ; idcirco illud adduximus quia theorias neotericas ex s. Clemente confirmare studuerunt. Nihil mirandum igitur si s. episcopus ad characterem expiatorium hujus sacrificii non alludat, quod ipsi tamen crimini verterunt quidam

(1) Haec est etiam methodus, quam adhibet Réville, *o. c.*, p. 42 : « προσφέρειν signifie « apporter », « présenter », et δῶρον signifie don, au sens de cadeau ». Dein subjungit : « Dans les LXX, ce mot est employé, Gen., IV, 4, pour désigner les sacrifices de Caïn et d'Abel ; cf. Lév., I, 2 ; Mt., XV, 5. Les épiscopes faisaient l'oblation des dons apportés par les fidèles à l'église pour l'Eucharistie et l'assistance des indigents (v. s. le témoignage de Justin) ». Et ita dirimitur quaestio !

(2) Cf. Hatch-Redpath, *o. c.*, II, p. 359 s., Oxford, 1893, ad vocem : δῶρον; juxta istam Concordantiam, LXX per hoc vocabulum generatim indicant verbum *qorbân* vel etiam saepissime *minḥâh*.

(3) Cf. Hatch-Redpath, *o. c.*, VI, p. 1222 s., 1897 ad vocem προσφέρειν ; hoc verbum saepissime supponit pro *qârab*[h], in forma *hiph.* cum sensu sacrificali ; tota vero locutio, si unus alterve casus excipiatur, ubique de oblatione sacrificii audienda venit.

(4) Cf. Goguel, *o. c.*, p. 226.

(5) Batiffol, *Etudes d'Histoire et de Théologie posit.*, p. 296 s., Paris, 1907[5] ; s. Clementem certo novisse epistolam ad Hebr. passim admittitur ; cf. Jacquier, *Hist. des livres du NT.*, I, p. 451, 1906[6] et *Le NT. dans l'Église chrétienne*, I, p. 45, 1911[2].

(6) *Hebr.*, V, 1 ; cf. et *Hebr.*, VIII, 3.

critici (1), et etiam non requirendum cur relationem Eucharistiam inter ac mortem Domini non exposuerit (2). Attamen ex comparatione cum sacerdotio et cultu VT. addiscimus, celebrationem Eucharistiae involvere oblationem quamdam externam, quippe quum oblationes symbolicae aut mere spirituales, tali ordinationi non subjaceant, qualem proponit s. pontifex ut ordinatim omnia fiant (3). Quomodo haec oblatio peragenda sit, ulterius non exponitur ; praeter rem et per errorem adeo a Renz (4) objicitur : Illa dona externa quae offeruntur, juxta s. Clementem, nullatenus materiam sacrificii constituunt, quasi per hoc sacrificium, ad normam sacrificii pagani aut etiam judaici, Deo aliquid concedi et donari debeat. Ex eodem errore, uti apparet procedunt semper eaedem difficultates ; s. Clemens autem, dum celebrationem Eucharistiae secundum terminologiam ex VT. assumptam describit, *evidenter supponit notionem sacrificii in genere ex illo ritu depromendam esse, et quoad essentialia in Eucharistia applicandam*, quin tamen de ipsa applicatione sollicitus videatur (5).

Art. 4. — S. Ignatius antiochenus.

Transimus nunc ad septem epistolas s. Ignatii antiocheni, in quibus explicandis critici quam maxime ab invicem dissentiunt, licet omnes ad unum profiteantur locos, qui in iis epistolis de Eucharistia agere videntur, mira eminere obscuritate, quae plerumque ex charactere ipsius documenti procedit, et ex scopo quem sibi proponit s. martyr ; hoc dogma enim ex occasione solummodo

(1) Ita Réville, *o.c.*, p. 44, quem sequitur Goguel, *o.c.*, p. 228; expressio ceterum : « sacrificium expiatorium », jam quamdam explicationem postularet, quam praetermittimus, quoniam infra, in disquisitione dogmatica, penitius sacrificium Eucharisticum perscrutandum habebimus.

(2) Cf. Goguel, *o. c.*, p. 228.

(3) *Ibidem*, p. 226.

(4) Renz, *Opferch.*, p. 33 ; *Geschichte*, I, p. 149. Plane profitemur ipsa dona externa, si nempe intelligantur panis et vinum, non offerri, saltem ut talia, licet sint materia tanquam terminus a quo incipit actio sacrifica; lege Ill. ac Rev. Waffelaert, *Scholia de ss. Missae sacrificio*, apud period. *Coll. Brugen.*, XII, p. 737, 1907 ; at vero tales distinctiones theologicas, uti notavimus, non attendit s. Clemens, qui hanc expressionem a terminologia VT. mutuatam adhibet, ut sacrificium NT. designet.

(5) Gratuito proin asserit Goguel, *o. c.*, p. 227 : « Peut-être faut-il aller plus loin encore, et dire que Clément Romain n'a pas de théorie du sacrifice de communion car, s'il en avait eu une, il n'aurait pas manqué de l'exposer ou d'y faire allusion pour montrer l'importance de l'acte dans lequel il voulait faire intervenir l'autorité ecclésiastique ».

et per transennam tangit, ut conclusiones practicas inde deducat et lectores suos omni conatu ad unitatem servandam alliciat.

In epistola ad Philadelphenses hunc textum satis clarum tamen legimus (1) : « Ne erretis, fratres mei : si quis schisma facientem sectatur, regni divini hereditatem non consequitur ; si quis ambulat in aliena doctrina, cum passione non communicat. Studeatis igitur una Eucharistia uti (μιᾷ εὐχαριστίᾳ χρῆσθαι) ; una est enim caro Domini nostri Jesu Christi (μία γὰρ σὰρξ) et unus calix in unitate sanguinis ipsius (καὶ ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ) (2), unum altare (ἓν θυσιαστήριον), sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis ; ut, quod faciatis, secundum Deum faciatis ».

Ex oppositis terminis σὰρξ-ποτήριον, attento testimonio Scripturae sacrae ad narrationem praesertim institutionis Eucharistiae, ad evidentiam constat eamdem Eucharistiam heic respici, quae ceteroquin totidem verbis nominatur (μιᾷ εὐχαριστίᾳ χρῆσθαι) (3) ; in arcta autem relatione ad hanc Eucharistiam loquitur textus de altari uno et de uno proin sacrificio, sicut unus est episcopus cum presbyterio et diaconis ; celebrationem igitur Eucharistiae haud obscure tanquam sacrificium in textu describi concludendum autumamus.

(1) S. IGNATIUS, (+ 107), *Epist. ad Philad.*, III, 3 et IV (FUNK, *o. c.*, I, p. 266 s.).

(2) Auctores generatim (ita FUNK, *l. c.*; RAUSCHEN, *Floril.*, VII, p. 158 et ROUËT DE JOURNEL, *Enchiridion patristicum*, n. 56, Frib. Brisg., 1913²) haec verba: « εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος » vertunt : « in unitatem sanguinis ». — J. RÉVILLE, *o. c.*, p. 36, *ad h. l.* adnotat : « Il (s. Ign.) dit qu'il ne doit y avoir qu'une seule Eucharistie, parce qu'il n'y a qu'une seule chair du Christ, et que l'on doit boire à une seule coupe pour faire l'unité du sang du Christ » ; ita etiam GOGUEL, *o. c.*, p. 249. At vero, certocertius non agitur in textu de bibendo calice ad faciendam unitatem ; melius vertitur, uti videtur, in unitate sanguinis, seu in uno sanguine ; notant enim lexicographi particulam εἰς, ubi adhibetur absque relatione motûs, supponere posse pro particula ἐν, quacum ceteroquin originem communem habet. Non redundat tunc locutio : « in unitate sanguinis », sed magis insistitur ideae unitatis, siquidem conceptus formales calicis et sanguinis non sunt iidem ; fas est ideo in uno calice unum sanguinem Christi praesentem affirmare.

(3) Notat FUNK, ad *h. l.*, secundum Lightfoot, Ignatium locutum esse de altari spirituali ; « equidem, pergit, non video cur pater de Eucharistia vel cena Domini atque de altari dicens non etiam tabulam cenae in mente habuerit ». — Nullatenus etiam nos percipimus quomodo BATIFFOL, *Euch.*, p. 43 s., postquam unam carnem, unum calicem de Eucharistia audierit, ad altare, quod in eodem contextu occurrit, advertat illud esse altare veteris legis, « figura prophetica Christi » ; contextus enimvero omnino postulat ut illud altare intelligamus altare Eucharisticum.

Contra hanc explicationem porro difficultatem movent quidam ex aliis locis, quae in iisdem epistolis s. Ignatii occurrunt, et in quibus altare sensu metaphorico aut figurativo sumitur, pro ipso nempe conventu quem christiani adire solebant. Ita in epistola ad Trallianos: « Qui intra altare est, mundus est ; qui vero extra altare est, non est mundus ; hoc est, qui sine episcopo et presbyterio et diaconis quidpiam agit, is non est mundus in conscientia » (1). Similiter in epistola ad Ephesios : « Nemo erret : nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei. Si enim unius atque alterius precatio tantam vim habet, quanto magis illa, quae episcopi est et totius ecclesiae? Qui igitur in conventum non venit, hic jam superbia elatus est et seipsum separavit atque judicavit » (2).

In hoc ultimo saltem textu, quoniam ad panem Dei alluditur, de Eucharistia quaestionem moveri haud pauci auctores asseverant (3), ast dubium remanet ob similitudinem expressionis : « intra altare », quae in priori loco, in epistola ad Trallianos, indubie sensu figurativo sumi debet. In hac epistola ad Ephesios ceterum praecipua adhortatio ea videtur, ut in unum conventum cum episcopo conveniant, et non determinatur hic conventus ut specifice Eucharisticus. Pro doctrina christiana supponere potest alioquin « panis Dei », utputa in epistola ad Trallianos, in qua alimentum christianum, quod prima fronte non nisi Eucharistiam designare videtur, mox ex oppositione ad haeresim, doctrinam christianam nihilominus denominat (4).

(1) *Ad Trall.*, VII, 2 (ed. Funk, *o. c.*, I, p. 246 s.); cf. *Ep. ad Rom.*, II, 2 (Funk, *o. c.*, I, p. 254 s.) : « Nolite plus mihi praebere, quam ut immoler Deo, dum adhuc altare paratum est », quo loco Eucharistia nullatenus respicitur, uti luce est clarius

(2) *Ad Ephes.*, V, 2 (Funk, *o. c.*, I, p. 216 s.).

(3) Renz, *Opferch.*, p. 36; Struckmann, *o. c.*, p. 37; Wieland, *Opferbegriff*, p. 51; Dorsch, *Opferch.*, p. 27.

(4) *Ad Trall.*, VI, 1 (Funk, *o. c.*, I, p. 246 s.); cf. *Ep. ad Rom.*, VII, 3 b (Funk, *o. c.*, I, p. 260 s.) : « Panem Dei volo, qui est caro Jesu Christi, qui ex semine David factus est, et potum volo sanguinem ipsius, qui est caritas incorruptibilis ». Hîc sane panis Dei designat Eucharistiam (cf. Funk, ad *h. l.*; Struckmann, *o. c.*, p. 40 s. et Batiffol, *Euch.*, p. 48), sed hoc ex contextu patescit.—In hac voce « ἄρτος θεοῦ » characterem sacrificalem coenae indicari censet Goetz, *o. c.*, p. 199, quia « panis Dei » in VT. panem sacrificalem indicat; concedit tamen magis obviam esse connexionem ad Jo., VI, 33, sed ob intimam conjunctionem totius hujus sectionis joanneae et praesertim ob v. 51, jam in v. 33, apud Jo., VI, Eucharistiam denominari autumat. Disputatur autem multum num jam in v. 33 Eucharistia respiciatur (vide quaestionem succincte contractam apud Ruch, *art. cit.*, apud *Dict. de Théol. Cath.*, V, 992 s.); quidquid autem sit de hac controversia, nemo non videbit has deductiones a Goetz excogitatas longius quaesitas esse; ne obliviscamur insuper hunc auctorem in definienda essentia sacrificii prorsus errare.

In epistola ad Magnesios de altari iterum agitur : utrum sensu proprio, an non, ex contextu non constat. Postquam enim lectores suos ad mutuam dilectionem adhortatus est, ita pergit s. episcopus : « Nihil sit in vobis, quod possit vos dirimere, sed uniamini episcopo et praesidentibus in typum et demonstrationem immortalitatis. Quemadmodum igitur Dominus sine Patre, ipsi unitus, nihil fecit, neque per se ipsum neque per apostolos : ita neque vos sine episcopo et presbyteris quidquam peragatis ; neque aggrediamini, ut quidquam a vobis separatim factum decens appareat, sed in unum convenientibus una sit oratio, una precatio, una mens, una spes in caritate, in gaudio sancto, quod est Jesus Christus, quo nihil praestantius est. Omnes velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare, ad unum Jesum Christum, qui ab uno Patre prodiit et apud unum fuit ad eumque reversus est » (1).

Transmittimus haec tria ultima testimonia (2), quamquam verisimilius nobis apparet, etiam si in iisdem textibus non agatur de altari quodam concreto, figuram tamen ab hoc altari, et quidem Eucharistico, inspirari ; attamen conclusionem, quam statuit Wieland, prorsus respuimus, quando in iis sectionibus, in quibus altare modo figurato pro unitate ecclesiastica supponere declarat, pericopen priorem ex epistola ad Philadelphenses, licet claram, etiam per metaphoram explicandam esse asseverat (3). Nulla enim sanae criticae regula postulat, ut auctorem, qui semel vel pluries aliquam vocem sensu adhibuerit metaphorico, ubique in omnibus locis eadem ratione interpretemur.

*
* *

Nullibi directe de Eucharistia verbum facit s. martyr ; ita concludit Wieland, sed indirecte ex quibusdam aliis locis inferre

(1) *Ad Magn.*, VI, 2 b; VII, 1-2 (Funk, *o. c.*, I, p. 234 s.).

(2) Réville, *o. c.*, p. 39, se nullibi apud Ignatium mentionem sacrificii invenire potuisse profitetur ; at vero, p. 33, n. 1, revera tria tantum posteriora testimonia refert, sed primum locum ex epist. ad Philad., quem praecipue inspicere debuisset, omittit ! Huic loco ex epist. ad Philad. innixus, jam magis obvie scribit Goguel, *o. c.*, p. 253 : « Le sens même du mot *θυσιαστήριον* a chez Ignace quelque chose de trop vague, pour que, de son emploi à propos de la communion, nous puissions tirer une indication sur la conception de l'eucharistie comme sacrifice ; pourtant le rapport entre le culte et l'eucharistie est déjà très net et, si la conception de l'eucharistie-sacrifice n'est pas là, on peut dire qu'elle est en préparation » ; magis adesse quam praeparationem jam sufficienter comprobatum confidimus.

(3) Cf. Wieland, *Opferbegriff*, p, 57.

licet, inquit, sacrificium novae legis absolvi una oratione, qua Eucharistia conficitur.

Primum invocat textum epistolae ad Ephesios, quem modo citavimus, et illum de Eucharistia interpretatus, ita arguit : precatio episcopi et totius ecclesiae conficit panem Dei et ideo praecipue ipse conventus nuncupatur altare ; hanc autem orationem tanquam sacrificium concipi immediate inde sequitur (1).

Argumentum suum ulterius non evolvit cl. doctor, neque explicat, quod tamen non est per se evidens, quemadmodum etiam si dicamus orationem conficere Eucharistiam, ex hac assertione deducere fas sit ipsum conventum vocari altare ; his ceterum etiam praetermissis, ubinam legit Wieland sacrificium Eucharisticum tanquam precationem cogitari ? Textus reapse sic sonat : « Nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei. Si enim unius atque alterius precatio tantam vim habet, quanto magis illa, quae episcopi est et totius ecclesiae ? » (2)

Verum, si nunc panem Dei, non de doctrina, sed de Eucharistia intelligimus, ita cum Struckmann (3) legemus : qui ab altari Eucharistico se abstinent, privantur pane Dei ; et altare proin audiemus Eucharisticum, et quidem proprie dictum. Cum hac interpretatione doctrinam Apostoli : « Qui edunt hostias, participes sunt altaris » (4), non cogitare revera non possumus ; sed ita rursus confirmatur opinio, quae altare proprie dictum audit, quin ullatenus innuatur sacrificium in hoc altari peractum, quoad essentiam suam absolvi precatione, quam episcopus et ecclesia perficiunt.

Quid autem si, cum Wieland, altare sumamus metaphoricum, pro ipso nempe conventu ad quem christiani congregabantur ? In hac interpretatione, quae verbis sequentibus s. Clementis reapse multum commendatur : « Qui igitur in conventum non venit, hic jam superbia elatus est et se ipsum separavit atque judicavit », panis Dei verisimilius, uti aliis in locis, pro doctrina supponit

(1) Wieland, *Opferbegriff*, p. 51.
(2) *Ad Ephes.*, V, 3 (Funk, *o. c.*, I, p. 216 s.).
(3) Struckmann, *o. c.*, p. 37 ; cf. etiam Renz, *Opferch.*, p. 41.
(4) *I Cor.*, X, 18. — Hanc epistolam paulinam certo prae oculis habuit s. Ignatius ; cf. Jacquier, *Le NT. dans l'Église chrétienne*, I, p. 51 ; vide etiam von der Goltz, *Ignatius von Antiochien als Christ und Theologe*, in TU., XII, 3, p. 100, p. 178 s.. Leipzig, 1894. — Arcta adhuc videtur connexio inter ep. ignatianas et quartum evang. ; cf. von der Goltz, *o. c.*, p. 127 ; E. Jacquier, *o. c.*, I, p. 48. Utrum vero Ignatius ipsum textum evangelii inspexerit, an ab eadem traditione orali dependeat, disputatur ; cf. von der Goltz, *o. c.*, p. 131 ; Struckmann, *o. c.*, p. 42 s. ; E. Jacquier, *o. c.*, I, p. 49.

christiana et vox προσευχή indigitat preces, quas episcopus cum ecclesia in ipso conventu persolvit. At vero tunc ad sacrificium omnino non alluditur, et immerito asserit Wieland vocem « altare » occasionem praebere s. Ignatio, ut de « oblatione panis » loquatur.

Ex eadem epistola ad Ephesios hunc adhuc textum affert Wieland, ut suam opinionem muniat : « Date itaque operam, ut crebriores congregemini ad gratias Deo agendas et ad eum laudandum. Quando enim crebri in eundem locum convenitis, labefactantur vires satanae et concordia vestrae fidei solvitur exitium, quod ille infert » (1). Contextus, uti pronum est, nullo pacto innuit quaestionem moveri de Eucharistia; ipsa expressio vel imo : « eucharistia *Dei* » magis obvie de gratiarum actione et Dei glorificatione intelligitur.

Adducit tertio cl. criticus pericopen ex epistola ad Magnesios, superius pariter jam citatam : « Ita neque vos sine episcopo et presbyteris quidquam peragatis ; ... sed in unum convenientibus una sit oratio, una precatio, una mens, una spes in caritate... Omnes velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare, ad unum Jesum Christum » (2).

Illud « facere », quod christianis cum presbyterio competit, est προσευχή ac δέησις, inquit Wieland (3), et quidem in uno Christo, qui cum templo et altari comparatur ; ita autem insinuatur, hanc προσευχήν per illud altare, ab Ignatio tanquam sacrificium concipi, quoniam si ipsum Christum Eucharisticum tanquam sacrificium habuisset s. martyr, jam non tantummodo Christum cum altari conferre, sed illum directe vocare potuisset θυσίαν ; de θυσία vero Eucharistica nullibi apud Ignatium, ait, mentionem reperire est.

Non affirmabimus textum, de quo impraesentium lis movetur, excellere claritate, ast profecto non majore pollet obscuritate quam deductiones mox expositae, quae ex eodem testimonio eruuntur. Ubinam enim dicitur illam orationem, quae ceteroquin in textu non describitur ut eucharistica, esse ipsummet sacrificium ? Quidnam concludendum ex hoc quod potuisset Ignatius Christum directe denominare θυσίαν ? Utique, potuisset, praesertim si Christum Eucharisticum respexisset, sed multo probabilius est s. martyrem in hoc loco ipsam personam Christi attendisse, itaque nulla

(1) *Ad Ephes.*, XIII, 1 (Funk, *o. c.*, I, p. 224 s.) ; hunc textum de Euch. audit Wieland, *Opferbegriff*, p. 51 ; ita et Renz, *Opferch.*, p. 35 s. ; *Geschichte*, I, p. 151 ; item Struckmann, *o. c.*, p. 37.

(2) *Ad Magnes.*, VII, 1 (Funk, *o. c.*, I, p. 236 s.).

(3) Wieland, *Opferbegriff*, p. 52.

erat illi ratio ut de oblatione Eucharistica explicationem quamlibet subjungeret.

*
* *

Hucusque omnes textus pervolvimus, in quibus ad mentem Wieland, saltem non directe de sacrificio Eucharistico agitur, sed ex quibus tamen indirecte constare debet sacrificium novae legis oratione et precatione absolvi ; descriptionem vero convivii Eucharistici in hac sequenti sectione ex epistola ad Ephesios (1) reperiendam putat :

« Si me dignatus fuerit Jesus Christus propter orationem vestram et voluntas sit, in secundo libello, quem scripturus sum vobis, persequar quem incepi sermonem dispensationis spectantis ad novum hominem Jesum Christum, quae est in ejus fide et in ejus caritate, in passione ipsius et resurrectione ; maxime si Dominus mihi revelaverit, quod vos ad unum omnes nominatim per gratiam conveniti̇s in una fide et in uno Jesu Christo, qui secundum carnem ex genere David filius est hominis et filius Dei, ut oboediatis episcopo et presbyterio mente indivulsa, frangentes panem unum (ἕνα ἄρτον κλῶντες) (2) qui pharmacum immortalitatis est, antidotum, ne moriamur, sed vivamus semper in Jesu Christo ».

Cum illa pericope ex epistola ad Ephesios, hanc alteram conjungit ex epistola ad Smyrnaeos (3) : « Nemo erret : et si caelestes et gloria angelorum et principes visibiles et invisibiles non credant in sanguinem Christi, et ipsi judicabuntur. Qui capere potest, capiat. Locus neminem efferat ; totum enim est fides et caritas, quibus nihil praestantius. Considerate vero eos, qui aliena sentiunt de gratia Jesu Christi, quae ad nos pervenit, quomodo contrarii sint divinae voluntati. Non caritas iis curae est (περὶ ἀγάπης οὐ μέλει αὐτοῖς), non vidua, non pupilla, non oppressus, non vinctus vel solutus, non esuriens vel sitiens. Ab Eucharistia et oratione abstinent (Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται) (4), eo quod non confitentur, Eucharistiam carnem esse salvatoris nostri Jesu Christi (τὴν

(1) *Ad Ephes.*, XX, 1-2 (Funk, *o. c.*, I, p. 228 s.).

(2) Hac expressione characterem sacrificalem Eucharistiae indicari censet Goetz, *o. c.*, p. 199.

(3) *Ad Smyrn.*, VI, 1-2; VII, 1-2; VIII, 1-2 (Funk, *o. c.*, I, p. 280 s.).

(4) Vox « Eucharistia », in hac formula, sacramentum Eucharistiae designare videtur ; προσευχή erit oratio liturgica, quae celebrationem Eucharistiae circumstat ; cf. Struckmann, *o. c.*, p. 24 et 32 s., contra Andersen, *o. c.*, p. 75, qui de Eucharistia inibi nequidem mentionem invenit. — Berning, *o. c.*, p. 175 s., eamdem vocem audit de prolatione « consecrationis », sive de narratione institutionis Eucharistiae cum verbis consecratoriis.

εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι), quae pro peccatis nostris passa est quamque Pater benignitate sua resuscitavit. Qui ergo contradicunt dono Dei (τῇ δωρεᾷ τοῦ θεοῦ) (1), altercantes moriuntur. Melius autem esset illis diligere (ἀγαπᾷν), ut et resurgerent. Decet itaque abstinere a talibus neque in privato neque in communi colloquio de illis verba facere, adtendere autem prophetis, praecipue autem evangelio, in quo passio nobis ostensa et resurrectio perfecte demonstrata est. Divisiones autem fugite, ut principium malorum ».

« Omnes episcopo obtemperate, ut Jesus Christus Patri, et presbyterio ut apostolis ; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant. Valida Eucharistia habeatur illa (βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω), quae sub episcopo peragitur vel sub eo, cui ipse concesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est ecclesia. Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapen celebrare (ἀγάπην ποιεῖν) (2) ; sed quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut firmum et validum sit omne quod peragitur ».

Multum ex hoc textu concludendum opinatur Wieland (3) : celebratio Eucharistiae, ait primo, est convivium caritatis (ἀγαπᾷν), cujus objectum manifeste erit Eucharistia, non tamen tanquam donum a nobis Deo, sed tanquam munus a Deo nobis donatum, et pharmacum immortalitatis. Eucharistia adhuc multo minus est in mactatione mystica Christi, sed mere est caro Christi, qui quondam passus est et resurrexit. Eucharistia igitur nos ad passionem et sacrificium Christi attentos facit, sed non est novum sacrificium. Statim in memoriam revocans priorem locum ex epistola ad Ephesios (4) ita pergit : Eucharistia praeparatur per orationem ;

(1) Ob oppositionem ad cap. VI, 2, in eodem contextu, videtur vertendum cum Funk, *l. c.* : « melius esset illis diligere » ; cf. Batiffol, *Euch.*, p. 44. — Struckmann, *o. c.*, p. 28, idem verbum indicare putat celebrationem Eucharistiae, ob contextam orationem, sed magis obvia profecto videtur oppositio ad cap. VI, 2, quo loco Eucharistiam respici immerito censet Stahl, *Ignatius von Antiochien*, in *Patristische Untersuchungen*, II, p. 121-190, Leipzig, 1901.

(2) Textum hunc de Eucharistia audiendum esse propugnat Batiffol, *Etudes d'Histoire et de Théol. posit.*, p. 297 s., et *Euch.*, p. 41, et p. 46, n. 1 ; ita etiam Funk, *o. c.*, I, p. 283 et Struckmann, *o. c.*, p. 28. Haud pauci auctores contendunt celebrationem Eucharistiae primitus fuisse conjunctam cum convivio, quod agape dicitur ; de hac quaestione vide Batiffol, *priore l. c.* et ceteros doctores quos supra, ad indicatam hanc controversiam, jam laudavimus..

(3) Wieland, *Opferbegriff*, p. 53.

(4) *Ad Ephes.*, V, 2 (Funk, *o. c.*, I, p. 216 s.).

ipsa precatio porro est actus liturgicus, qui cum respectu ad sacrificium Christi, carnem ipsius tanquam convivium cum gratiarum actione conficit. Ignatius ergo non cognoscit sacrificium Eucharisticum tanquam oblationem concretam Deo, sed unice tanquam orationem consecratoriam.

Talis argumentatio theoriam orationis eucharisticae haud multum commendare nata est. Et enim primo, quae disserit auctor de dono, Deo non praestando, falsae innituntur opinioni de sacrificio, quam pluries jam vituperavimus; quae deinde addit de mactatione mystica, omnino praeter rem afferuntur, nam s. Ignatium non de theoria mactationis mysticae, sed neque de ulla explicatione cogitasse ultro profitebimur; quanam de causa tandem animadvertat s. episcopum non vindicare sacrificium novum prorsus adhuc nos latet. Ceteras autem considerationes de oratione consecratoria superius jam refutatas confidimus, itaque nihil demonstrationis sed eadem semper asserta gratuita in his animadversionibus cl. doctoris reperimus. Quae adhuc subjungit, eo plerumque spectant ut textus, in quibus de altari agitur, metaphorice esse audiendos ostendat : at vero, concedimus in tribus locis rem haud certo constare; in quarto vero, in epistola scilicet ad Philadelphenses, altare sensu proprio sumendum esse evidentia omni dubio majore apparet.

Argumentum, quod per fas et nefas ubique subinserit auctor, s. Ignatium nimirum nihil de oblatione edocere, mera videtur petitio principii : si christiani altare possident, eos pariter oblationem sacrificam habere satis insinuatur, nam ad orationem proferendam altare quodvis plane superabundat (1).

*
* *

In quonam sit haec oblatio ulterius non explicat s. episcopus; scopum enim sibi proponit, non ut fidelibus exponat quid sit sacrificium Eucharisticum, sed ut eos ad unitatem cohortetur, itaque hanc sententiam praesertim inculcat, quam legimus apud Apostolum, cujus epistolae ipsi prae oculis versabantur : « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus » (2).

(1) Cf. Mortimer, *o. c.*, p. 180.

(2) *I Cor.*, X, 17. — S. Ignatium cognovisse epistolas paulinas supra adnotavimus, quod passim a criticis jam admittitur; non percipimus quomodo scribere potuerit Goguel, *o. c.*, p. 255, postquam assenserit s. Ignatium epistolas paulinas et IV evang. novisse : « L'idée du sacrifice n'est empruntée ni au johannisme ni au paulinisme, elle se trouve chez Clément Romain dont il est peu vraisemblable qu'Ignace ait connu l'épître. Ce devait donc être une idée assez répandue dès les premières années du second siècle ».

Ex reminiscentia ejusdem epistolae paulinae (1) adhuc intelligitur cur ad passionem dominicam alludat, quin tamen huic sententiae immoretur; objectionem enim non praevidit, quam ex silentio ipsius, auctores quidam moderni, uti J. Réville (2) et M. Goguel (3), deducerent, nam intentio ejus multo magis erat ut refelleret Docetas, qui Christum non in carne propria passum esse et resurrexisse somniabant; idcirco ad passionem simul ac ad resurrectionem attendit, nec quidquam igitur ex hoc silentio eruere licet (4).

* * *

Cl. Renz (5) pariter studet sententiam suam ex epistolis ignatianis corroborare, itaque postquam omnino praeter rem notaverit, s. martyrem nullam agnoscere novam oblationem in Eucharistia, celebrationem hujus novi ritus unice in praeparando cibo Eucharistico reponendam asseverat. Ita nempe arguit : secundum s. Ignatium, « nisi quis intra altare est, privatur pane Dei » ; alimonium igitur Eucharisticum provenit ab altari et ab episcopo praeparatur. Ipse episcopus potestate gaudet ut panem terrestrem in tali connexione cum Deo ponat, ut cibus fiat divinus ; hoc significat : episcopus per potestatem suam sacrificium Deo constituit, quod hominibus est alimonium (6).

Terminos praemissos quantum excedat haec conclusio neminem fugere potest : si episcopi sit offerre et post oblationem adsit cibus

(1) *I Cor.*, XI, 26 : « Quotiescumque manducabitis panem hunc.... mortem Domini annuntiabitis ». — Ad passionem Christi alludit s. Ignatius non modo in *Ep. ad Smyrn.*, VII, 1, sed adhuc in *Ep. ad Philad.*, III, 2; utrum in hoc altero textu pariter in connexione cum Eucharistia, haud ita constat; immediate enim in hac ep. conjungitur passio cum doctrina, sed statim infra de Eucharistia agitur.

(2) Réville, *o. c.*, p. 39.

(3) Goguel, *o. c.*, p. 253.

(4) Auctores quidam ex hac mentione resurrectionis jam relationem sacrificii Eucharistici ad sacrificium aliquod coeleste invehunt, de quo non cogitavit Ignatius; ad hoc sacrificium coeleste comprobandum adhuc textum s. Clementis, in *Ep. I ad Cor.*, LXI, 3 (Funk, *o. c.*, I, p. 180 s.) invocandum censent; cf. D. Stone, *o. c.*, I, p. 50. — Hanc theoriam, cum Socianismo connexam, ex professo convellendam suscepit Mortimer, *o. c.*, p. 229 s.

(5) Renz, *Geschichte*, I, p. 150.

(6) Renz, *Opferch.*, p. 41 : « Der Bischof bereitet also die Speise, d. h. er hat die Macht das irdische Brot in solcher Verbindung mit Gott zu bringen, dasz es eine göttliche Speise wird. Das aber heiszt, der Bischof konstituiert durch diese Macht ein Opfer für Gott, das eine Speise für die Menschen ist... Das Bereiten der göttlichen Speise auf dem Altar ist das Opfern ».

Eucharisticus, num inde sequitur oblationem esse formaliter in praeparando alimonio? Eodem actu reapse conficitur sacramentum et offertur sacrificium, uti infra cum Angelico latius exponemus, sed nullatenus exinde inferre fas est, rationem sacrificii offerendi ad rationem conficiendi sacramenti esse reducendam.

Novimus profecto has distinctiones, quae ad scientiam theologicam pertinent, apud Patres non inquirendas ; sed ibidem praesertim reperimus principium erroris apud auctores, quibuscum nobis impraesentium controversia : implicite saltem supponunt expressionem philosophicam dogmatis jam in primitiva traditione reperiendam, itaque hinc inde argumentum ex silentio astruunt, quasi in primitivis illis documentis disputatio theologica ageretur. Ita nimirum *ex epistolis ignatianis eliquet christianos habere sacrificium, siquidem possident altare ;* frangunt et sumunt panem Dei, antidotum immortalitatis; quinimmo si hunc locum epistolae ad Ephesios, ad quem alludit cl. criticus, de Eucharistia velimus audire, fruuntur pane Dei seu sacramento Eucharistiae, si intra altare Dei permanent, sed ubinam legitur apud s. Ignatium utrumque respectum, primum scilicet qua Eucharistia est sacrificium, alterum quo sacramentum existit, esse confundendum ? S. martyr cognoscit revera sacrificium Eucharisticum ; profitetur et sacramentum ; non addit distinctionem, quam postea apud s. Thomam legere poterimus : sacrificium est in quantum offertur, et sacramentum in quantum sumitur, sed an haec est ratio sufficiens ut Renz pronuntiare possit Ecclesiam primitivam non distinguere sacrificium a sacramento, et oblationem esse in praeparando cibo Eucharistico ? Idem respondendum est ad assertionem saepius apud Wieland, et prius jam apud Renz propositam, s. Ignatium nimirum nullam oblationem novam in Eucharistia novisse; ex hoc enim quod non totidem verbis celebratio Eucharistiae *dicatur* oblatio, statim inferunt iidem auctores, qui oblationem insuper erronee audiunt donationem, ritum Eucharisticum alia ratione in Ecclesia primitiva intellectum fuisse, quam in theologia catholica hucusque explicatus fuit. Non advertunt autem documenta primitiva, quae hucusque habuimus obvia, non esse nisi quemdam catechismum, Doctrinam nimirum XII Apostolorum, aut epistolas, quas episcopi, uti s. Clemens et s. Ignatius, cum scopo immediate practico, quoniam de conclusione paraenetica praesertim solliciti, conscripserunt ; nulla adeo illis cura erat ut distinctiones theologicas explanarent, quamvis *res distinctas,* uti sacramentum et sacrificium satis distinguerent, ubi prius de altari, adeoque de oblatione sacrificali, deinde de sumptione, itaque de sacramento scribebant.

Ceteras considerationes, quas congerit cl. Renz, ut opinionem suam ex his monumentis primitivis conficiat, silentio praetermittimus, ne et ipsi taedium gignamus, quum eadem semper argumenta aut asserta exponere ac confutare cogamur.

*
* *

In fine hujus primae sectionis juvat adnotare momentum hujus disputationis de doctrina Patrum, qui ad aevum apostolicum adhuc pertinent :

Primo *negative*, seu quod refutationem spectat, *dicendum est has theorias orationis eucharisticae ac convivii sacrificalis nullum in his documentis habere fundamentum*, itaque omnis ansa iisdem auctoribus praescinditur ut doctrinam de essentia sacrificii Eucharistici reformandam suscipiant.

Positive vero has veritates statuere licet, quas jam in primitivis illis monumentis reperire est : *celebratio Eucharistiae est sacrificium* (*θυσία*), uti explicite dicit Doctrina, quae illud sacrificium *proponit, tum in connexione ad oblationem mundam, quam vaticinatus erat Malachias, quum in relatione ad munus rituale*, de quo Dominus praecepit ut ante altare relinqueretur, donec reconciliatio instituta esset. — Hoc sacrificium describit s. Clemens romanus *cum terminologia, quam a VT. mutuavit*; s. Ignatius de altari loquitur Eucharistico, et oblationem Eucharisticam sub episcopo, vel sub eo, cui ipsi concesserit, perficiendam esse inculcat; quam maxime adhuc insistit s. Clemens ut fideles uniantur episcopo, *cujus sacerdotium in comparatione ad sacerdotium antiqui foederis* proponit.

Sacrificium Eucharisticum simul essentialiter esse relativum in nullo documento hucusque detegimus ; in epistolis ignatianis tantum legimus carnem Christi in Eucharistia eam esse, quae passa est, quam et Pater resuscitavit ; advertatur denique quam intima ratione haec doctrina ipsius aevi apostolici, testimonio Scripturae sacrae inhaereat, uti in textu hinc inde, et magis adhuc in notis, indicavimus.

Sectio II.

Apologetae II saeculi.

In hac secunda sectione doctrinam accipiemus apologetarum saeculi secundi, qui sunt s. Justinus, Athenagoras ac Minucius Felix; atque quum s. Justinus prae ceteris altius emineat, ejus testimonium praeprimis auscultabimus, itaque in art. primo ejus verba referemus.

Art. 1. — Testimonium s. Justini.

Doctrinam catholicam, prima vice aliquatenus systematice contractam, legere est apud s. Justinum (1), et quidem, quoad dogma Eucharisticum, in « Apologia prima pro christianis » (2), quae ad Imperatorem Antoninum pium, sacrum Senatum ac universum populum romanum dirigitur; deinde ac praesertim in « Dialogo cum Tryphone Judaeo » (3).

Primum documentum, uti vel ipsa inscriptio tradit, respicit lectores paganos, dum alterum, sive disputatio realis fuerit, sive haec forma per merum processum litterarium explicanda veniat, auditores aut saltem lectores supponit judaeos, adeo ut apud s. Justinum omnes difficultates refutatas habeamus, quae huic dogmati nostro, sive a gentilibus, sive a judaeis opponi potuerint.

Dogma christianum in hoc altero opere magis explicite proponitur, quam in priore illo, in quo apologia religionis christianae nobis conservatur, et ideo ut rectam assequamur s. Justini mentem, a Dialogo incipiendum esse autumamus, quamvis hac scriptum certo post Apologiam primam sit concinnatum, uti ex ipso textu statim apparet (4).

* * *

Triplici parte absolvitur Dialogus : post exordium (cc. I-X), in prima parte (XI-XLVII), refelluntur Judaeorum praejudicatae opiniones de lege ; in altera (XLVIII-CVIII), demonstratur Christum verum esse Dei filium, ab aeterno genitum, et nostra de causa incarnatum et crucifixum ; in tertia tandem parte (CIX-CXLII), vocatio gentium explicatur, et Ecclesiam, quae constituta est a Christo, prophetarum oraculis ac VT. figuris praedictam fuisse comprobatur.

Jamvero, in priore parte, ubi s. Justinus docet legem fuisse figuram eorum, quae ad Christum pertinent, in oblatione similae, figuram reperit Eucharistiae, suamque assertionem hisce verbis demonstrat (5) :

(1) Justinus, e familia graeca et pagana in Palestina, circa a. 100 ortus, Ephesi, tempore Hadriani, christianam religionem amplexatus est. Philosophus docuit Romae sub Imperatore Antonino pio (138-161); martyrium subiit sub praeside Junio Rustico (163-167).

(2) Migne, PG., VI, 327 s.

(3) Migne, PG., VI, 471 s.

(4) K. Hubik, *Die Apologien des Justins (Theol. Studien der Leo-Gesellschaft*, XIX), primam Apologiam conscriptam autumat a. 155-156; alteram a. 164-165; Dialogum inter utramque Apologiam, inter annos scilicet 155-161, reponendum ducit; alii multi critici I Apol. c. a. 150; II Apol. inter a 155-160 et Dialogum c. a. 160 concinnata putant.

(5) *Dial.*, XLI (PG., VI, 563 s.).

« Similae quoque oblatio, viri, aiebam, pro iis, qui a lepra purgabantur, praescripta, figura erat panis Eucharistiae (*τύπος ἦν τοῦ ἄρτου τῆς Εὐχαριστίας*), quem Dominus noster Jesus Christus in recordationem passionis pro his qui ab omni pravitate purgantur susceptae fieri praecepit (*ὃν εἰς ἀνάμνησιν τοῦ πάθους οὗ ἔπαθεν...ὁ κύριος ἡμῶν παρέδωκε ποιεῖν*); ut et simul gratias agamus Deo (*ἵνα ἅμα τε εὐχαριστῶμεν*), tum quod mundum et omnia, quae in eo sunt, propter homines creaverit; tum quod nos a nequitia, in qua fuimus, liberaverit, et principatus ac potestates funditus profligaverit per eum qui de ejus voluntate passioni factus est obnoxius. Hinc de sacrificiis quidem, quae tunc a vobis offerebantur (*περὶ μὲν τῶν ὑφ' ὑμῶν τότε προσφερομένων θυσιῶν*), sic Deus, ut jam dixi, per Malachiam, unum ex duodecim, loquitur : Non est voluntas mea in vobis, dicit Dominus, et sacrificium (*τὰς θυσίας*) non suscipiam de manibus vestris, propterea quod ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus ; et in omni loco offertur incensum nomini meo et victima pura (*θυμίαμα προσφέρεται....καὶ θυσία καθαρά*) ; quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus. Vos autem illud profanastis. — De iis autem, quae in omni loco a nobis gentibus offeruntur ei, sacrificiis (*περὶ δὲ τῶν προσφερομένων αὐτῷ θυσιῶν*), hoc est de pane Eucharistiae et de calice similiter Eucharistiae (*τουτέστι τοῦ ἄρτου τῆς Εὐχαριστίας καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίως τῆς Εὐχαριστίας*) jam tum praedicit, illud etiam addens, nomen suum a nobis glorificari, a vobis autem profanari ».

In secunda parte Dialogi, mysteria Mithrae (1) ex antiquis vaticiniis detorta asseverat, et mox, allata prophetia Isaiae (2), ita pergit :

« Liquet igitur in hac quoque prophetia et de pane illo praedici, quem nobis Christus facere praecepit in memoriam corporis a se propter eos qui in ipsum credunt assumpti, propter quos et passibilis factus est (*περὶ τοῦ ἄρτου.....ὃν παρέδωκεν ἡμῖν....ποιεῖν εἰς ἀνάμνησιν*) ; et de calice, quem in memoriam sanguinis sui cum gratiarum actione fieri praecepit (*καὶ περὶ τοῦ ποτηρίου, ὃ εἰς ἀνάμνησιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ παρέδωκεν εὐχαριστασοῦντας ποιεῖν*) » (3).

In tertia autem parte respondet s. Justinus ad objectionem Tryphonis, qui vaticinium Malachiae in judaeis Diasporae fuisse impletum asseverat (4) :

(1) De mysteriis Mithrae cf. F. Cumont, *Textes et monuments figurés relatifs au culte de Mithra*, I-II, Bruxelles, 1899 et 1896 ; de influxu horum mysteriorum in religionem christianam, quem quidam astruere voluerunt, lege inter alios C. Clemen, *Religionsgeschichtliche Erklärung*, p. 202 s.

(2) *Is.*, XXXIII, 16.

(3) *Dial.*, LXX (PG., VI, 641 s.).

(4) *Dial.*, CXVII (PG., VI, 745 s.).

« Qui ergo per illius nomen sacrificia ipsi offerunt ea (πάντας οὖν... θυσίας), quae a Jesu Christo praescripta, id est quae in eucharistia panis ac calicis a christianis in omni terrarum loco offeruntur (τουτέστιν ἐπὶ τῇ εὐχαριστίᾳ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου), hos omnes in antecessum Deus gratos sibi esse testatur. Quae vero a vobis ac per vestros sacerdotes offeruntur (τὰς θυσίας), ea respuit, cum dicit : Et sacrificia vestra non suscipiam de manibus vestris : quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur in gentibus : vos autem profanastis illud. — Ac vos quidem hactenus contentionis studio dicitis Deum quidem sacrificia Hierosolymis ab his qui tunc ibi Israelitae dicti habitabant, oblata non accipere ; eorum autem preces (τὰς εὐχὰς), qui tunc ex illo genere in dispersione erant, gratas sibi esse dixisse, atque illorum preces sacrificia vocare (καὶ τὰς εὐχὰς αὐτῶν θυσίας καλεῖν). Equidem preces et gratiarum actiones, quae a dignis peraguntur (εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι ὑπὸ τῶν ἀξίων γινόμεναι), sola esse et perfecta et Deo accepta sacrificia (θυσίαι) et ipse pronuntio. Haec enim christiani quoque sola peragere didicerunt (1), etiam in recordatione alimoniae suae siccae et liquidae, in qua etiam passionis, quam Filius Dei propter eos pertulit, recordantur (καὶ ἐπ ἀναμνήσει δὲ τῆς τροφῆς αὐτῶν ξηρᾶς τε καὶ ὑγρᾶς ἐν ᾗ καὶ τοῦ πάθους... μέμνηται) ».

* * *

Quomodo haec « recordatio » celebranda sit duplici occasione in Apologia sua prima exponit s. Justinus, et quidem primo ad descriptionem caerimoniae Baptismatis (2) :

« Nos autem postquam eum, qui fidem suam et assensum doctrinae nostrae testatus est, sic abluimus, ad eos, qui dicuntur fratres, deducimus, ubi illi congregati sunt, communes preces et pro nobismetipsis et pro eo qui illuminatus est, et pro aliis ubique

(1) Batiffol, *Euch.*, p. 11, n. 3, hunc locum respicere I Cor., XI, 23 suspicatur.

(2) *I Apol.*, LXV s. (PG., VI. 427 s,). — Jam in *I Apol.*, XIII, secundum quosdam auctores, uti Goetz, *o. c.*, p. 295 ; Wieland, *Opferbeg.*, p. 71 s. et Dorsch, *Opferch.*, p. 262, de Euch. agitur ; hoc alii abnuunt, uti Renz, *Opferch.*, p. 47 ; Réville, *o. c.*, p. 16 et Rauschen, *Euch. und Buszsakrament*, p. 86, quia verbum προσφέρειν, in voce media : « ἐφ' οἷς προσφερόμεθα », sumptionem indicat ; ita etiam in *I Apol.*, LXVII. — Ex contextu *I Apol.*, XIII, nimirum ex oppositione ad sacrificia pagana, necnon ex scopo harum precationum (ἐν ἀφθαρσίᾳ) Eucharistiam designari videri posset, sed usus harum oblationum (ἑαυτοῖς καὶ τοῖς δεομένοις προσφέρειν) ritum Eucharisticum ex integro excludit.

omnibus intento animo facturi, ut veritatis cognitionem adepti, hac etiam gratia dignemur, ut rectam operibus vitam agentes et praeceptorum custodes inveniamur, quo salutem aeternam assequamur. Invicem osculo salutamus, ubi desiimus precari (παυσάμενοι τῶν εὐχῶν). Deinde ei, qui fratribus praeest, panis affertur, et poculum aquae et vini (ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος) (1) : quibus ille acceptis laudem et gloriam universorum Parenti per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit, et eucharistiam, sive gratiarum actionem (εὐχαριστίαν), pro his ab illo acceptis donis (ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ) prolixe exsequitur. Postquam preces et eucharistiam absolvit (οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν) (2), populus omnis acclamat, Amen... Postquam vero is, qui praeest, preces absolvit, (εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος), et populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur diaconi panem et vinum et aquam, in quibus gratiae actae sunt unicuique praesentium participanda distribuunt et ad absentes perferunt (μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι) ».

« Atque hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia (Εὐχαριστία) (3), cujus nemini alii licet esse participi, nisi, qui credat vera esse quae docemus, atque ille ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat ut Christus

(1) Verba καὶ κράματος desunt in ms. Ottoboniano (XV s.); adsunt autem in cd. Parisino 450 (a. 1364) ; de theoria, quam excogitavit HARNACK, *Brod und Wasser. — Die Eucharistischen Elemente bei Justin,* in TU., VII, 2, p. 115-144, Leipzig, 1891 vide FUNK, *Die Abendmahlselemente bei Justin,* apud period. *Theologische Quartalschrift* (= TQS.), LXXIV, p. 643, Tübingen, 1892 et *Kirchengeschichtliche Abhandl.*, I, p. 278-292 ; TH. ZAHN, *Brod und Wein im Abendmahl der alten Kirche*, apud NKZ., III, p. 261, 1892 ; A. RESCH, *Aussercan. Paralleltexte,* in TU., X, 3, p. 648 s., 1895 ; A. SCHWEIWILER, *Die Elemente der Euch. in den ersten drei Jahrhunderten* (*Forschungen zur christl. Litteratur und Dogmengeschichte, hrsg. von* A. EHRHARD *und* J. C. KIRSCH, III, 4), Mainz, 1903 ; BATIFFOL, art. *Aquariens*, in *Dict. d'Archéologie chrétienne et de Liturgie* (CABROL), I, 2653, Paris, 1906 ; GOGUEL, *o. c.*, p. 275 s.

(2) Lege textum s. IGNATII, *Epist. ad Smyrn.*, VII, 1 (FUNK, *o. c.*, I, p. 280 s.).

(3) Ita jam *Did.*, IX, 5, si has orationes de Euch. audire lubet ; ita pariter probabilius loco modo cit. ex *Ep. ad Smyrn.*, VII, 1 ; similiter ORIGENES, *Contra Celsum,* VIII, 57 (PG., XI, 1601 s.). — Scite advertit HORT, in nota : εὐχαριστία-εὐχαριστεῖν, quam recognovit MURRAY, apud period. *Journal of theological studies*, III, p. 595, London, 1902 : « Naturally εὐχαριστία in christian usage has two concrete senses besides the abstract sense : 1) a thanksgiving in words, and 2) a thanksgiving in offering ; and in early times it appears to denote always the offering or thing offered itself ».

tradidit. Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus ; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa, sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiae actae sunt, alimoniam (*δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν*), ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus ».

« Nam Apostoli in commentariis suis, quae vocantur evangelia, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt : eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse (*λαβόντα ἄρτον, εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν*) : Hoc facite in meam commemorationem (*τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἀνάμνησίν μου*). Hoc est corpus meum (*τουτέστι τὸ σῶμά μου*) ; et poculo similiter accepto, actisque gratiis dixisse (*καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λαβόντα εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν*) : Hic est sanguis meus (*τοῦτό ἐστι αἷμά μου*), ipsisque solis tradidisse ».

Postquam ad cultum Mithrae alluderit, et ad sublevationem pauperum atque laudem, quam proferunt christiani in omnibus quae sumunt, s. martyr eamdem fere descriptionem occasione ritus sacri in die dominica celebrandi his verbis resumit (1) :

« Ac solis, ut dicitur, die omnium sive urbes sive agros incolentium in eumdem locum fit conventus, et commentaria apostolorum, aut scripta prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde, ubi lector desiit, is qui praeest, admonitionem verbis et adhortationem ad res tam praeclaras imitandas suscipit. Postea omnes simul consurgimus, et preces emittimus ; atque, ut jam diximus, ubi desiimus precari, panis affertur et vinum et aqua (*ἄρτος προσφέρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ*) : et qui praeest, preces et gratiarum actiones totis viribus emittit (*εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας, ὅση δύναμις αὐτῷ, ἀναπέμπει*), et populus acclamat : Amen, et eorum, in quibus gratiae actae sunt (*ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων*) distributio fit et communicatio unicuique praesentium, et absentibus per diaconos mittitur ».

Art. 2. — Doctrina ex verbis s. Justini eruenda.

Ex his textibus prima fronte elucet celebrationem Eucharistiae esse sacrificium (2), quod in eadem arcta relatione, qua supra in Doctrina XII Apost., ad prophetiam Malachiae describitur : est

(1) *I Apol.*, LXVII (PG., VI, 428 s.).
(2) In hac assertione passim conveniunt auctores ; cf. Harnack,

enim θυσια, et quidem talis quae sacrificiis VT. opponi et imo substitui possit. Connectitur hoc novum sacrificium etiam cum memoria passionis Christi et tota haec doctrina ad απομνημονεύματα apostolorum seu ad Εὐαγγέλιον ita refertur, ut ad narrationem institutionis Eucharistiae vel ipsa verba Scripturae sacrae ad litteram fere recitentur (1).

Eidem proin honestati innixi, quam postulat Wieland (2), ut in Dialogo cum Tryphone eamdem sacrificii notionem, tum apud s. Justinum, quum apud adversarium ejus judaeum supponamus, dicimus conceptum sacrificii genericum huic novo sacrificio applicandum esse, donec probetur s. martyrem aliam definitionem prae oculis habuisse.

Minime igitur consentimus cum Goguel (3), qui ex hac oppositione sacrificii Eucharistici ad oblationem VT. arguit, ut conficiat vocem θυσίαν non accipiendam esse « sensu realistico », qualem, ait, postea habuerit. Prudentiam in hac materia adhibendam etiam proclamat Wieland (4), quoniam nihil commonstrat, inquit, terminos ceterum eosdem ex antiquo rituali depromptos,

Dogmengesch., I, p. 226; GORE, *o. c.*, p. 157; D. STONE, *o. c.*, I, p. 49; GOETZ, *o. c.*, p. 199, ita scribit : « Bezüglich des lange Zeit sehr umstrittenen Justin, wird neuerdings auch protestantischerseits immer häufiger zugestanden, dasz er das Abendmahl als eine Art Opfer aufgefaszt habe, und es musz das auch unbedingt zugestanden werden ». Notandum tamen valde auctores istos protestantes ulterius in determinanda essentia hujus sacrificii in vias abire diversissimas, ac talem quandoque subnectere explicationem sacrificii, quae reapse omne sacrificium tollit.

(1) Cf. JACQUIER, *Le NT. dans l'Église chrétienne*, I, p. 106 s., qui s. Justinum omnia fere scripta NT. cognovisse ibidem comprobat; ad institutionem coenae s. martyrem substantiam narrationis tum Synopticorum, tum s. Pauli tradere autumat, licet Justinus nullam ex his quattuor descriptionibus exclusive sequatur. Maxima tamen est similitudo ad evang. s. Mt. et s. Lc. — Cognovit Justinus etiam quartum evangelium et pleraque alia scripta NT. canonica. — J. RÉVILLE, *o. c.*, p. 11, documentum aliquod s. Justino speciale ac nostris Syn. analogum supponit; hanc sententiam, connexam cum theoria de forma primitiva institutionis Euch., refutatam vide apud JACQUIER, *o. c.*, I, p. 113. — GOGUEL, *o. c.*, p. 275 hanc proponit opinionem : s. Justinus dependet a Syn. aut scriptis analogis, et nullatenus a s. Paulo, quamquam Apostolus quam maxime, in memoria passionis insistit; dependet adhuc, ait, a s. Ignatio et s. Jo. pro interpretatione scil. theologica coenae, sed dependentiam ab Ignatio commonstrare omittit; advertimus autem ipsum s. Ignatium I ad Cor. s. Pauli prae oculis habuisse. — Cf. adhuc ZAHN, *Geschichte des NT. Kanons*, I, 2, p. 463-585, Erlangen und Leipzig, 1889 et HARNACK, *Chronologie*, I, p. 682 s.

(2) WIELAND, *Opferbegriff*, p. 91.

(3) GOGUEL, *o. c.*, p. 273.

(4) WIELAND, *Opferbegriff*, p. 100.

adhuc in novo foedere ad litteram esse sumendos, et exemplum affert ex epistola ad Hebraeos, ubi legimus ingressum Christi in Sancta Sanctorum coelestia, quae nullatenus sensu litterali intelligere fas est ; hoc idem, addit, innumeris aliis textibus, in quibus adimpletio alicujus sensus typici denuntiatur, confirmare licet, sed haec exempla indicare omittit.

* * *

Animadvertendum porro primum contra Goguel, oppositionem quam ipse notat, nullo pacto essentiam seu definitionem sacrificii afficere : opponitur sacrificium Eucharisticum Deo gratum et acceptum, oblationibus antiquis, quae Deo placere jam nequeunt, ast haec oppositio, quae, uti videtur, acceptationem praeprimis respicit, nedum innuat sacrificium Eucharisticum non esse verum sacrificium, aut esse sacrificium improprie dictum et sensu diverso ab illis prioribus oblationibus audiendum, aperte potius ostendit novam hanc oblationem, aequo saltem titulo, sacrificium nuncupari, siquidem illis antiquis omnibus sacrificiis, tanquam *θυσία*, et in ipsa ratione sacrificii, substituenda pronuntiatur.

Prudentia, quam cl. Wieland in his rebus adhibendam esse praedicat, semper erit utilis, sed in praesenti quaestione, satis patescit terminos sensu suo proprio utrimque esse sumendos, quandoquidem, si hoc non fiat, res diversae eodem nomine condecorantur, et sacrificium quinimmo improprie dictum sacrificio proprie dicto, et hoc quidem in lege magis perfecta, substitutum affirmatur.

Non admittimus ergo s. Justinum aliam definitionem sacrificii professum esse, nisi ad hanc sententiam demonstrandam rationes afferantur omni exceptione majores, quas Wieland sine ullo successu, ut statim videbimus, aedificare conatus est. Constat vero interim exemplum ex epistola ad Hebraeos in confirmationem ab ipso allatum, praeter rem omnino referri, quia ex ipso textu sacro apparet hunc ingressum Christi in Sancta Sanctorum coelestia per figuram describi, qui n quaedam Sancta Sanctorum proprie dicta in coelis supponere debeamus (1).

Art. 3. — Considerationes ex verbis s. Justini, in favorem sententiae orationis Eucharisticae.

Opinionem suam in priore suo opere jam aperte enuntiavit Wieland (2) : Justinus, ait, et coaevi ipsius, nihil prorsus sciunt de oblatione quadam corporis et sanguinis Christi ; sacrificia

(1) *Hebr.*, IX, 11-12.
(2) Wieland, *Mensa et Confessio*, p. 51.

eorum sunt unice orationes et gratiarum actiones, ratione Eucharistiae prolatae ; ut autem accurate mentem s. martyris assequamur, inquit, hos locos adeamus oportet, in quibus s. Justinus Eucharistiam in se, absque respectu ad figuras et imagines VT. describit (1). In his textibus, ex Apologia hauriendis, doctrinam suam « officialem » tradit apologeta, dum in Dialogo rem non nisi per occasionem et transennam tangit (2).

Transmissa hac assertione, at non concessa, quoniam Dialogus in hac materia fons praecipuus nobis videtur, statim ad primum argumentum accedimus, quod cl. doctor ex I Apol., XIII depromit.

§ 1. — *Refutatio objectionum, quae ex I Apol., XIII et scriptis aliorum apologetarum desumuntur.*

In hoc capite suae Apologiae, cui juxtapponi possunt textus aliorum apologetarum, Aristidis (3) nimirum, Athenagorae « philosophi atheniensis » (4), ac Minucii Felicis (5), s. martyr objectionem atheismi praevertit, quam christianis opponebant pagani, quasi illi « opificem hujus universi » non colerent, quia victimas immolare recusabant.

« Quis igitur sanae mentis homo », poscit Justinus (6), « non fateatur atheos nequaquam nos esse, qui opificem hujusce univer-

(1) Wieland, *Opferbegriff*, p. 100.

(2) *Ibidem*, p. 80.

(3) Aristides, *Apologia*, IV (servata apud Joannem, monachum S. Sabae, in *Vita Barlaam et Joasaph*, XXVI-XXVII (PG., XCVI, 1099 s.). — Hanc apologiam etiam ad imperatorem Antoninum pium directam fuisse plerique admittunt critici, adeoque eam inter a. 138-161 conscriptam profitentur. — Hunc auctorem in suam partem interpretatur Wieland, *Opferbegriff*, p. 65 s.

(4) Athenagoras, *Legatio pro christianis*, XIII (PG., VI, 915 s.). — Hoc documentum inter a. 176-180 reponendum videtur, quoniam ad imperatores Marcum Aurelium et Commodum destinatum. — Athenagorae testimonium adducit Wieland, *o. c.*, p. 67 s.

(5) Minucius Felix, *Octavius*, XXXII (PL., III, 354) : « Hostias et victimas Domino offeram, quas in usum mei protulit, ut rejiciam et suum munus? ingratum est : quum sit litabilis hostia bonus animus, et pura mens, et sincera sententia. Igitur, qui innocentiam colit, Deum supplicat ; qui justitiam, Deo libat ; qui fraudibus abstinet, propitiat Deum ; qui hominem periculo surripit, optimam victimam caedit. Haec nostra sacrificia, haec Dei sacra sunt ». — Opus conscriptum fuerit circa finem II saec ; Harnack, *Chronologie*, II, p. 324 s., hoc opus ab Apologetico Tertulliani dependere autumat, itaque idem ad primum dimidium III saec. refert.

(6) *I Apol.*, XIII (PG., VI, 345) ; cf. etiam *Epist. ad Diognetum*, III (Funk, *o. c.*, I, p. 394 s.).

sitatis colimus, eum nec sanguinis, nec libaminum, nec suffimentorum indigum esse, ut edocti sumus, asserentes ; sed verbis precationem et gratiarum actionem habentibus, in his omnibus quae sumimus (ἐφ'οἷς προσφερόμεθα) (1), eum, quantum possumus laudantes pro creationis beneficio, pro omnibus ad bonam valetudinem adjumentis, pro diversarum rerum qualitatibus ac vicissitudinibus tempestatum, et propter fidem, qua illi credimus, precibus eum orantes ut rursus incorrupti fiamus ; quippe cum hanc solam colendi rationem illo dignam esse edocti simus, quae ab eo ad alendum creata sunt, non igne consumere sed ad nostros et pauperum usus offerre (τοῖς δεομένοις προσφέρειν) (2), ac gratum ei animum praestantes, rationalibus eum pompis et hymnis celebrare ? »

Quae ab auctore hujus mundi ad alendos homines creata sunt, replicat igitur s. Justinus, non absque ironia, igne non consumimus, sed cum gratiarum actione manducamus, itaque eadem dona, quae ceteroquin cum pauperibus communicamus, nobismetipsis offerimus simul ac egentibus, eo quod edocti sumus ipsum creatorem nihil harum rerum indigere.

(1) Verba : « ἐφ'οἷς προσφερόμεθα », cum auctoribus supra laudatis, vertimus : « de omnibus quae sumimus » ; ita accipiuntur in *I Apol.*, LXVII ; cf. etiam Xenoph., *Cyr.*, IV, 2, 41. — Τὸ προσφερόμενον dicitur pro alimonia apud Xenoph., *Cyn.*, VI, 2 ; Hippocr., 959 a, 1086 a, etc., juxta lexicographos. Haec translatio, uti patet, melius quadrat cum tota arguendi ratione s. Justini, qui non absque ironia notat haec animalia potius manducanda quam igne consumenda, siquidem ad alendum hominem creata sunt.

(2) Justinus hanc vocem προσφέρειν nunc audit sensu etymologico : ob-ferre, quem supra explicavimus ; non agitur de sacrificio, licet talem vocem verisimilius elegerit s. martyr, quia de sacrificiis disputatur, et heic adhuc apparet ironia : obferimus nobismetipsis, inquit, et subaudit : et eadem cum gratiarum actione manducamus. — Casel, *Die Eucharistielehre des h. Justin's Martyr*, apud period. *Katholik*, IV F., XIII, p. 167, n. 1, Mainz, 1914, minus recte ponit προσφέρειν = manducare ; directe dicit s. Justinus : ea non consumimus, sed nobis offerimus, revera dum manducamus, sed directe non indicatur ipsa comestio. — Ex hoc loco dirimendum censet Andersen, *o. c.*, p. 15, quid sit sacrificium de quo agitur in *Dial.*, XLI et CXVII : « Wir opfern also die Gottesgaben, indem wir das Eigentumsrecht an ihnen aufgeben, und sie geniessen unter Danksagung, und sie den Dürftigen zum geniessen geben » ! — Cum talibus elucubrationibus connexae sunt etiam affirmationes, de quibus supra diximus, et quales apud Harnack, *Dogmengeschichte*, I, p. 225 et Wieland, *l. c.*, legimus ; ii auctores nullatenus percipiunt verbum προσφέρειν adhiberi posse sensu etymologico, uti hoc nostro loco, in *I Apol.*, XIII et adhuc infra, *I Apol.*, XLV et LXVII ; immerito proin talia testimonia in explicationem sacrificii Eucharistici attrahunt.

Wieland praesertim arguit ex hac voce ἀνενδεής : ita, ait, sacrificia manifeste tanquam donaria describuntur, quibus Deum haud indigere pronuntiatur; his autem donis a paganis, sub lege naturali, Enti Supremo praestandis, non opponit s. Justinus oblationem corporis et sanguinis Christi, quae optime tanquam donationem proponere potuisset, sed objectionem penitius diruit; haec enim oblata in Eucharistia etiam dici possent « possessio » Dei, et ideo, ne hanc novam difficultatem sibi attrahat, sacrificium quod a christianis offertur, precem proclamat atque eucharistiam, qua fideles creatorem laudant, quantum ipsi valent.

Totum argumentum per basim ruere jam possumus asserere, si animadvertimus s. martyrem nullatenus Eucharistiam in hoc textu respicere; attamen juvat interpretationem cl. critici aliquantisper adhuc evolvere, quum mox ad excerpta ex aliis apologetis, praesertim ad textum Athenagorae, easdem considerationes rursum adducat.

* * *

Et revera explicat Athenagoras (1) cur christiani victimas mactare omittant : « Sed quia plerique eorum, inquit, qui nos atheos esse criminantur, cum Dei cognitione ne per somnium quidem informati, sed rudes et ignari naturalium et divinarum rerum, pietatem victimarum norma metiantur, vitio illud etiam nobis vertunt, quod non eosdem ac civitates deos cognoscamus; spectate, quaeso, utrumque, imperatores; ac primo quidem cur non immolemus ».

» Opifex universorum et parens non eget sanguine, nec nidore nec florum aut suffimentorum odore; sed ipse est suavissimus odor, nec ullius rei intra se indigus est aut extra; sed victima ei praestantissima si cognoscamus quisnam ille sit qui coelos extendit et conglobavit, qui terram instar centri stabilivit, qui congregavit aquas in maria, ac lucem a tenebris secrevit, qui astris aetherem ornavit, fecitque ut terra omne semen educeret, qui animalia creavit et hominem finxit. Hunc igitur opificem tenentes Deum, qui omnia scientia et arte gubernatrice conservat ac inspicit; si puras ei manus tollamus, quid adhuc ei opus est hecatomba? »

« Quo mihi holocausta, quorum non indiget Deus (ὧν μὴ δεῖται ὁ θεός), cum victimam incruentam offerre et cultum rationabilem adhibere oporteat? (καίτοι προσφέρειν δέον ἀναίμακτον θυσίαν, καὶ τὴν λογικὴν προσάγειν λατρείαν) ».

(1) *Legatio pro christianis*, XIII (PG., VI, 915 s.).

Cultum illum rationalem, juxta etymon vocis λογικὴ, audit Wieland (1) de cultu, qui Deo per verba laudatoria persolvitur, illamque expressionem parallelam contendit ad « victimam incruentam », adeo ut eadem idea duplici locutione aequivalenti exprimatur. Revera ex eodem parallelismo in praecedentibus : « quid adhuc ei opus est hecatomba », et mox : « quo mihi holocausta », haec sententia haud improbabilis apparet, sed prorsus gratuito ulterius infert cl. auctor hanc victimam incruentam esse ipsam Eucharistiam.

Attamen ut hanc ultimam suam assertionem ratione muniat haec adhuc addit : mira est similitudo tum inter hanc orationem laudatoriam, apud Athenagoram succincte propositam, et orationes Doctrinae XII Apostolorum, quae ad sumptionem Eucharistiae proferuntur, quum inter eamdem precationem et eucharistiam seu gratiarum actionem quam s. Justinus Deo tribuendam proclamat. Atqui orationes, quas in Doctrina XII Apostolorum et in I Apologia, XIII, legimus, Eucharistiam respiciunt, itaque pariter Athenagoras ad dona sacrificalia paganorum meram orationem eucharisticam opponit.

Respondetur : quod orationes spectat, quas in Didachè reperire est, primo, similitudo inter easdem et textum Athenagorae non tam arcta videtur, ut rem dirimere possit, et insuper disputatur utrum necne hic locus ex Doctrina reipsa celebrationem Eucharistiae describat. Quod sectionem ex I Apol., XIII attinet, haec pericope certocertius Eucharistiam non attendit, et ex hac parte argumentatio omnino claudicat.

Non infitiamur tamen philosophum atheniensem per victimam incruentam sacrificium Eucharisticum indicare potuisse, praesertim ubi textus quosdam liturgicos attendimus (2), in quibus « victima incruenta » indubie hostiam Eucharisticam designat, sed ista consideratio minus tamen nos convincit, quoniam Athenagoras, in eodem contextu, praestantissimam victimam immolatam iri proclamat, si Deum creatorem et gubernatorem rerum omnium agnoscamus ; nihil igitur in his testimoniis decretorie conficit apologetas sacrificiis paganis opponere sacrificium Eucharisticum, et non potius

(1) Wieland, *Opferbegriff*, p. 69.

(2) Refert Dorsch, *Opferch.*, p. 238, qui et ipse testimonium Athenagorae de Eucharistia interpretatur, textum sequentem ex liturgia s. Marci : « προσφέρομεν τὴν λογικὴν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν ταύτην » ; ita etiam in Anaphora Serapionis : « προσηνέγκαμεν ταύτην τὴν ζῶσαν θυσίαν, τὴν προσφορὰν τὴν ἀναίμακτον » ; de hac liturgia s. Marci et de Anaphora Serapionis infra dicemus.

preces christianorum, adeo ut ex hisce locis, de quibus impraesentium lis agitur, non tantum non appareat ritum Eucharisticum esse orationem, quod asseverat Wieland, sed praeterea ex iisdem nihil de essentia sacrificii Eucharistici definire atque determinare liceat.

* * *

Haec nostra interpretatio, quae tenet s. Justinum et apologetas sacrificiis paganis non opponere sacrificium Eucharisticum, sed meram orationem communem, quam persolvunt christiani dum grato animo manducant quaecumque ad alendum hominem creata sunt, ex ipso ratiocinio ab apologetis christianis adstructo omnino confirmatur.

Recte advertit Wieland (1) philosophos, tum christianos, quum paganos, optime novisse Deum nullatenus sacrificiis ceu cibis indigere, etiam si rudioribus quibusdam inter gentiles, mactatio victimarum potuerit apparere tanquam collatio alimoniae diis; hoc ipsum autem cl. doctorem incitare debuisset ut argumentum intimius perpenderet.

Respondent enimvero apologetae philosophis paganis, quibuscum de non donandis cibis consentiunt, neque proin aiunt : nos etiam aliquid Deo donamus, corpus nempe et sanguinem Christi, uti eos praeter rem omnino respondere vellet Wieland ; sed ad hominem arguendo ita replicant : nihil prorsus Deo donandum est, quippe quum ipse nulla re indigeat, ideoque nos christiani cultum illi praestamus, solum illo dignum, dum laudes pro omnibus acceptis beneficiis persolvimus, et cum gratiarum actione comedimus quaecumque, ait s. Justinus, ad alendum hominem creata sunt ; hac ratione porro supremum Dei dominium egregie agnoscimus.

Ad hominem similiter argumentatur Clemens alexandrinus, cujus testimonium apud Wieland in eodem contextu ad confirmandam suam thesim adducitur.

« Propter quam causam, ita Clemens, merito nos Deo non sacrificamus (2), qui nullius indiget, et omnia praebuit hominibus sed eum glorificamus qui est pro nobis sacrificatus nos ipsos sacrificantes » (3) — « Quemadmodum ergo Deus loco non circumscribitur ; neque animalis figurae unquam assimilatur : ita nec in eum

(1) WIELAND, *Opferbegriff*, p. 72.

(2) Agitur, uti ex contextu paret, de sacrificiis cruentis, nam Clemens alexandrinus sacrificium Eucharisticum prorsus agnoscit, uti infra comprobabimus.

(3) *Stromata*, VII, 3 (PG., IX, 417 s.).

similes cadunt affectiones, neque alicujus indiget ;... ei qui non nutritur cibum praebere est stultitia » (1).

Ad instantiam quinimmo, quam ipsi merito opposuissent philosophi, qui de non donandis cibis plane consentiebant, sed Deum nihilominus victimis honorandum esse affirmabant, Alexandrimus haec respondet : « Sin autem gaudet (Deus) honorari, cum natura nullius indigeat, non abs re nos Deum precibus honoramus, et hoc sacrificium optimum et sanctissimum cum justitia emittimus » (2).

De « donariis honorificis » prorsus non agit textus ; sed de illis loquitur Wieland (3), qui donationem per fas et nefas controversiae inserere studet. Praeterea, objectio proposita talem notionem sacrificii explicitis verbis excludit, nam Deum non indigentem affirmat, itaque ad rem omnino respondet Clemens, et ad hominem arguit : si nullius rei Deus indiget, ne alimenta illi praebeantur ; sin autem honorari cupit, et nos christiani hunc honorem ipsi praestamus, et precibus eum honoramus, quod optimum sane et sanctissimum sacrificium (4).

* * *

Hac ratione igitur primum argumentum a Wieland allatum ad ordinatiorem formam redigere licet : philosophi christiani ad difficultatem ipsis a philosophis paganis objectam, quasi christiani sint athei, quia victimas non immolant, replicare omittunt se etiam aliquid Deo donare, corpus scilicet et sanguinem Christi ; sed respondent solummodo se sacrificium optimum offerre, precem nimirum eucharisticam, adeoque, ait cl. doctor, hac oratione sacrificium Eucharisticum absolvi constat.

His elucubrationibus sequentes opponimus animadversiones : omnino erronee respondissent apologetae se Deo aliquid donare, corpus nempe et sanguinem Christi, quia revera in sacrificio nihil Deo donatur. Quia non replicant se etiam aliquid donare statim infert cl. criticus nullam esse oblationem Eucharisticam ! Jamvero, oblationem proprie dictam admittimus in Eucharistia, neque tamen

(1) *Strom.*, VII, 6 (PG., IX, 439 s.).
(2) *Ibidem.*
(3) Wieland, *Opferbegriff*, p. 73 ; cf. etiam Goetz, *o. c.*, 202.
(4) Nihil ergo inferendum ex verbis Clementis alexandrini, ubi in eodem contextu (*Strom.*, VII, 6 in PG., IX, 443) altare vocat : « congregationem eorum, qui intenti sunt orationibus » ; notat ceterum ipse Wieland, *Opferbegriff*, p. 111, haud certo constare utrum Alexandrinus ibidem Eucharistiam respiciat.

aut in sacrificio Eucharistico, aut in quolibet ceterum sacrificio, quidquam sensu proprio donari dicimus.

Potuissent revera apologetae, omissa nimirum erronea definitione sacrificii, respondere se revera habere sacrificium, potuissent vel imo explicationem subnectere quomodo hoc sacrificium intelligendum veniat, sed ipsi opinati sunt melius fore si ad hominem arguerent, et recte quidem quoniam, aliis adhuc considerationibus omissis, tunc statim objectionem praevertendam habuissent, quemadmodum sacrificium Eucharisticum non sit in destructione alicujus rei, quae comedi possit, siquidem panis et vinum, licet sacrificaliter in oblatione Eucharistica non destruantur, terminus nihilominus sunt a quo et in quo actio sacrificalis incipit, uti in tertia parte latius explicandum habebimus.

Ad hominem ergo arguunt, et de sacrificio Eucharistico prorsus tacent, neque ideo definitionem sacrificii pagani per donationem accipiunt, sed, quoniam de nulla re Deo donanda cum philosophis paganis consentiunt, ad rem omnino replicant : nos etiam Deo nihil dandum profitemur, sed ea quae ad alendum hominem creata sunt, cum laude et gratiarum actione manducamus, et nobismetipsis « offerimus », uti cum ironia addit s. Justinus ; Deum nihilominus non inhonoramus, siquidem sacrificium orationis, solum illo dignum, in omnibus ceteroquin quae sumimus, ei absque intermissu persolvimus.

Difficultas profecto contra ipsam existentiam sacrificii Eucharistici suboriri posset, si non essent alii loci, in quibus apologetae aperte propugnant sacrificium Eucharisticum, et quidem proprie dictum ; jamautem, talia testimonia existunt, et eadem superius in tradenda doctrina s. Justini indicavimus ; attamen interpretationem horum textuum breviori negotio jam praestare juvat.

§ 2. — *I Apol., cap. LXV et LXVII.*

Una animadversione totam argumentationem enervare licet, quam cl. Wieland ad explicationem I Apol., LXV et LXVII proponit. Haec nimirum tota quanta est in assertione sequenti : s. Justinus ne verbum quidem habet de oblatione, dum saepe saepius e contra commemorat orationem ac eucharistiam, quam praeses in hoc sacro ritu emittit. Valde etiam miratur Wieland corpus et sanguinem Christi, quae et ipsa inter τὰ γενόμενα annumerari possent, nullibi tanquam donaria Deo praebenda describi, et nullam aliam hujus stupendae rei explanationem excogitare potest, quam hanc : christiani nihil prorsus Deo donandum habent, et ne quidem haec

alimenta sacra, per orationem sanctificata, Deo offerenda sive donanda cogitant (1).

Quae auctor de inepta notione sacrificii, quod donationem involvere putat, denuo subinserit, penitus omittimus ; quod autem silentium attinet, quo s. martyr oblationem in hac sectione praeterit, hoc satis superque inde intelligitur, quod s. Justinus caerimoniam ibidem describere intendit qua, juxta liturgiam primitivam, Eucharistia celebranda venit (2). In illo ritu, sacramentum conficitur atque sacrificium simul offertur, uti ex Dialogo cum Tryphone indubie patescit, sed sacrificium in Apologia intimius exponere haud necessarium duxerit s. martyr, et si Wieland rationem hujus silentii detegere non valet, hoc certo non sufficit ut affirmare possit s. Justinum quamlibet oblationem corporis atque sanguinis Christi ignorasse, et multo minus adhuc ut sacrificium Eucharisticum iis precibus et orationibus quoad essentiam absolvi asseverare queat.

§ 3. — *Dialogus cum Tryphone Judaeo.*

Post has omnes elucubrationes, cl. Wieland (3) denique examen instituit horum capitum ex Dialogo cum Tryphone Judaeo, a quibus, uti pronum est, exordiendum fuisset, sed primam ipsius animadversionem adversus Dorsch directam (4), omnino rem non attingere nemo statim non videbit.

Affirmat nimirum verbum ποιεῖν, quod cl. Dorsch cum ill. Batiffol (5), in textu Dialogi ad c. XLI, per « offerre » reddidit, nullo merito hac significatione gaudere, quia talis sensus apud s. Justinum, et pariter in LXX, nullibi occurrit, nisi ex contextu quaestionem de sacrificio moveri clare eluceat. Ex oppositione vel imo, addit, quae in hoc eodem capite viget inter προσφέρειν, ad oblationem sacrificalem similae adhibitum, et ποιεῖν, ad ritum Eucharisticum usurpatum, potius constat hoc ποιεῖν nullum sensum sacrificalem prae se ferre, sed significationem consuetam conservare, qua ποιεῖν dicit « facere », id est, « praesentem ponere » (6).

(1) Wieland, *Opferbegriff*, p. 76 s.

(2) Batiffol, *Euch.*, p. 6 : « Les liturgistes s'accordent à voir dans la liturgie décrite par Justin, l'état le plus ancien de cette liturgie, l'état antérieur aux différenciations régionales, d'où sont sorties les grandes familles liturgiques » ; cf. Watterich, *Der Konsekrationsmoment im hl. Abendmahl*, p. 121, Heidelberg, 1896 ; Drews, art. *Messe*, II, in PRE., XII, p. 702, 1903[3] ; Rauschen, *Euch. und Buszsakrament*, p. 95 s.

(3) Wieland, *Opferbegriff*, p. 81 s.

(4) Dorsch, *Opferch.*, p. 268 s.

(5) Batiffol, *Euch.*, p. 24 ; ita et D. Stone, *o. c.*, I, p. 50.

(6) Cf. etiam Harnack, *Dogmengeschichte*, I, p. 231, n. 1.

Primum adnotari potest ex contextu luce clarius apparere quaestionem agi de sacrificio, et quippe ex ipsa comparatione cum oblatione similae, quae figura dicitur istius novi ritus, et oblationis proin Eucharistiae; totidem verbis insuper in eodem capite proponitur celebratio Eucharistiae tanquam sacrificium : « De iis autem, quae in omni loco a nobis gentibus offeruntur ei, sacrificiis (προσφερομένων.... θυσιῶν), hoc est de pane Eucharistiae et de calice similiter Eucharistiae jam tum (Deus per Malachiam) praedicit » (1). Haec est prima ratio, et haec ipsa quam postulat Wieland, ut verbo ποιεῖν etiam sensum tribuamus sacrificalem. Altera ratio pariter obvia videtur : s. Justinus presse inhaeret sacrae Paginae, in qua cum eadem connexione (2) ad memoriam passionis celebrandam legimus : « Hoc facite in meam commemorationem »; unde indubium prorsus videtur vocem ποιεῖν, eadem ratione intelligendam apud s. martyrem, qua in Scriptura sacra, ita ut confectionem Eucharistiae, sed et oblationem atque sumptionem simul includat (3).

Putamus adhuc eodem modo, in capite LXX ejusdem Dialogi, vocem ποιεῖν de integro ritu Eucharistico, itaque et de oblatione

(1) *Dial.*, XLI (PG., VI, 563-564).

(2) Cf. *Lc.*, XXII, 19 et *I Cor.*, XI, 24. — Ex his apparet quam inepta sit methodus, quam J. RÉVILLE, *o. c.*, p. 3, vocat « regressivam », quamque in hac materia ut suiipsius innovationem laudat. Animadvertit nimirum inutile videri theorias investigare, quae saec. IV, aut s. IX aut etiam saec. XVI enatae sunt, eo scopo ut auctores intelligamus, qui I vel II saec. jam scripserunt, quod libentur concedimus, sed necessarium tamen est ut haec documenta cognoscamus ac attente prae oculis habeamus, quae scriptores ecclesiae primitivae constanter invocavere, et ad litteram vel imo secuti sunt, licet hoc expressis verbis non dixerint. Concedimus pariter hanc inquisitionem,quae a Scriptura sacra ac praesertim ab epistolis paulinis exorditur, non esse facillimam, sed inde non sequitur haec documenta ex scriptis s. Justini vel aliorum scriptorum ecclesiae primitivae intelligenda, quod Réville nihilominus affirmat. Non attendit insuper cl. criticus hanc suam assertionem priori suo principio offendere, quod dicit (*ibidem*, p. 2) textum praeprimis in se et ex sese intelligendum, et quidem, uti ait, juxta illud « medium religiosum ac sociale », in quo conceptus et elaboratus fuerit. Ut recte Justinum intelligamus, epistolas paulinas igitur inspiciamus oportet; ita juxta primum principium, quod omnino admittimus; sed necessarium non est ut Apostolum per Justinum interpretemur, uti cl. Réville in altero principio asseverat.

(3) Ex hac voce ποιεῖν argumentatur GOETZ, *o. c.*, p. 200, ut ostendat s. Justinum Eucharistiam tanquam sacrificium habuisse; secum assentientes adducit R. A. Hoffmann, Kattenbusch, Loofs et Andersen; cf. etiam HARNACK, *Dogmengeschichte*, I, p. 231, n. 1. — Hunc sensum et nos propugnamus, sed unice ob connexionem ad textum sacrum; vide supra, quae ad hanc vocem disputavimus, ubi ipsum textum sacrum explicuimus.

simul audiendam esse ; sed juxta Wieland (1), cui in hac materia consentiunt J. Réville (2) et M. Goguel (3) de sacrificio ibidem nullatenus agitur.

Argumentum porro a cl. doctore allatum rem nullatenus conficit. Advertit enim primo, Isaiam, ad cujus testimonium in hoc capite provocatur, revera sacrificium non respicere, sed unice loqui de cibo et potu spirituali, qui « Justo » vel « Messiae » proponuntur. Respondetur : transeat; sed quid obstat quominus s. Justinus, quamquam Eucharistiam ut panem et potum supersubstantialem praeprimis spectat, verba institutionis nihilominus adducat, in quibus ποιεῖν, tum ad sacramentum, tum ad sacrificium referendum supra solide comprobatum confidimus. Deinde, praeter rem advertit auctor nihil offerri Messiae aut christianis, quandoquidem textus dilucide habet : « Liquet igitur in hac quoque prophetia et de pane illo praedici, quem nobis Christus noster facere praecepit (ὃν παρέδωκεν... ποιεῖν)... propter eos qui in ipsum credunt ». Non dicitur ergo Christum praecepisse ut faceremus *nobis* panem, sed pronuntiatur Dominum nobis demandasse ut panem faceremus, et illud « facere », ex arcta connexione ad sacram Paginam denominat integrum ritum sacrum, in quo sacramentum conficitur et sacrificium offertur.

Wieland ceteroquin semper loquitur de « faciendo vino », sed non explicat quemadmodum hanc locutionem : « facere vinum » accipere debeamus. Quid sibi velit expressio : « facere panem », plus minusve adhuc percipimus ; quid significet « facere vinum » prorsus nos latet, nisi textum Scripturae sacrae prae oculis habeamus, et tunc revera intelligimus, sed omnino aliud quam illud quod cl. criticus nobis suggerit.

* * *

Post hanc adnotationem, cl. Wieland jam propius ad ipsum argumentum nostrum infringendum accedit (4). Primum examinat cap. XLI in Dialogo, et comparationem ibidem oblationem similae

(1) Wieland, *Opferbegriff*, p. 83.

(2) Réville, *o. c.*, p. 8, n. 1.

(3) Goguel, *o. c.*, p. 273. Censet Goguel hoc loco in Dial., LXX non agi de offerendo sed de « celebrando pane », sicut apud Mt., XXVI, 18 dicitur : « ποιῶ τὸ πάσχα » ; ita pariter Réville, *l. c.*, qui in explicationem adducit locutionem : « faire ses Pâques » ; infeliciter autem, tum Réville, quum Goguel, omittunt explanare quid sibi velit expressio « celebratio panis », quam intelligere non possumus.

(4) *Opferbegriff*, p. 84 s.

inter et ritum Eucharisticum, eo absolvi contendit, quod utrimque agitur de « pane », simul ac de eucharistia seu gratiarum actione, et de purificatione. Jamvero, cum hoc ratiocinio ex « tertio comparationis », quod saepius jam audivimus, terminus omittitur et quidem praecipuus ipsius collationis ; simila enim sub VT. purificationi inserviebat, non autem qua simila, sed quatenus oblata, adeoque ad oblationem, in ritu Eucharistico, ratione ipsius comparationis merito concludimus.

Ad argumentum, quod ex vaticinio Malachiae desumpsimus, cl. theologus sequentes opponit animadversiones : describitur, ait, novum illud sacrificium apud prophetam tanquam *thymiama* et *minḥâh*, quae erat sacrificium incruentum ; atqui, quum thymiama de Eucharistia ad litteram audiri nequat, ita nec minḥâh ; eo vel magis quod s. Justinus in ipsa applicatione prophetiae ad Eucharistiam, unice loquatur de θυσίαις (προσφερομένων... θυσιῶν), adeo ut vox θυσίαι pro terminis : thymiama et minḥâh simul supponat ; designatio impropria itaque, quam jam subindicat verbum thymiama, pro Eucharistia servanda restat.

Hanc difficultatem superius praevenimus, et expressionem Malachiae ex sese generali ratione potius accipiendam esse diximus, quare libenter annuimus ex hac prophetia demonstrari non posse, quod quidam auctores opinati sunt, novum sacrificium fore incruentum. Attamen cl. theologo minime assentimus, quando exinde statim infert : nullatenus ex prophetia eruendum quodnam futurum sit illud sacrificium novum, utrum scilicet thymiama, an minḥâh, an etiam mera oratio eucharistica. Postulatur enim ut oblatio nova audiatur sensu proprio, nec sufficit ad adimpletionem vaticinii, ut quodcumque sacrificium, etiam improprie dictum, qualis esset oratio eucharistica, sacrificio rituali foederis antiqui substituatur. Dein ex hoc quod s. Justinus disserit de θυσίαις, in applicatione prophetiae ad Eucharistiam, non confirmatur, sed magis adhuc infirmatur sententia orationis eucharisticae, quandoquidem θυσίαι sacrificium proprie dictum indubie denominant.

Eamdem applicationem vaticinii Malachiae in Dial., CXVII legimus : « Qui ergo per illius nomen sacrificia ipsi offerunt ea, quae a Jesu Christo praescripta sunt, id est quae in Eucharistia panis et calicis (τουτέστιν ἐπὶ τῇ εὐχαριστίᾳ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου) a christianis in omni terrarum loco offeruntur, hos omnes in antecessum Deus gratos sibi esse testatur ». — Dicitur : « Eucharistia panis » et non : « panis Eucharistiae », itaque, inquit Wieland, agitur non de pane et vino Eucharistico, sed de oratione eucharistica ad

consecrandum panem et vinum, et ita clare apparet essentiam hujus sacrificii oratione absolvi.

Argumentum statim retorqueri posset adversus cl. auctorem, quum non appareat cur haec locutio in Dial., CXVII illi priori testimonio ex Dial., XLI praeferri debeat ; optime ceteroquin explicatur inversio inter « panem » et « Eucharistiam », ex ipsa connexione ad narrationem institutionis, ad quam eaedem expressiones luculenter referuntur (1).

* * *

Attamen Wieland hunc priorem textum ex Dial., XLI, non nisi tanquam objectionem contra suam theoriam attendit, quia persuasum habet sacrificium novum et mundum apud s. Justinum tanquam precationem describi, et hoc luce meridiana clarius patescere dicit, ex ipso cap. CXVII, in quo s. martyr aperte profitetur : « Equidem preces et gratiarum actiones, quae a dignis peraguntur, sola esse et perfecta et Deo accepta sacrificia et ipse pronuntio » ; ex hac concessione, in ipsa disputatione de essentia sacrificii prolata, ait, nihil dubii subesse potest quin s. Justinus sacrificium Eucharisticum tanquam orationem accipiat (2).

Notatum prius velimus non ita directe, uti contendit cl. doctor, hoc loco quaestionem tractari de vaticinio, quandoquidem s. Justinus in Dial., CXVII, ad objectionem potius respondet, dum in capite XLI ex professo exponit quemadmodum sub nova lege adimpleatur vaticinium, quod sub VT. praenuntiatum fuerat. Lis praeterea nulla viget inter Justinum et Tryphonem Judaeum de essentia sacrificii : difficultas philosopho christiano proposita haec ipsa est : concedit Judaeus sacrificia vetera omnia abolita fuisse, sed prophetiam Malachiae nihilominus populum electum spectare affirmat, quoniam preces a judaeis, ubique terrarum in Dispersione degentibus, persolutae, hanc oblationem mundam constituunt, quam Malachias praedixerat.

Duplex via patebat s. Justino ut hanc objectionem confutaret :

(1) Cf. *Lc.*, XXII, 19 et *I Cor.*, XI, 24.

(2) Wieland, *Opferbegriff*, p. 87, multum insistit in scopo hujus novi ritus, quem indicat Malachias : « ut nomen meum glorificetur in gentibus », et ibidem confirmationem adhuc suae sententiae inveniendam putat ; haec porro nulla est, nam glorificatio aequo saltem titulo sane a sacrificio quam ab oratione et gratiarum actione procedit. — Haec theoria orationis eucharisticae protestantibus semper grata fuit ; citamus tantum heic quaedam testimonia recentiora : J. Hoffmann, *o. c.*, p. 238 ; ita etiam J. Réville, *o. c.*, p. 19 et Harnack, *Dogmengeschichte*, I, p. 226 et p. 231, n. 1.

prior haec erat, quam oppugnatores Reformationis saeculo XVI ingressi sunt, qui responderunt orationes non esse sacrificia, nisi sensu improprio, ac deinde comprobarunt verum esse sacrificium, et quidem proprie dictum, quod christiani in ritu suo sacro offerunt. Hanc viam non inivit s. Justinus ; cur vero hac ratione non arguerit, nos profecto latet, sed ipsi philosopho, magis quam nobis, obvium erat judicium quanam methodo adversarium suum aptius refellere posset.

Altera autem via erat quam s. martyr elegit : ad hominem nimirum argumentatur et preces aut gratiarum actiones sacrificia perfecta pronuntiat, siquidem oblatio sacrifica novae legis, secundum speciem suam externam, tanquam eucharistia et gratiarum actio praecipue apparet ; ex hac apparentia externa ceteroquin ipsum nomen Eucharistiae explicatur, itaque, ardua quaestione de essentia sacrificii praetermissa, Justinus affirmare poterat : sacrificium constituunt orationes, non quaecumque, (quum in hac hypothesi et preces judaeorum in Diaspora degentium, et imo deprecationes christianorum omnes, aequo saltem titulo sacrificium nuncupare liceret), sed eae praecipue quae a dignis peraguntur, « etiam in recordatione alimoniae suae siccae et liquidae, in qua etiam passionis quam Filius Dei propter eos pertulit, recordantur ». – S. martyr igitur ipsum ritum hîc respicit, quem alibi describit cum multis precibus, tum a fidelibus, quum ab episcopo, proferendis, ita ut inter easdem orationes, emineat antistitis precatio, quae verba ipsius Christi complectitur ; itaque dicit : « Equidem preces et gratiarum actiones, quae a dignis peraguntur, sola et perfecta et Deo accepta sacrificia et ipse pronuntio ».

Haec nostra interpretatio, quae tenet per preces christianorum, in Dialogo, cap. CXVII, indicari ipsum ritum Eucharisticum, plene confirmatur, tum ex textu, quum ex vi ipsius argumenti, quo philosophus objectionem adversarii sui removendam suscipit.

Primo, ex textu, hoc modo arguimus : « Equidem, ait Justinus, preces et gratiarum actiones (*εὐχαι καὶ εὐχαριστίαι*), quae a dignis peraguntur, sola esse et perfecta et Deo accepta sacrificia (*εὐάρεστοί εἰσι τῷ θεῷ θυσίαι*) et ipse pronuntio » ; non pergit : « eas » scilicet orationes, solas persolvunt christiani, sed mutato genere, licet unice hucusque de *εὐχαὶ*, *εὐχαριστίαι* et *θυσίαι* locutus sit, ita prosequitur : « Haec (*ταῦτα*) enim christiani quoque sola peragere (*ποιεῖν*) didicerunt, etiam in recordatione alimoniae suae siccae et liquidae, in qua etiam passionis, quam Filius Dei propter eos pertulit, recordantur ». Nemo non videt his verbis ad ritum Eucharisticum alludi, itaque merito verbum *ποιεῖν* ad mandatum institutionis referri suspicamur.

Facile concedimus hoc argumentum non esse decretorium. At vero secundo, et praecipue, vim invocamus ipsius argumenti, quod Justinus adversario suo opponit. Scimus enim certo s. martyrem unum tantum agnoscere sacrificium sub nova lege adhuc offerendum, sacrificium scilicet Eucharisticum, neque hanc veritatem diffitebitur Wieland, qui hac de causa ad specialem orationem in Eucharistia celebranda provocat ; novimus adhuc Justinum nullatenus admittere preces Judaeorum in Dispersione degentium esse sacrificium, quandoquidem vaticinium Malachiae in solis christianis adimpletum profitetur. Atqui, si s. Justinus revera essentiam sacrificii in hoc loco respicit, uti affirmat Wieland, et si pronuntiat sacrificium novae legis essentialiter oratione absolvi, tunc omnes orationes christianorum, aequo saltem titulo nuncupari possunt « sacrificia » ; quinimmo precationes populi electi in Diaspora versantis, inter sacrificia proprie dicta connumerandae erunt, itaque ejus argumentum reipsa nullum erit.

Ut primam hanc consequentiam eludat, recurret Wieland ad orationem « specialem » eucharisticam, ad quam ceterum, ait, praesentia realis Christi adhuc consequitur. Respondetur : essentia rei non mutatur ex adjunctis, neque ex effectu, quare nihil referunt circumstantiae peculiares, in quibus « eucharistia » pronuntiatur, neque importat etiam praesentia realis : quaecumque res sunt eadem essentia, eodem nomine merito condecorantur.

Ad secundam sequelam evitandam, cl. auctor ad instantiam provocabit ipsius s. Justini, qui preces judaeorum in Dispersione habitantium non vocat sacrificium, quia non in omni loco nunc offeruntur, neque unquam oblatae fuere. Verum, si ita mentem ipsius s. martyris perfecte attigerit, adhuc corruit argumentum a s. Justino adstructum, quoniam jure replicare poterit Judaeus : siquidem utrimque idem est sacrificium, quia orationes utrimque essentialiter eaedem sunt, vaticinium Malachiae non exclusive de christianis, sed simul de judaeis audiendum venit.

Non asseveramus s. martyrem has omnes distinctiones et disquisitiones de essentia sacrificii praevidisse, sed inde explicationem nostram potius corroborandam, quam infirmandam opinamur : in Dial., XLI philosophus enim dilucide exposuit christianos verum habere sacrificium, in quo panis Eucharisticus et calix similiter Eucharisticus offeruntur, adeoque in Dial., CXVII, ubi solam objectionem praevertendam habet, brevi negotio rem dirimere potest, et ad hominem arguendo respondet : utique, sacrificia antiqua, cum sanguine et fumo, tollenda sunt, atque sola perfecta, Deo grata sacrificia sunt preces, quae a dignis persolvuntur ; « haec etiam

sola peragere didicerunt christiani », quando a Christo mandatum Eucharistiae instaurandae acceperunt.

Quaestionem de essentia sacrificii Eucharistici igitur penitus omittit s. Justinus, sed honeste nihilominus arguit, uti Wieland postulat ; eodem enim sensu utrimque intelligitur sacrificium : non sensu « orationis abstractae », per oppositionem ad sacrificium quoddam concretum, prout vult cl. theologus, sed eo sensu, quod ritus Eucharisticus a christianis frequentatus externe, eodem modo ac εὐχαὶ judaeorum, tanquam oratio apparet, quamquam tali oratione non absolvitur, neque essentialiter constituitur. Honeste ergo argumentatur, quia argumentum ad hominem supponit ut sub eodem respectu, res illae de quibus lis movetur, eaedem proclamentur atque concipiantur, quin ideo necessario essentia conveniant (1).

Art. 3. — Argumenta ex scriptis s. Justini in adjumentum theoriae convivii sacrificalis.

Post longam hanc disputationem theoriae a Wieland elucubratae (2), pauca addere juvat de sententia convivii sacrificalis ; argumenta enim quae Renz, in adjumentum opinionis suae, ex scriptis s. Justini congerit, si excursus prolixiores omittimus, ad has praecipuas considerationes reducuntur.

Primo, verbum ποιεῖν vertit Renz per vocem : praeparare, quod de praeparando convivio in memoriam passionis audit (3) ; multum dein in iis expressionibus insistit, in quibus s. martyr convivium aliquod describere videtur ; valde etiam gaudet de inventa locutione : « ἐπ' ἀναμνήσει δὲ τῆς τροφῆς » (4), et quoniam haec ἀνάμνησις simul cum passione connectitur (ἀνάμνησις τοῦ πάθους) (5), indubie inde constare censet sumptionem cibi ac potus Eucharistici esse commemorationem aliquam realem ac dramaticam ipsius passionis Domini, convivium quoddam commemorativum, anamnesin scilicet convi-

(1) Dorsch, *Opferch.*, p. 272, solutionem hujus difficultatis requirit in distinctione inter sacrificium perfectum et sacrificium simpliciter dictum, et in Dial., CXVII censet agi de sacrificio perfecto, quod orationem et gratiarum actionem secum connexas habet ; haec vero distinctio, uti ipsi opponit Wieland, *Opferbegriff*, p. 89, cui in hac animadversione assentit Rauschen, *Euch. und Buszsakrament*, p. 87, ex testimonio s. martyris non commendatur.

(2) Quod confirmationem spectat theoriae sacrificii coelestis, quam ex *I Apol.*, LXVI et *Dial.*, LXX haurire studet Brightman, remittimus ad Mortimer, *o. c.*, p. 229 ; cf. adhuc D. Stone, *o. c.*, I, p. 50 s.

(3) Renz, *Geschichte*, I, p. 153 et p. 155.

(4) *Dial.*, CXVII (PG., VI, 745).

(5) *Dial.*, XLI (PG., VI, 564).

valem, monumentum passionis et commemorationem sacrificii peracti, non autem sacrificium per se subsistens sicut erat sacrificium paganum.

Has assertiones, in quibus quaedam videri possunt vera, in lumine totius theoriae, quam in parte prooemiali ex professo exposuimus, considerare oportet (1) ; sufficiat igitur nunc tales animadversiones afferre, quae directe ad textum s. Justini faciant.

Primo, ad vocem ποιεῖν quod spectat, satis erit meminisse demonstrationis, per quam superius confecimus hoc verbum ad narrationem institutionis referendum esse, et eodem sensu sumendum, quo in Scriptura sacra adhibetur : denominat nimirum integrum ritum, in quo sacramentum conficitur, sacrificium offertur atque Eucharistia sumitur, quin fas sit exinde concludere, oblationem sacrificii esse in conficiendo sacramento qua tali, et multo adhuc minus eam esse in sumenda Eucharistia, quod auctor ex solo capite CXVII in Dialogo eruendum affirmat.

Recte advertit cl. Renz aspectum sacrificalem a respectu sacramentali nondum separari apud s. martyrem ; et revera, luculenter apparet sacrificium et sacramentum a s. Justino simul describi, quin ipse s. martyr distinctiones subjungat, quales postea apud theologos legere erit. Sed, textum certo excedit, quando ad hanc adnotationem ulterius addit : celebratio Eucharistiae non in tantum est sacrificium, in quantum sacramentum offertur, vel etiam, uti in eodem contextu, magis accurate, sed non minus erronee explicavit : corpus et calix Eucharistiae non sunt objectum sacrificii (2). Ad taedium usque jam adnotavimus : scriptores ecclesiastici hujus aevi primitivi, non scribunt explicitis verbis : in celebratione Eucharistiae habetur et sacrificium, et sacramentum ; sacrificium, in quantum corpus et sanguis Christi offeruntur, et sacramentum, in quantum sumuntur ; attamen, *licet utramque formulam et locutionem non distinguant*, *res distinctas* nihilominus *perfecte cognoscunt*, quod etiam sufficienter ostendunt.

Ex textu pariter nullatenus elucet, quod cl. auctor dicit :

(1) Ita notatim verum est, sacrificium Eucharisticum non esse sacrificium absolutum, eodem modo quo sacrificium paganum, quoniam adhuc est essentialiter relativum ad sacrificium crucis ; verum est etiam, sumptionem Eucharistiae suo modo spectare ad sacrificium ; sed falsum est, sacrificium Eucharisticum absolvi praeparatione cibi Eucharistici, seu confectione sacramenti qua tali et communione, etiam si in hac praeparatione et sumptione memoriam passionis admisceamus ; animadvertendum est insuper hunc auctorem strenue impugnare opinionem, quae sumptionem tanquam aequivalentem destructionem explicare satagit.

(2) Renz, *Geschichte*, I, p. 154.

ritus Eucharisticus in tantum est sacrificium, in quantum per sumptionem sacramenti, repraesentatur sacrificium Christi cruentum et in quantum hic ritus cum precibus conjungitur. Tandem, nimis insistit in sacrificio quodam gratiarum actionis, quod esset actio subjectiva communitatis et distinguendum a sacrificio objectivo, uti ait (1), seu a cibo Eucharistico. Nemo sane non videt quemadmodum tales assertiones viam straverint ad sententiam extremam propugnatam a Wieland, qui saepe saepius et magna cum laude, ad opus sui quondam praesidis appellat.

* * *

Verbulum tantum addimus de pictura quadam a Wilpert (2) in catacumbis detecta, et de inscriptione epitaphii Abercii (3), quae apud Renz in confirmationem opinionis convivii sacrificalis invocantur (4).

Ad characterem sacrificalem hujus coenae depictae concludunt auctores, uti Wilpert et Lingens (5), ex adjecta alia pictura, in qua sacrificium Isaac repraesentatur; attamen, essentiam sacrificii Eucharistici ex iis monumentis depromere obvium non est. Certo certius deinde ex hac pictura inferre nefas est, sacrificium Eucharisticum, quoad essentiam suam, convivio vel praeparatione epularum absolvi; praeter rem denique advertitur nullum esse altare in ista coena, sed unice mensam, quandoquidem in liturgia christiana, mensa tanquam altare sacrificio Eucharistico optime inservire poterat et potest (6).

(1) Renz, *Opferch.*, p. 55 et p. 59.

(2) Wilpert, *Fractio panis. — Die älteste Darstellung des Eucharistischen Opfers*, Freiburg i. B., 1895.

(3) Hoc epitaphium a Ramsay, anno 1883, prope urbem Hierapolim, in Phrygia repertum, exeunte fere II saec. lapidi incisum fuisse videtur. Hoc monumentum coenam ethnicam respicere opinati sunt quidam critici, quos citat Rauschen, *Floril.*, VII, p. 18. — Harnack, *Chronologie*, II, p. 183, Abercium sodalem putat cujusdam collegii religiosi, in quo ethnica ac christiana permixta erant, at multo verisimilius videtur hoc epitaphium unice coenam spectare christianam; vide Rauschen, *o. c.*, p. 17 s.

(4) Renz, *Geschichte*, I, p. 164 s. et p. 175.

(5) Lingens, *Archäologisches zur Dogmengeschichte*, apud ZKT., XX, p. 306, Mainz, 1896; cf. etiam R. S. Bour, art. *Eucharistie d'après les monuments de l'antiquité chrétienne*, apud *Dict. de Théol. Cath.*, V, 1183-1209; de charactere sacrificali in coena expressa agit c. 1201 s.

(6) H. Leclercq, art. *Agape*, apud *Dict. d'Archéol.*, I, 787, ex situ convivantium ad convivium-agape concludit; cf. adhuc Batiffol, *Etudes d'Histoire et de Théol. posit.*, p. 300 et Goguel, *o. c.*, p. 314.

In epitaphio Abercii, Eucharistiam tanquam communicationem corporis et sanguinis Christi proponi nemo diffiteri potest : « Fides ubique me duxit », ita ibidem legimus, « adposuitque cibum ubique piscem e fonte ingentem purum, quem prehendit virgo casta, et hunc dedit amicis edendum perpetuo, vinum optimum habens, mixtum ministrans cum pane » (1). Quomodo haec verba sufficiant ad demonstrandum essentiam sacrificii Eucharistici in convivio reponendam esse nos omnino fugit.

* * *

Concludimus igitur hanc disquisitionem de doctrina apologetarum, inter quos s. Justinus excellit, et dicimus : *ex iis documentis non constat christianos non habere sacrificium, vel hoc esse sacrificium mere eucharisticum,* id est, *sacrificium gratiarum actionis*, quod oratione quoad essentiam suam absolvitur.

Ubi philosophi christiani respondent philosophis paganis, *ad hominem plerumque arguunt*, et ad suum sacrificium non provocant, neque idem explicant, sed unice objectionem atheismi praevertunt ; *ideo se etiam colere Deum proclamant*, et hac quidem ratione, quam solam Deo dignam pariter profitentur adversarii, *per orationem scilicet et gratiarum actionem* pro omnibus beneficiis, quae ab ipso summo Numine acceperunt.

In dialogo cum Tryphone Judaeo *s. Justinus luculenter propugnat sacrificium aliquod proprie dictum, sacrificii antiqui foederis praefiguratum et omnibus oblationibus V T. substitutum ; cum hac nova oblatione, quae non est in mera sumptione cibi Eucharistici*, uti contra Renz confecimus, *intime connexa est memoria passionis*, secundum hoc mandatum Domini, quod s. martyr manifeste respicit : « Hoc facite in meam commemorationem ». — *Per hoc sacrificium, juxta vaticinium Malachiae, in omni loco nomen Domini glorificandam erit.*

In quonam sit hoc sacrificium et quomodo in eodem memoria habeatur passionis, non exponendum duxit Justinus (2) ; has disqui-

(1) Textum sequimur, cum versione latina, prout prostat apud Rauschen, *Floril.*, VII, p. 18 s. ; cf. etiam Rouët de Journel, *Enchiridion patristicum*, n. 187. — Quoad epitaphium Pectorii, anno 1839, prope Augustodunum in Gallia inventum, et probabilius ad saec. III referendum, hoc monumentum pariter unice sumptionem Eucharistiae patefacit ; cf. Rauschen, *Floril.*, VII, p. 21 s.

(2) Casel, *art. cit.*, apud *Katholik*, IV F., XIII, p. 163 et p. 174, ex verbis s. Justini concludendum opinatur sacrificium Eucharisticum esse sacrificium,

sitiones ad theologiam dogmaticam spectare saepius advertimus. Attamen ex arcta relatione, in qua hanc oblationem mundam ad cultum VT., et ad ipsam narrationem evangelicam, descriptam legimus, jure inferimus *notionem sacrificii in genere spectati huic oblationi applicandam esse*, et haec est praecipua conclusio, quam in fine hujus secundae sectionis statuimus.

Sectio III.

Patres saeculi tertii.

In hac tertia sectione doctrinam investigabimus eorum Patrum et Ecclesiae scriptorum, qui referri possunt ad saeculum III christianum et in art. primo agemus de s. Irenaeo, qui opus suum « Contra Haereses », altero exeunte saeculo conscripsit, initio vero III saeculi decessit; in art. secundo dicemus de scriptis Scholae alexandrinae, praecipue Clementis et Origenis; in art. tertio tandem testimonia adducemus s. Hippolyti, qui ad ecclesiam romanam, deinde Tertulliani et s. Cypriani, qui ad ecclesiam africanam pertinent.

Art. 1. — S. Irenaeus.

Primum stadium cujusdam evolutionis in notione sacrificii Eucharistici, juxta criticos non paucos (1), apud s. Irenaeum reperire est (2); hanc accusationem dijudicaturi, textum ac contextum, in

qua commemorativum crucis, seu quatenus est, uti ait p. 163, « repristinatio » (Wiederheraufführung) sacrificii cruenti. Hanc thesim non explicite apud s. martyrem propositam esse concedit, sed eamdem ex praemissis eruendam autumat. — S. Justinus revera in *Dial.*, XLI, loquitur de pane Eucharistiae : « ὃν εἰς ἀνάμνησιν τοῦ πάθους... ὁ κύριος ἡμῶν παρέδωκε ποιεῖν », in intima, uti apparet, connexione ad textum sacrum. — Erronee loquitur Casel, *art. cit.*, p. 174, de quodam « dono sacrificali » in Eucharistia ; ita et Dorsch, *o. c.*, p. 255.

(1) Ita v. g. Wieland, *Mensa et Confessio*, p. 52 : « Während also Justinus ganz auf dem Boden der Didachè, des römischen Clemens und des Ignatius stehend, in der Eucharistiefeier lediglich eine Verkündigung des Opfers Christi erblickt, und als selbstständige Opfer der Christen nur deren Eucharistiegebete gelten läszt, erweitert Irenaeus diese rein geistige Auffassung der christlichen Opfer, indem er als konkreten Ausdruck derselben die zur Eucharistie bestimmten Elemente Brot und Wein dem Schöpfer darbringen läszt ».

(2) S. Irenaeus, ex Asia oriundus, discipulus s. Polycarpi, Romae degit eodem tempore quo ibidem docuit s. Justinus; sacerdos ecclesiae lugdunensis in Gallia, episcopus deinde ejusdem ecclesiae renuntiatus, opus suum praecipuum, quod inscribitur « Contra Haereses », intra a. 177-189 composuisse

quo de oblatione novae legis disserit s. episcopus, necnon occasionem, qua mentem suam de sacrificio aperit, sedulo prae oculis habeamus oportet. Hanc intentionem autem prodit ipsa inscriptio operis « Contra Haereses » (1), adeoque scopus s. Irenaei in eo fuit, ut falsas diruer et opiniones, tunc temporis in Ecclesia grassantes, quas Gnosticismum (2) seu Marcionismum (3) vocabant, atque ut illis opponeret veram fidem catholicam, quae Deo Patri creationem mundi adscribit et eumdem Deum tum veteris, quum novi Testamenti asseverat; quae deinde Christum Dominum et « ipsum fabricatoris mundi filium » esse propugnat et resurrectionem tandem mortuorum profitetur.

§ 1. — *Doctrina s. Irenaei.*

Postquam s. Irenaeus ex textu Scripturae sacrae ostendit Deum sub antiqua lege praecepisse ut offerrentur sacrificia illa typica, non propter indigentiam ipsius, sed propter « ipsum qui offerat hominem » (4), hisce verbis de oblatione Eucharistica dicere prosequitur (5) :

« Sed et suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit, dicens : Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem ; quam Ecclesia ab Apostolis accipiens (6), in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta

videtur ; decessit c. a. 202, in persecutione Septimi Severi. — De martyrio s. Irenaei dubia movet STRUCKMANN, *o. c.*, p. 63, n. 1.

(1) Apud PG., VII, 434 s. — Graece inscribitur : Ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, sed textus graeci non nisi quaedam exstant partes, citatae apud auctorem operis Philosophoumena, apud Eusebium, Epiphanium, Theodoretum, etc. — Versio latina valde antiqua videtur, quippe quae forsitan jam a Tertulliano cognita ; cf. JORDAN, *Das Alter der lateinischen Uebersetzung des Hauptwerkes des Irenaeus*, p. 60, Leizig, 1908.

(2) De Gnosticismo cf. TIXERONT, *Histoire des Dogmes*, I, *Théol. anténicéenne*, p. 187 s., Paris, 1909[6].

(3) De Marcionismo, quod a Gnosticismo secernendum autumat TIXERONT, *o. c.*, I, p. 202 s., lege adhuc DUCHESNE, art. *Gnose*, apud *Dict. Apol.*, II, 298 s.

(4) *Contra Haer.*, IV, XVII, 1 (PG., VII, 1019).

(5) *Ibidem*, 5 (PG., VII, 1023 s.).

(6) S. Irenaeum scripta neotestamentaria cognovisse conficit JACQUIER, *Le NT. dans l'Église chrétienne*, I, p. 178 s.; ita concludit, p. 183 : « Irénée possédait les écrits du NT. rangés en collection », et p. 185 : « A côté des εὐαγγελικά, saint Irénée place les ἀποστολικά, terme qui désigne les épîtres pauliniennes et les autres écrits du NT. ».

nobis praestat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificavit : Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum clarificatur inter gentes, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purum ; quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens ; manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo ; omni autem loco sacrificium offeretur ei, et hoc purum ; nomen autem ejus glorificabitur in gentibus ».

Post haec advertit Irenaeus nullum esse « aliud nomen, quod in gentibus glorificatur, quam quod est Domini nostri, per quem glorificatur Pater » (1), cujus filius proprius est Christus, ac deinde subjungit :

« Igitur Ecclesiae oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum est ei : non quod indigeat a nobis sacrificium sed quoniam is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus ejus. Per munus enim erga regem, et honos, et affectio ostenditur : quod in omni simplicitate et innocentia Dominus volens nos offerre, praedicavit dicens : Cum igitur offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris quoniam frater tuus habet aliquid adversum te, dimitte munus tuum ante altare, et vade primum reconciliari fratri tuo, et tunc reversus offeres munus tuum (2). Offerre igitur oportet Deo primitias ejus creaturae, sicut et Moyses ait : Non apparebis vacuus ante conspectum Domini Dei tui (3) ; ut in quibus gratus existit homo, in his gratus eis deputatus, eum qui est ab eo percipiat honorem » (4). — « Et non genus oblationum reprobatum est ; oblationes enim et illic, oblationes autem et hic : sacrificia in populo, sacrificia in Ecclesia : sed species immutata est tantum, quippe cum jam non a servis sed a liberis offeratur. Unus enim et idem Dominus » (5).

« Quoniam igitur cum simplicitate Ecclesia offert, juste munus ejus purum sacrificium apud Deum deputatum est... Oportet enim nos oblationem Deo facere, et in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo, in sententia pura et fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilec-

(1) *Contra Haer.*, IV, xvii, 6 (PG., VII, 1024).
(2) *Mt.*, V, 23 s., ad eumdem textum alludit *Didachè*, XIV, 2 (Funk, *o. c.*, I, p. 32 s.).
(3) *Deut.*, XVI, 16.
(4) *Contra Haer.*, IV, xviii, 1 (PG., VII, 1024).
(5) *Ibidem*, 2 (PG., VII, 1025).

tione ferventi, primitias earum, quae sunt ejus, creaturarum offerentes. Et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus. Judaei autem non offerunt : manus enim eorum sanguine plenae sunt : non enim receperunt Verbum, quod offertur Deo (1). Sed neque omnes haereticorum synagogae. Alii enim alterum praeter fabricatorem dicentes Patrem, ea quae secundum nos creata sunt, offerentes ei, cupidum alieni ostendunt eum, et aliena concupiscentem. Qui vero ex defectione, et ignorantia, et passione dicunt facta ea, quae sunt secundum nos, ignorantiae, passionis et defectionis fructus offerentes, peccant in Patrem suum, contumeliam facientes magis ei, quam gratiam agentes ».

« Quomodo autem constabit eis, eum panem in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est Verbum ejus, per quod lignum fructificat, et defluunt fontes, et terra dat primum quidem foenum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica ? » (2)

« Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur ? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quae praedicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiae, et Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei quae sunt ejus, congruenter communicationem et unitatem praedicantes carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, (προσλαμβανόμενος τὴν ἔκκλησιν τοῦ Θεοῦ) (3), jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans terrena et coelesti (4) : sic et corpora nostra

(1) Ita cum cdd. antiquioribus et melioris notae legit Migne, PG., VII, 1027 ; lectionem : « per quod offertur », praefert Batiffol, *Euch.*, p. 175 et in nota arguit ex parallelismo cum lib. IV, xvii, 6 (PG., VII, 1024) : « In Deo omnipotente per J. C. offert Ecclesia ».

(2) *Contra Haer.*, IV, xviii, 4 (PG., VII, 1026 s.).

(3) Textum graecum cd. vaticani, quem tradidit Massuet, apud Migne, sequitur Batiffol, *Euch.*, p. 181, et hanc ἔκκλησιν audit de formula consecratoria ; Struckmann, *o. c.*, p. 76 et p. 87, legit ἐπίκλεσιν sed eodem modo ac Batiffol eamdem vocem interpretatur ; cum Struckmann faciunt Salaville, in *art. citandis*, et O. Casel, *art. cit.*, apud period. *Katholik*, IV F., XIII, p. 245, 1914. — De epiclesi, tanquam formula consecratoria cf. Berning, *o. c.*, p. 179 ; S. Salaville, art. *Epiclèse*, apud *Dict. de Théol. Cath.*, V, 194 s. et art. *Euch.* (*épiclèse*), apud *Dict. Apol.*, I, 1585 s.; bibliographiam circa hanc controversiam reperies in priore art. laudato.

(4) De his expressionibus et de quaestione sacramenti Eucharistici, cf. Struckmann, *o. c.*, p. 76 et Batiffol, *Euch.*, p. 176.

percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia » (1).

« Offerimus enim ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes dominationi ejus, et sanctificantes creaturam. Quemadmodum igitur Deus non indiget eorum quae a nobis sunt, sic nos indigemus offerre aliquid Deo ; ... qui enim nullius indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras, ad hoc ut praestet nobis retributionem bonorum suorum » (2).

Allatis deinde verbis Christi, quibus proponuntur beatitudines, ita pergit :

« Sicut igitur non his indigens, vult tamen a nobis propter nos fieri, ne simus infructuosi : ita idipsum Verbum populo praeceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut discerent Deo servire, sic et ideo nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione. Est ergo altare in coelis (illuc enim preces nostrae, et oblationes diriguntur), et templum, quemadmodum Joannes in Apocalypsi ait : Et apertum est templum Dei (3) ; et tabernaculum : Ecce enim, inquit, tabernaculum Dei in quo habitabit cum hominibus » (4).

*
* *

Ex hoc testimonio s. Irenaei prima fronte apparet, quomodo s. episcopus lugdunensis, qui ex Asia oriundus, discipulus exstitit s. Polycarpi aliorumque presbyterorum, qui, ut Polycarpus, « cum Joanne aliisque Christi testibus conversati erant », in arcta omnino connexione ad textum VT., clare doceat, sicut et s. Justinus, quocum Romae degit, et cui in ipsa expressione consentit, Eucharistiam esse sacrificium, illud nimirum a Malachia praenuntiatum, de quo et Dominus mandavit, quod jam Didachè inculcavit (5), ut non nisi mundo corde offerretur.

In quonam sit essentia hujus sacrificii non explicat s. Irenaeus, sed eadem terminologia hoc idem describit, qua sacrificia antiqua

(1) *Contra Haer.*, IV, XVIII, 5 (PG., VII, 1028 s.) ; cf. adhuc *Contra Haer.*, V, II, 2 et 3 (PG., VII, 1125); RENZ, *Opferch.*, p. 74 s. et *Geschichte*, I, p. 474, invocat adhuc quaedam fragmenta spuria, sub nomine s. Irenaei vulgata, de quibus cf. BATIFFOL, *Euch.*, p. 182, n. 1 et HARNACK, *Die Pfaffischen Irenaeusfragmente als Falschungen Pfaffs nachgewiesen*, in TU., NF., V, 3, p. 1-69, Leipzig, 1900.

(2) *Contra Haer.*, IV, XVIII, 6 (PG., VII, 1029).

(3) *Apoc.*, XI, 19.

(4) *Apoc.*, XXI, 3.

(5) *Didachè*, XIV, 2 (FUNK, *o. c.*, I, p. 32 s.).

designat ; expresse quinimmo asseverat : « non genus oblationum reprobatum est; oblationes enim et illic, oblationes autem et hîc : sacrificia in populo, sacrificia in Ecclesia » (1), et in hac veritate tantum insistit, ut vel ipsam relationem ad crucem praetermittere videatur (2).

Haec autem exinde explicantur quod praeprimis intendit errores confutare, quos initio hujus paragraphi delineavimus ; ex eodem scopo intelligimus cur tam instanter doceat Deum, quamvis non indigentem, primitias creaturarum sibi vindicare, uti in VT., ita in nova oeconomia (3), quia nempe Deo grates rependendae sunt pro omnibus alimentis : ab ipso Deo processit praeceptum, quod « nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione » (4).

§ 2. — *Vindicatur s. Irenaeus ob accusatione innovationis in doctrina de sacrificio Missae.*

Secundum Wieland, qui locutionem « offerre munera », a Scriptura sacra mutuatam, « oblationem donarii » interpretatur, s. Irenaeus jam pristinae doctrinae apologetarum immemor, Eucharistiam concipit tanquam donum aliquod concretum, ex creaturis sumendum, et hoc idem tanquam tributum Deo solvendum prima vice proponit (5).

Replicamus autem statim : explicuimus supra quomodo et quonam sensu sacrificium nuncupari possit munus simul et oblatio, quin eo ipso essentia sacrificii in donatione reponi debeat ; hunc igitur locum s. Irenaei cum his notionibus VT., quibus presse inhaeret s. episcopus, audire oportet, et nullatenus asserere licet ipsum accipere definitionem sacrificii per donationem, quoniam Deo gratias peragendas pro acceptis beneficiis, et primitias ex omnibus creaturis solvendas proclamat. Et enim tales expressiones eadem

(1) *Contra Haer.*, IV, xviii, 2, (PG., VII, 1025).

(2) *Ibidem,* V, ii, 2 (PG., VII, 1125), cum textu graeco legendum est : « suum sanguinem confessus est », non autem cum versione latina : « sanguinem, qui effusus est ». In eodem contextu s. Irenaeus refert quaedam verba ex *Coloss.*, I, 14 et alludit ad *I Cor.*, X, 16 ; deinde *Contra Haer.*, V, xxxiii, 1 (PG., VII, 1212) adducit testimonium *Mt.*, XXVI, 27, sed nullibi explicite in relatione passionem inter ac sacrificium Eucharisticum insistit ; in hoc ultimo testimonio hanc relationem innui censet Goetz, *o. c.*, p. 151.

(3) Ex iisdem praemissis concludit s. Justinus, uti modo audivimus, nihil prorsus Deo offerendum ; utraque conclusio ex scopo utrimque diverso intelligitur.

(4) *Contra Haer.*, IV, xviii, 6 (PG., VII, 1029).

(5) Wieland, *Opferbegriff*, p. 147 ; cf. *Mensa et Confessio*, p. 53.

ratione, qua illas sub antiqua lege accipimus, apud s. Irenaeum intelligamus necesse est, eo vel magis quod delectus hujus terminologiae ex intentione explicatur auctoris, qui adversus haereticos eumdem Deum, tum in vetere, quum in novo Testamento, profitendum esse commonstrare satagit.

Ex eodem scopo, ut placita adversariorum suorum contundat, connexionem inter Eucharistiam et resurrectionem exponit s. Irenaeus, quin adeo sacrificium coeleste proprie dictum admittat, quod contendit Thalhofer (1), illi testimonio praesertim innixus, in quo s. episcopus pauca de altari, templo ac tabernaculo in coelis, ad doctrinam suam de sacrificio Eucharistico subnectit (2). Haec connexio inter sacrificium Eucharisticum et altare quoddam coeleste, juxta nonnullos auctores (3), alioquin nulla est, sed hac etiam admissa, satis ex textu elucet hoc altare et sacrificium coeleste, non esse sumenda sensu proprio terminorum, siquidem, in eadem linea cum altari, de templo et de tabernaculo in coelis agitur, et insuper in hoc testimonio non dicitur oblationes super altari esse offerendas, sed preces et oblationes ad altare dirigendas esse affirmatur.

* * *

Attamen, ulterius adhuc progreditur Wieland (4), et quum s. Irenaeus loquatur de sanctificatione Eucharistiae per « invocationem » et « verbum Dei », statim infert s. praesulem rectam quidem notionem sacrificii Eucharistici tenuisse, quippe quod, quoad essentiam suam, oratione absolvi adhuc profiteatur (5), sed huic primitivo et traditionali conceptui addidisse « significationem symbolicam » quando de oblatione concreta seu de donariis Deo praestandis postea locutus est. Ex hac prima innovatione, ait, prin-

(1) Thalhofer, *Handbuch der Kathol. Liturgik*, I, p. 195 s.; cf. etiam Gore, *o. c.*, p. 185; D. Stone, *o. c.*, I, p. 51.

(2) Hunc locum, lib. IV, xviii, 5, cum testimonio ex lib. II, xx, 3 et lib. IV, vii, 1, et adhuc textus s. Ignatii, *Ad Smyrn.*, VII, 1, necnon s. Justini, *Dial.*, LXX, adducit Brightman, uti refert Mortimer, *o. c.*, p. 229, ad sententiam suam sacrificii coelestis demonstrandam; hanc opinionem porro, quoniam magis soteriologiam spectat, non suscipimus refutandam, sed remittimus ad Mortimer, *The Eucharistic Sacrifice*, p. 82 s. et 228 s.; retunditur ceterum haec theoria a Brightman excogitata, cum verbis ipsius s. Irenaei, in lib. V, ii, 2, quod testimonium superius retulimus.

(3) Cf. adhuc Stentrup, *o. c.*, II, p. 298 s. et Mortimer, *o. c.*, p. 172 s. et p. 234 s.

(4) Wieland, *Opferbegriff*, p. 148; cf. etiam Harnack, *Dogmengeschichte*, I, p. 231 s.

(5) Ita rursus Harnack, *Dogmengeschichte*, I, p. 463.

cipium omnis erroris, nam omnes multiformes theoriae de essentia sacrificii Eucharistici, ex hac immutatione definitionis, communem suam originem accipiunt. Respondetur : ex ipso textu s. Irenaei aperte liquet sacrificium, quod per « invocationem » et « verbum Dei » perficitur, nullatenus quoad essentiam cum hac « oratione eucharistica » confundi, siquidem expresse notat s. episcopus, et (in hoc revera quaedam est evolutio, sed non in ipso dogmate, sed in explicatione et propositione ipsius), oblationem utrimque, in vetere scilicet, et in nova oeconomia, quoad conceptum omnino eamdem esse : sacrificia fuerunt in populo, sacrificia adhuc sunt in Ecclesia, sed species tantum immutata est, quoniam jam non a servis, sed a liberis offeruntur.

Non applicatur igitur sacrificio novae legis, terminologia absque contento, si ita cum Wieland dicere fas sit, adeo ut haec oblatio Eucharistica novo quodam vestimento, a symbolismo veteris legis mutuato, induta appareat, sed idem prorsus affirmatur sacrificium, ejusdem nimirum generis, et nulla est evolutio in hac assertione, uti ex analysi superius instituta satis constat. Hanc eamdem enim doctrinam apud omnes traditionis primitivae testes, saltem implicite propositam, hucusque legimus : omnes ad unum sacrificium Eucharisticum ad sacrificia VT. opponunt, et illud sacrificium his antiquis oblationibus substitutum pronuntiant ; s. Irenaeus prima vice rem expressis verbis asseverat, neque tamen ulterius explicat, quemadmodum haec definitio ex antiquo foedere derivanda, illi novo sacrificio adaptanda veniat.

*
* *

Talem aliquam explicationem in textum s. Irenaei revera inserit cl. Renz (1), quando ad testimonium s. praesulis de alimento immortalitatis, quod in Eucharistia percipitur, haec prorsus immerito addit : consecratio cibi naturalis directe est praeparatio cibi supernaturalis, quo corpus nostrum ad immortalitatem nutritur, et haec praeparatio essentialem notionem oblationis liturgicae primitiarum constituit.

Ubinam apud s. Irenaeum legit Renz oblationem qua talem formaliter esse in immutatione doni naturalis in cibum sacrificalem ? — S. Irenaeus beneficium immortalitatis reapse connectit cum nutritione corporis nostri ex corpore Christi (2), sed nullibi exponit in quonam sit haec oblatio, qua corpus et sanguis Christi

(1) Renz, *Opferch.*, p. 67 ; *Geschichte*, I, p. 192.

(2) *Contra Haer.*, IV, xviii, 5 (PG., VII, 1027 s.) et V, ii, 2-3 (PG., VII, 1125).

in altari constituuntur. Saepe saepius advertimus eodem actu confici sacramentum et offerri sacrificium ; has quaestiones intimius perscrutari et definire ad theologos pertinet, sed easdem apud Patres jam solutas requirere prorsus vanum apparet.

*
* *

Concludere igitur licet *primum stadium evolutionis* reipsa *apud s. Irenaeum* detegendum, *non in ipso dogmate, sed in propositione dogmatis :* s. episcopus nimirum *expressis verbis docet*, quod integra traditio anterior implicite jam professa erat, *notionem sacrificii in utroque Testamento eamdem esse*, et in hac veritate asserenda tantopere vel imo insistit, ut relationem hujus sacrificii Eucharistici ad sacrificium cruentum penitus non attenderit, quia praecipuus ejus scopus est, ut errorem, quem impugnat, funditus dissolvat.

Ex eadem ipsius intentione intelligimus cur s. Irenaeus memoriam resurrectionis cum commemoratione passionis conjungat, et corpus ac sanguinem Christi ex creaturis conficienda doceat ; hac autem de causa Deo « primitias suorum munerum » offerre debemus, ut sicut « per munus erga regem et honos et affectio ostenditur », ita et Deo gratum animum exhibeamus, per Christum Dominum nostrum et Filium ejus, qui omnipotentia sua omnia creavit.

Cum terminologia ex VT. deprompta hanc oblationem vocat « munus », quin inde deducere fas sit essentiam sacrificii, ad mentem ejus, in donatione quadam esse reponendam ; hanc deam ceteroquin aperte praevertit, quando Dei omnimodam sufficientiam proclamat. Offerre oportet sacrificium ut Deo grates rependantur, non ut accepta ab ipso Ei reddantur, et hac eadem ratione audiri debet comparatio, qua Deo munera praestanda dicit, uti regi munera exhibentur, quin ad donationem utrimque proprie dictam devenire necessarium sit.

Ulteriores ac magis determinatas conclusiones ex testimonio s. Irenaei deducere non favet, ne et ipsi sententiam praejudicatam in textum inducere videamur, itaque in art. 2 ad doctrinam Scholae alexandrinae ediscendam accedimus.

Art. 2. — Schola alexandrina.

In Schola celebri alexandrina prae ceteris omnibus magistris eminuerunt Clemens, quem cognominaverunt Alexandrinum, et Origenes; in hac sectione audiemus eorum testimonia, saepe saepius obscura, quod ex tendentia hujus scholae statim pressius definienda, explicatur.

§ 1. — *Clemens alexandrinus.*

In secunda sectione, ubi de doctrina s. Justini diximus, jam quaedam verba Clementis alexandrini (1) perpendimus, in quibus ad normam apologetarum II saeculi, victimis et sacrificiis cruentis gentilium opponit christianorum orationes, quas « sacrificium optimum et sanctissimum vocat » (2) ; attamen adhuc aliud ipse novit sacrificium, quod in celebratione Eucharistiae perficitur ; ita nimirum scribit, quando theoriam impugnat, quae in hoc ritu sacro aquam adhibendam esse contendit (3) : « eas haereses clare notat Scriptura, quae in oblatione (*κατά τὴν προσφορὰν*) pane et aqua aliter utuntur, quam Ecclesiae canonibus praecipitur. Sunt enim, qui sola aqua utuntur in Eucharistia » (4). Ex hoc testimonio porro aperte liquet Ecclesiam habere oblationem (*προσφορὰν*), et hanc esse ipsam celebrationem Eucharistiae ex elementis ibidem indicatis indubium prorsus apparet.

Fatemur ingenue haud facili negotio constare de doctrina Alexandrini, qui ad mentem scholae cui adscriptus erat et mox ipse praefuit, per fas et nefas allegoriam in interpretationem textus sacri inserere studet (5); insuper, quamquam hinc inde ad Eucharistiam alludit, nusquam tamen nitidam aliquam proponit explicationem, et sacramentum magis quam sacrificium generatim attendit (6) ; unicum adeo testimonium notari potest, ex fragmento desumendum, in quo opinionem ipsius de oblatione Eucharistica aliquantisper assequimur (7) :

« Pinguis cibus est et lautus, ait, deliciaeque beatorum magnae et abundantes : vitulus saginatus mactatur (*θύεται*), qui alibi agnus dicitur, non simpliciter, ne quis parvum cogitet, sed magnus, imo maximus. Neque enim parvus qui Dei agnus est, qui tollit peccatum mundi; qui ut ovis ad occisionem ductus est (*ἐπὶ σφαγὴν ἀχθεὶς*) ; victima (*θῦμα*) medullosa, cujus omnis adeps Domino debetur

(1) Clemens, probabiliter Athenis c. a. 150 natus, ex paganismo, uti videtur, ad christianismum conversus, Italiam, Graeciam et Palestinam peragravit, donec Alexandriae sedens, auditor factus est Pantaeni, cui magistro mox in hac celebri schola catechetica successit. — Obiit c. a. 215.

(2) *Strom.*, VII, 6 (PG., IX, 443 s.).

(3) Hanc theoriam jam supra apud s. Justinum obviavimus.

(4) *Strom.*, I, 19 (PG., VIII, 813 s.).

(5) Omnia scripta NT. cognovit Clemens alexandrinus, uti conficit E. Jacquier, *o. c.*, I, p. 227 s.

(6) Cf. Struckmann, *o. c.*, p. 115 s. et Batiffol, *Euch.*, p. 248 s.

(7) Inter frag. quae graece tantum in ed. Oxon. leguntur; cf. PG., IX, 759 s.

secundum sanctam legem; totus enim consecratus ac devotus Domino est; ita bene altus et grandis, ut in omnia pertingat ac sufficiat, vescentesque illo ac fruentes saturet: caro enim est panis, et utraque cum sit, comedendum se nobis praebet. Accedentibus igitur filiis Pater vitulum dat, qui mactatur et comeditur (*καὶ θύεται, καὶ τρώγεται*) ».

* * *

Ex hoc loco, si sit Clementis, non statim concludendum, uti quibusdam visum est, Eucharistiae celebrationem involvere aliquam « mactationem », neque statim inferendum consecrationem heic nuncupari mactationem (1); tales expressiones quamdam explicationem theologicam sonant, quam auctores hujus aevi nondum prae oculis habebant. Praeter rem ergo advertit Wieland (2) theoriam mactationis aetate Clementis nondum enatam esse, quoniam libenter fatebimur nullam explicationem tunc temporis enatam fuisse: apologetae etenim ac philosophi christiani, quibus annumerandus venit Clemens alexandrinus, ad objectiones paganorum, argumentum ad hominem plerumque opponunt, sed ubi de sacrificio Eucharistico agunt, tali utuntur terminologia, a VT. praecipue mutuata, qua procul omni dubio patescit hoc sacrificium novum esse sacrificium proprie dictum, quippe quod iisdem terminis, quibus sacrificia antiqua designantur, describi et indicari possit.

Theoriam igitur aliquam de essentia sacrificii Eucharistici nullam proponunt apologetae aut scriptores ecclesiae primitivae, sed Christum fatentur « mactari » in ritu sacro et exinde statim sequitur definitionem ex lege antiqua depromptam huic sacrificio applicari posse. Sane hanc adaptationem non praestat ipse Clemens; quare textum excedere nobis videntur, qui in hoc testimonio consecrationem vocari mactationem asseverant; hoc autem ex verbis modo allatis certo constat, Alexandrino nullatenus repugnare ut de ritu Eucharistico terminum adhibeat, qui quamvis ex parabola proveniat, ubi nullum sacrificium agitur (3), apud Scripturam sacram nihilominus de sacrificio et quidem proprie dicto plerumque usurpatur (4).

Quum hanc applicationem negare nequeat, cl. Wieland alia

(1) Ita Dorsch, *o. c.*, p. 244; cf. etiam Rauschen, *Euch. und Buszsakrament*, p. 89: « Hier wird die Konsekration sogar ein Schlachten Christi genannt ».

(2) Wieland, *Opferbegriff*, p. 113.

(3) *Lc.*, XV, 23.

(4) Cf. Hatch-Redpath, *o. c.*, III, p. 659.

nunc methodo hanc conclusionem evitare conatur : Agitur in textu, ait, de cruenta Christi mactatione, et verba « ἐπὶ σφαγὴν ἀχθεὶς » manifeste ad passionem et crucem alludunt ; in cruce mactata fuit victima, quae in coena manducatur.

Neminem fugit quam mira sit illatio, a Renz etiam acceptata (1), quae cibum sacrificalem in Eucharistia propositum in cruce praeparatum fuisse affirmat ; haec explicatio ceteroquin testimonio Clementis explicite contradicit, quum utrumque verbum : « καὶ θύεται, καὶ τρώγεται » in tempore praesenti legamus.

Instat tamen cl. doctor et dicit (2) : connexionem non temporalem, sed realem in hac locutione admittamus oportet, nam sicut vitulus, de quo in parabola, semel tantum immolatus fuit, ita unica fuit immolatio Agni, qui in Eucharistia manducandus proponitur. Verum, ita petitur principium, potius quam dissolvitur quaestio, quae controvertitur : postulatur enim utrum necne in Eucharistia immoletur Christus, qui semel, sed cruento modo, in cruce mactatus fuit, et si ex comparatione arguere licet, concludendum erit Christum denuo immolari, quandoquidem non manducatur in eo statu, in quo ad crucem immolatus fuit (3).

* * *

Manet adhuc, in priori loco ex Clemente excerpto, celebrationem Eucharistiae nuncupari sacrificium et προσφορὰν, et hac expressione Alexandrinus cum doctrina s. Irenaei et cum tota traditione primitiva plane consentit. Duplicem explicationem hujus locutionis proponit cl. Wieland (4), ut conclusionem nostram evitare possit, quae perspicua videtur, et ritum Eucharisticum esse sacrificium proprie dictum propugnat, quoniam terminologia a VT. mutuata designatur.

(1) Renz, *Opferch.*, p. 80 s. : « Durch das Opfer am Kreuze, hat der Logos... eine solche Speise dem Christen bereitet ».

(2) Wieland, *Opferbegriff*, p. 112 ; confirmatio, quam ex *Paedag.*, II, 2 (PG., VIII, 409) adducit, nulla est ; cf. Struckmann, *o. c.*, p. 127.

(3) Omittimus testimonia ex *Strom.*, IV, 25 (PG., VIII, 1369 s.) et V, 10 (PG., IX, 101 s.), in quibus mentionem oblationis, sive donationis (eine Gabe) uti minus accurate dicitur, inveniendam autumat Dorsch, *o. c.*, p. 245 s. — In priore loco de Eucharistia revera movetur quaestio, sed Eucharistia ibidem unice tanquam cibus supernaturalis respicitur ; hunc textum pariter invocat Renz, ut suam opinionem corroboret ; de hoc igitur statim. In altero testimonio, allegoria subjuncta forsitan inspiratur ab Eucharistia, sed nihil in hoc reperiri potest, quo quaestionem essentiae dirimatur ; cf. adhuc Struckmann, *o. c.*, p. 137 et Batiffol, *Euch.*, p. 249 s. et p. 354.

(4) Wieland, *Opferbegriff*, p. 119 s.

Ex libro Stromatum primo, textum allegat, ubi Clemens vitam describit perfectam, quam ducit « gnosticus christianus », qui « honestum rerum omnium usum ad Deum semper referens, et cibi, et potus, et unctionis, universorum Datori offert primitias, gratias agens et per donum et unctionem, et per verbum ei datum : ad conviviales epulas raro veniens, nisi si quod amicitiam concordiamque profitetur convivium, ut veniat ei persuaserit » (1).

In hoc testimonio, uti, tum textu citato, quum etiam contextu, luculenter apparet, de oblatione et in specie de Eucharistia, ne verbum quidem movetur (2) ; hoc non negat Wieland, sed quum Alexandrinus loquatur de primitiis Deo in gratiarum actionem praestandis, et aliunde s. Justinus etiam de donis egerit, quae occasione Eucharistiae a christianis offeruntur seu praesentantur, et ab episcopo distribuuntur, statim inferendum putat tempore Clementis celebrationem Eucharistiae vocatam fuisse προσφορὰν, ratione praecipue harum « oblationum », quas fideles praesidi, tum ad Eucharistiam conficiendam, quum ad sublevandos pauperes proferebant (3).

Si talis interpretatio non sufficiat, quod sane non erit demonstrandum, et προσφορὰν de ipsa celebratione Eucharistiae audire lubeat, tunc altera haec explicatio acceptanda, ait cl. doctor, et dicendum Alexandrinum esse primum in Ecclesia orientali testem hujus tendentiae symbolicae, cujus s. Irenaeus in Ecclesia occidentali primum testimonium nobis conservavit !

Ad doctrinam s. Irenaei animadvertimus talem symbolismum gratuito et erronee affirmari ; ad textum item Clementis nulla indicatur ratio cur προσφορὰν non sensu suo proprio atque consueto accipiamus. Falsum insuper videtur principium, quod invocat Wieland ut opinionem suam argumento muniat : Continuitas historica, inquit, postulat ut res et evolutio, in temporum adjunctis rationem semper habeant sufficientem, sed minime oportet ut res, ab initio, et pro omni tempore, tum denominatione, quum ritu eadem jugiter permaneat. Replicatur : multo magis obvium est, ut non nisi res eaedem, eodem nomine, saltem proprie sumpto, designentur ; quamobrem si ritus Eucharisticus essentialiter oratione absolvatur, etiam si haec oratio omnino specialis

(1) *Strom.*, VII, 7 (PG., IX, 451 s.).

(2) GOETZ, *o. c.*, p. 203, opinatur ibidem ad ritum Eucharisticum alludi, sed hoc minus omnino nobis probatur ob vocem χρῖσμα, quae ad cibum et potum juxtaponitur.

(3) WIELAND, *Opferbegriff*, p. 119 s. ; cf. etiam HARNACK, *Dogmengeschichte*, I, p. 226.

sit, profitebimur talem ritum vocari non posse simpliciter sacrificium seu προσφορὰν, et si decursu temporis talis oratio interpretationem exceperit, quae primum sensu symbolico, mox autem sensu litterali, intellecta fuerit, celebrationis Eucharistiae conceptum ita immutatum dicemus, ut quod prius non erat sacrificium, posteriore tempore per deviationem ipsius fidei tanquam sacrificium consideratum fuerit. Talem autem evolutionem non conficiunt argumenta a Wieland congesta ; e contra cum traditione primitiva mire concinit Clemens alexandrinus, quando ritum Eucharisticum declarat esse προσφορὰν, in qua Christus, Agnus Dei, « mactatur et comeditur ».

* * *

Hanc solam manducationem advertit cl. Renz, quia sententiam suam convivii sacrificalis omni conatu ex traditione primitiva corroborare cupit ; attamen aliud adhuc testimonium ex eodem libro Stromatum adducit : « Salem enim pax exponitur, cujus noster Servator rex describitur, quem dicit Moyses Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei altissimi, qui vinum et panem sanctificatum dedit nutrimentum (τὴν ἡγιασμένην διδοὺς τροφὴν) in typum Eucharistiae » (1).

Jamautem, ex hoc textu concludere fas est Eucharistiam praefiguratam fuisse per panem et vinum in sacrificio oblata et sanctificata (2), unde et cibum Eucharisticum in sacrificio sanctificatum

(1) *Strom.*, IV, 25 (PG., VIII, 1369 s.).

(2) Eadem voce ἁγιαζόμενος utitur Clemens in alio loco Stromatum ubi sacrificium spectat cruentum : « Et Pascha nostrum, inquit (*Strom.*, V, 10, in PG., IX, 101 s.), immolatus est Christus, ... qui pro nobis sanctificatur (ὑπὲρ ἡμῶν ἁγιαζόμενος) ». — In hac phrasi « ἁγιαζόμενος » pro « θυόμενος » supponere notat Batiffol, *Euch.*, p. 250, n. 1, itaque merito, etiam in priore loco, de quo in textu, sanctificationem per oblationem obtentam affirmamus, eo vel magis quod Melchisedech pariter verum sacrificium obtulit. — Melchisedech dedisse (διδούς) panem ac vinum, sed illa non obtulisse, contendit Wieland, *Opferbegriff*, p. 117, sed explicare omittit quemadmodum nutrimentum quod sanctificatum ac consecratum profitetur, hanc sanctificationem et consecrationem adeptum fuerit. — Ipsum contextum hujus testimonii (*Strom.*, V, 10) de Eucharistia agere affirmat Renz, *Opferch.*, p. 81 s. — Struckmann, *o. c.*, p. 137, imaginem saltem ab Eucharistia mutuari opinatur, sed melius dicitur cum Batiffol, *Euch.*, p, 253 s., Alexandrinum in hoc textu unice respicere gnosim, itaque argumentum plane ignoramus, quod Renz, *Opferch.*, p. 81 s., ex his verbis deducendum putat; textum ex *Paedag.*, II, 2 (PG., VIII, 410 s.), quem etiam invocat Renz, *Opferch.*, p. 85 s., ut suam theoriam confirmet, non nisi sacramentum spectare autumamus ; cf. Struckmann, *o. c.*, p. 128 s. et Batiffol, *Euch.*, p. 258 s.

fuisse admittimus, quod aperte rursum docet Alexandrinus, quando illos increpat, qui « in oblatione (κατὰ τὴν προσφορὰν) pane et aqua aliter utuntur, quam Ecclesiae canonibus praecipitur » (1) ; minime vero exinde constat, quamquam Clemens in hoc loco Stromatum magis nutrimentum respicit, sacrificium, ad mentem ipsius, formaliter esse in praeparatione cibi, ita ut sacrificium Eucharisticum sit sanctificatio ac consecratio elementorum materialium, cum gratiarum actione conjuncta, qua panis vinumque ad Eucharistiam corporis et sanguinis Christi conficiantur (2). Ad satietatem usque adnotavimus eodem actu, quo conficitur sacramentum, adhuc perfici sacrificium, sed nullibi in textu dicitur offerri sacrificium eadem formali ratione qua conficitur sacramentum. Quae adhuc subdit Renz, et quae supponit de praeparato jam cibo Eucharistico in ipsa immolatione cruenta crucis, nullum habent fundamentum, sive in Scriptura sacra, sive in Traditione, uti superius animadvertimus(3).

Clemens novit igitur sacrificium proprie dictum, in quo Agnus ille « altus atque grandis » — « mactatur et comeditur » ; insuper in commemoratione passionis, quamquam institutionem Eucharistiae recitat (4), nullibi immoratur (5).

§ 2. — *Origenes.*

Uti Clemens, ita Origenes (6), quamvis permulta conscripserit opera, pauca tantum de sacrificio Eucharistico habet et quaestionem nunquam ex professo tractat. In libro tamen contra Celsum,

(1) *Strom.*, I, 19 (PG., VIII, 813 s.).

(2) Renz, *Opferch.*, p. 83.

(3) Uti supra notavimus, Clemens, ad normam apologetarum, sacrificiis paganis opponit meras preces, quas offert Ecclesia : « Est enim Ecclesiae sacrificium; oratio, quae a sanctis exhalatur animis » (*Strom.*, VII, 6 in PG., IX, 443 s.), sed ibidem nullatenus Eucharistiam spectat. Quae igitur subnectit Renz, *Opferch.*, p. 88 s., de sacrificio orationis Ecclesiae cum celebratione Eucharistiae connexo, prorsus redundant et praeter textum afferuntur, adeoque nullum alium attingunt scopum, quam ut quaestionem jam sat obscuram magis obnubilent, et viam praeparent ad sententiam extremam et erroneam, qualem Wieland elaboravit.

(4) Cf. *Strom.*, I, 1 (PG., VIII, 691 s.), ubi fere ad litteram citatur *I Cor.*, XI, 27 ; vide etiam *Strom.*, I, 10 (PG., VIII, 744 s.).

(5) Ad passionem alludi censet Goetz, *o. c.*, p. 151, in textu *Paedag.*, II, 2 (PG., VIII, 428 s.) ; hoc testimonium revera textum Scripturae sacrae presse sequitur, sed magis ad traditionem synopticam accedit.

(6) Origenes, natione aegyptius, c. a. 185 natus, magistro suo Clementi jam a. 203 in Schola alexandrina successit ; postea Caesaream Palestinae abcessit, et ibidem scholam philosophicam instituit, in qua discipulum habuit s. Gregorium, episcopum neocaesariensem, Thaumaturgum nuncupatum ; obiit Origenes Tyri c. a. 253.

dum objectionibus adversarii sui, philosophi pagani, satisfacere conatur, quaedam de sacrificio subnectit, quae, quum ab hodiernis criticis in confirmationem sententiae suae adducantur, examini subjicere haud inutile nec injucundum erit.

Primo, valde notandum, quod ipse Origenes multum inculcat (1), totam Apologiam eo scopo susceptam esse, non ut fideles veram doctrinam doceantur, sed ut illis provideatur qui « fidei in Christum gustum non habent », qui fide periclitantur, et quos Apostolus « infirmos in fide » vocavit (2) ; circa finem suae disquisitionis, Origenes hanc suam intentionem specialem adhuc profitetur, ut nempe evertat falsam doctrinam Celsi, qui cultum daemoniorum variis argumentis commendare attentavit ; haec argumenta dissolvere cupit « ut religionis christianae veritas solide et quantum per materiam licebit, demonstretur » (3).

Postquam ergo ostendit quemadmodum nemo possit duobus dominis servire, et explicuit quare christiani « ab altaribus, simulacris et templis erigendis » (4) abhorreant, itaque a paganis differant, examinare incipit « quae Celsus postea de Deo dicat, et quomodo nos hortetur, ad utendum iis, quae re quidem vera idolis (εἰδωλοθύτον), aut, ut ita loquar, ait, daemoniis oblata sunt (δαιμονιοθύτον), sed quae ipse (Celsus) ignarus quid sit divinitas et quae sint victimae illi acceptae, sacras victimas (ἱεροθύτον) vocaverit » (5).

Ut haec autem rite percipiantur, oportet, inquit (6), « totum illum locum primae ad Corinthios epistolae legere et explicare, ubi Paulus

(1) Cf. *Contra Celsum, in praefatione* ipsius Origenis (PG., XI, 649 s.).
(2) *Rom.*, XIV, 1.
(3) *Contra Celsum*, VIII, 1 (PG., XI, 1521 s.).
(4) *Ibidem*, 20 (PG., XI, 1547 s.); cf. etiam *ibidem*, VII, 64 (PG., XI, 1511 s.). — Origenem hoc ultimo loco argumentum astruere ad hominem, ex hoc satis eliquet quod in eadem linea christianos proponit et judaeos, « qui propter istud : Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies (*Deut.*, VI, 13)... non solum templa, aras et simulacra abominantur sed etiam parati sunt mori, ubi se dederit occasio, ut suam Dei summi notionem ab aliqua ejusmodi impietate intaminatam servent » (*Ibidem*, 64). Sacrificia autem et altare proprie dictum sibi vindicabant judaei, neque Origenes eos respicit Israelitas, qui, eodem tempore quo ipse vivebant, atque templum et altare non habebant; et enim, quamquam in tempore praesenti loquitur, exempla sua desumit ex historia anteriore populi electi, cujus plures fideles mortem prae apostasia elegisse novimus. Hac animadversione solvitur difficultas allata a Wieland, *Opferbegriff*, p. 105, qui judaeos ideo respuere sacrificia et altare autumat, quoniam ipsi nec sacrificia nec altare possident.
(5) *Contra Celsum*, VIII, 21 (PG., XI, 1549 s.).
(6) *Ibidem*, 24 (PG., XI, 1553 s.).

de idolothytis sermonem facit. Illic occupans istud, nihil esse in mundo idolum, probat quam noxium sit idolothytis uti... Deinde ponens hostias mactari daemoniis (δαιμονίοις θύεσθαι τὰ θυόμενα), planum facit socios fieri daemoniorum, qui mensam daemoniorum participant, et fieri non posse ut idem sit et mensae Domini et mensae daemoniorum particeps » (1). Cum his principiis, ex sacra Pagina desumptis, responsionem suam hanc proponit (2) : « Nos certe, quod spectat ad cibum potumque, non aliam cum daemonibus epulandi rationem cognoscimus, quam cum comeduntur carnes quae in sacrificiis, ut multi vocant, immolantur, et bibitur vinum quod daemoniis libatum est ; at Celsus cum daemonibus accumbi epulis existimat, sive fruges edantur, sive quolibet modo bibatur vinum, sive fructus gustentur, sive etiam aqua sola hauriatur ; hoc ipsum ait esse epulari cum daemonibus. Addit aerem ipsum, qui respiratur, a quibusdam accipi daemonibus ; quandoquidem illum aerem animantibus suppeditant daemones illi qui aeri praesunt. Huic Celsi sententiae assentiatur qui voluerit, et probet non angelos Dei potius quam daemones, quorum genus omne malum est, praedictis omnibus moderandis praepositos esse ».

« Celsus igitur ea de causa, ut Deum ignorans, gratias daemonibus agat (τὰ χαριστήρια ἀποδιδότω) ; nos qui hujus universitatis conditori gratias agimus (εὐχαριστοῦντες), cum precibus et gratiarum actione oblatos edimus panes (μετ' εὐχαριστίας καὶ εὐχῆς τῆς ἐπὶ τοῖς δοθεῖσι προσαγομένους ἄρτους ἐσθίομεν), qui propter orationem fiunt corpus quoddam (σῶμα γενομένους διὰ τὴν εὐχήν), sanctum quod sano proposito manducantibus sanctitatem largitur » (3).

« Primitias quoque daemonibus offerre vult Celsus ; at nos illi qui dixit : germinet terra herbam » (4) ; ipsi Deo « primitias damus, eidem ferimus preces, habentes pontificem magnum, qui penetravit coelos, Jesum filium Dei » (5). Ad objectionem cur non immolent christiani in fine tandem redit Origenes et ita respon-

(1) *I Cor.*, X, 14 s.; de usu Scripturae sacrae apud Origenem vide Jacquier, *Le NT. dans l'Église chrétienne,* I, p. 255 s.

(2) *Contra Celsum,* VIII, 31 (PG., XI, 1561 s.).

(3) *Ibidem,* 33 (PG., XI, 1565 s.) ; cf. etiam *In Exod. hom.* XIII, 3 (PG., XII, 391 s.), ubi sacramentum Euch. respicitur ; non ita in altero loco (*In Luc. hom.* XXXIX, in PG., XIII, 1901 s.), quem Wieland pariter adducit.

(4) *Contra Celsum,* VIII, 34 (PG., XI, 1565 s.).

(5) Wieland, *Mensa et Confessio,* p. 56, ad haec verba notat, etiam in Oriente notionem sacrificii spiritualem (npe per orationem) mutatam fuisse in ideam donationis, quasi dona materialia Deo praestare foret necessarium ; jamautem, minime ex contextu constat has primitias esse ipsum corpus et sanguinem Christi, et ceterum, si ita esset, nullam tamen induxisset Origenes

det : (1) « Negamus nos ingrato esse animo, cum nec sacrificamus (μὴ θύωμεν) nec cultum deferimus iis, qui nobis adversantur, nedum beneficia conferant ; sed erga Deum ingrati esse veremur, quippe cujus beneficiis cumulati sumus, cujus opus sumus, qui nobis providet quacumque sorte nos dignatus sit, et a quo hanc vitam accepturi sumus quae nos sperare voluit. Atque hujus erga Deum grati animi symbolum (2) nobis panis ille est qui Eucharistia vocatur ».

* * *

Luculenter ex his locis constat Origenem agnoscere sacrificium proprie dictum, quod oblationi gentium ex aequo opponere licet (3), et quamvis auctor altaria pagana et sacrificia cruenta prorsus respuat, hanc novam oblationem nihilominus altare supponere asseverat, quod « non cruore pecudum respergitur sed pretioso Christi sanguine consecratur » (4), et ad « cujus ornatum » (5) christiani conferunt.

innovationem, uti ad s. Irenaeum (*Contra Haer.*, IV, xvii, 5) adnotavimus. — Immerito pariter scribit Harnack, *Dogmengeschichte*, I, p. 464, n. 1 : « Im Morgenland ist es Origenes, der die reiche antike Ideenwelt, welche sich an die Opfer angeschlossen hatte, auf das Christentum herangebracht hat ».

(1) *Contra Celsum*, VIII, 57 (PG., XI, 1603 s.).

(2) Uti liquet, Origenes panem vocat symbolum grati animi, et nulla est igitur ratio ut ibidem theoriam inveniamus, qua Eucharistia dicitur « symbolum corporis Christi » ; cf. de hac quaestione, quae magis praesentiam realem spectat, Struckmann, *o. c.*, p. 144 et Batiffol, *Euch.*, p. 266. — In *Dialogo de recta in Deum fide*, IV, ab auctore anonymo c. a. 300 in Syria conscripto, ita legimus : « Si vero, uti isti aiunt, carne et sanguine carebat : cujus tandem carnis, aut cujus corporis, aut cujus sanguinis imagines (εἰκόνας) panem et poculum dedit, et praecepit discipulis per haec sui memoriam facere ? » — Textus reperitur inter opera Origenis, in PG., XI, 1739 s. Scite advertit Batiffol, *Euch.*, p. 294 s. : « Ici encore εἰκών, comme *similitudo*, comme ailleurs *figura*, tout est pris pour « sacrement », et rien ne serait plus faux que de voir dans cet εἰκών un symbole vide, quand cette similitudo est ce par quoi le fidèle « communie au sang et au corps » ; cf. etiam Struckmann, *o. c.*, p. 102.

(3) Theoriam sacrificii coelestis multum ex Origene commendari putat Thalhofer, *o.* et *l. c.* — Invocat nimirum : *In Lev. hom.* VII, 2 ; IX, 5, 9 et 10 (PG., XII, 478 s., 514 s., 521 et 523) ; *In Jud. hom.* VII, 2 (PG., XII, 981) etc., sed prorsus immerito ; cf. Stentrup, *o. c.*, II, p. 303 ; Mortimer, *o. c.*, p, 235 et D. Stone, *o. c.*, p. 51 s.

(4) *In lib. Jesu Nave hom.* II, 1 (PG., XII, 833) : « Cum vero videris introire gentes ad fidem, ecclesias exstrui, altaria non cruore pecudum respergi, sed pretioso Christi sanguine consecrari... » ; ibidem Origenes ad cultum VT. opponit cultum novum, in quo « Jesus post Moysen... obtinuit principatum, non ille Jesus filius Nave, sed Jesus Filius Dei ».

(5) *In lib. Jesu Nave hom.* X, 3 (PG., XII, 881) ; cf. etiam *In Jud. hom.* III, 2 (PG., XII, 962) : « invenies interdum etiam in nobis aliquos, qui... in altaris circulo velut specula quaedam intuentibus collocati ».

Attamen cl. Renz ex scriptis Origenis theoriam suam corroborari putat, et ex locis modo citatis ita arguit (1) : Gentiles ad gratias agendas daemonibus, alimenta ipsis praebent, sive per combustionem, sive per effusionem ; christiani autem Deo suo nihil donant, sed grates illi rependunt, per panem et vinum Eucharisticum ; ideo, ut hanc opinionem praecaveat, quasi Deo per Eucharistiam aliquid donari possit, sicuti daemoniis dona praestantur, Origenes ad descriptionem Eucharistiae expressionem « χαριστήριον » omittit, et hujus loco « σύμβολον εὐχαριστίας » adhibet. Hac igitur ratione sacrificium Eucharisticum concipiamus oportet : Per sacrificium suum (scilicet cruentum) Christus corpus suum in cibum praeparavit, et hoc corpus in alimoniam sacrificalem praebet christianis, qui per verbum Dei et orationem, ex mandato ipsius Christi, panem et vinum permutant in cibum sacrificalem, in Sanctis Sanctorum coelestibus in saecula praesentem.

Advertimus primo contra cl. Renz, et simul contra Wieland, ex verbis Origenis nullatenus inferendum esse formalem rationem sacrificii in quadam donatione reponendam ; secundo, quod praeparationem alimenti spectat, quam notionem cl. Renz, tum sacrificio pagano, quum sacrificio Eucharistico, communem esse propugnat, notare sufficiat ipsum Origenem manducationem aperte ab oblatione discriminare ; quinimmo quamquam quaestionem manducationis praeprimis respicit, ubi de edendis idolothytis agit, principium solutionis ex immolatione depromit, ad normam doctrinae s. Pauli, cujus expressis verbis meminit (2).

Non infitiamur per « verbum Dei ac orationem cibum consecrari » (3), sed minime constat oblationem ipsam, formali sua ratione, ad hanc praeparationem cibi supernaturalis qua talem coarctari, quod multoties jam pronuntiavimus. Nimis ceterum

(1) Renz, *Opferch.*, p. 99 s.

(2) Cf. *Contra Celsum*, VIII, 24 (PG., XI, 1554) ; ita rursus *ibidem*, 30 (PG., XI, 1559).

(3) *Comm. in Mt.*, XI, 14 (PG., XIII, 949 s.) : « καὶ τὸ ἁγιαζόμενον βρῶμα διὰ λόγου θεοῦ καὶ ἐντεύξεως » ; ita etiam infra : « Verbum caro factum est, verusque cibus ;... cum Verbum sit et panis vivus etc. » ; lege adhuc *Contra Celsum*, VIII, 33 (PG., XI, 1565). Notanda est locutio : ἁγιαζόμενος ; eadem ratione modo apud Clementem alex. legimus : « ἡγιασμένην τροφὴν » (*Strom.*, IV, 25) ; apud s. Cyprianum statim de « sanctificato cibo » audiemus ; haec sanctificatio fit per « verbum Dei et orationem », uti supra apud s. Justinum et s. Irenaeum etiam comperimus : « μετ᾽ εὐχαριστίας καὶ εὐχῆς ». — Batiffol, *Euch.*, p. 279 s. ad hanc expressionem adnotat : « Le mot ἔντευξις a le même sens que *prex* chez s. Cyprien, et que la mot εὐχαριστία chez s. Justin. La « parole de Dieu » vraisemblablement répond à la parole prononcée par le Christ à la cène, ainsi que l'entendait s. Justin ».

insistit Renz in oratione (1), itaque viam paravit ad theoriam extremam quam Wieland postea defendendam suscepit.

Celebratio Eucharistiae igitur, ad mentem Origenis, involvit quamdam oblationem, quam opponere licet sacrificiis gentilium, in quibus hostiae daemoniis mactantur ; haec oblatio, in documento contra Celsum, non connectitur cum commemoratione passionis, quoniam haec praeter scopum non est inserenda; attamen Origenes narrationem institutionis Eucharistiae plane novit (2), et ita de panibus propositionis dicit : « Quantum enim profecit ad repropitiandum, ubi unusquisque tribus per panem fructus, per fructus opera consideranda sunt ! Sed si referantur haec ad mysterii magnitudinem, invenies commemorationem istam habere ingentis repropitiationis effectum. Si redeas ad illum panem qui de coelo descendit, et dat huic mundo vitam : illum panem propositionis, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus : et si respicias ad illam commemorationem de qua dicit Dominus : Hoc facite in meam commemorationem ; invenies quod ista est commemoratio sola, quae propitium facit hominibus Deum » (3).

Christiani igitur minime per ipsa et sola verba institutionis recitata commemorationem passionis faciunt, uti quidam protestantes effutiunt ; neque ipse panis Eucharisticus objective, et qua talis, hanc commemorationem solus praestat, uti Renz contendit (4) ; Origenes enimvero ipsum actum respicit, quo propitiatur Deus, quin tamen, hoc saltem loco, hunc actum uti sacrificalem proponat (5).

*
* *

Inquisitionem nostram de doctrina Scholae alexandrinae ita concludimus : Clemens alexandrinus et Origenes *minime favent sententiis de essentia sacrificii Eucharistici, quas quidam moderni illis imputare voluerunt ;* hoc autem praecipue scopo, ut nempe ex

(1) Renz, *Geschichte*, I, p. 206.

(2) *In Jer. hom.* XVIII, 13 (PG., XIII, 489) sed ad editionem recurrendum curatam a Klostermann, *Orig. Werke*, III, p. 169, Leipzig, 1901, quum per homeoteleuton ex textu quaedam verba exciderint apud Migne. Ita proin legendum : « *ἐὰν δὲ ἀναβῇς μετ' αὐτοῦ ἵνα ἑορτάσῃς τὸ πάσχα, δίδωσι σοι [τὸ ποτήριον τῆς διαθήκης τῆς καινῆς, δίδωσί σοι] καὶ τὸν ἄρτον τῆς εὐλογίας, τὸ σῶμα ἑαυτοῦ* » ; cf. etiam *In Lev. hom.* IX, 10 (PG., XII, 523) ; *In Mt.*, ser. 85 et 86 (PG., XIII, 1734 s. et 1735 s.).

(3) *In Lev. hom.* XIII, 3 (PG., XII, 547).

(4) Renz, *Geschichte*, I, p. 200.

(5) Unicam oblationem Christi docet Origenes, scil. cruentam. *In Lev. hom.* IV, 8 ; IX, 2 (PG., XII, 442 et 509) ; *In Num. hom.* XVII, 1 (PG., XII, 703) ; *Comm. in Jo.*, I, 40 (PG., XIV, 94) etc. ; sed haec minime oblationem Eucharisticam excludunt, uti jam in exegesi epist. ad Hebr. explicuimus.

ipsis documentis primitivis, figmenta illa neoterica confutare possimus, examen hujus doctrinae suscepimus. Fatemur aperte magistros hujus Scholae explicationem nostri dogmatis haud multum promovisse, nec quisquam hoc mirabitur, qui attenderit auctores modo laudatos imprimis immorari allegoriae. Origenes reperit sensum somaticum seu litteralem, psychicum dein seu moralem, pneumaticum tandem seu spiritualem in Scriptura, et minus adhuc insistit in priori sensu, uti luculenter apparet ex commentario, quem ad narrationem institutionis Eucharistiae juxta testimonium s. Matthaei, instituit. Mox enim relicto sensu litterali ita prosequitur : « Non enim panem illum visibilem quem tenebat in manibus, corpus suum dicebat Deus Verbum, sed verbum in cujus mysterio fuerat panis ille frangendus. Nec potum illum visibilem sanguinem suum dicebat, sed verbum in cujus mysterio potus ille fuerat effundendus. Nam corpus Dei Verbi, aut sanguis, quid aliud esse potest, nisi verbum quod nutrit, et verbum quod laetificat cor ? » (1)

Corpus in hac pericope nuncupatur verbum sed per manifestam allegoriam ; notanda tamen valde haec locutio : « verbum in cujus mysterio fuerat panis ille frangendus,... et verbum in cujus mysterio potus ille fuerat effundendus » ; hanc enim expressionem rursum in Traditione obviabimus. Quanam vero ratione *panis in hoc mysterio verbi frangatur*, et quanam ratione in eodem verbi mysterio potus effundatur, non explanat Origenes (2), sicut *non exponit* Clemens alexandrinus *quonam modo agnus ille altus* atque grandis *in celebratione Eucharistiae mactari possit ;* magistri Scholae alexandrinae *commemorationem passionis praeterea in Eucharistia manifeste agnoscunt*, sed relationem sacrificii Eucharistici ad crucem penitius non scrutantur, et nihil adeo ad explicationem hujusce dogmatis proferunt ; sed nihil etiam innovationis in ipsum dogma invehunt (3).

(1) *Comm. in Mt.*, ser. 85 (PG., XIII, 1734 s.) ; cf. etiam *In Num. hom.* XVI, 9 (PG., XII, 701).

(2) Advertatur sensus vocis « sacramentum » apud Origenem ; ita puta *In Gen. hom.* IV, 2 (PG., XII, 185) : « Totum quod (Abraham) agit mysticum, totum sacramentis repletum est. Apponitur vitulus, ecce aliud sacramentum » ; in hoc testimonio, (quod STRUCKMANN, *o. c.*, p. 155 de Eucharistia interpretatur, non ita BATIFFOL, *Euch.*, p. 266, n. 2), sacramentum manifeste supponit pro voce « mysterium ».

(3) *In Jer. hom.* XVIII, 13 (PG., XIII, 489) : « ἐὰν δὲ ἀναβῇς μετ' αὐτοῦ ἵνα ἑορτάσῃς τὸ πάσχα » ; ibidem Origenes ritum Eucharisticum vocat celebrationem Paschae ; in aliis locis, utputa *In Num. hom.* XXIII, 6 (PG., XII, 751 s.) ; *In Jer. hom.* XII, 13 (PG., XIII, 396) ; *Comm. in Mt.*, ser. 10 (PG., XIII, 1614) ; *Comm. in Jo.*, X, 13 (PG., XIV, 333 s.), minus constat utrum Eucharistiam an potius cruentam crucis mactationem attendat ; videtur nihilominus in his ultimis testimoniis magis ad *I Cor.*, V, 7 et crucem alludere.

Art. 3. — Testimonium Ecclesiae romanae et africanae.

Antequam examini subjiciamus doctrinam maximi momenti, quam apud theologos Ecclesiae africanae reperire est, quaedam verba subjungere juvabit, de documentis Ecclesiae romanae, quae hoc saeculo tertio in inquisitione nostra de essentia sacrificii Eucharistici invocari possunt.

Distincto articulo de doctrina Ecclesiae romanae non agimus, quoniam unus s. Hippolytus romanus (1) nominatur, cujus scripta consideranda veniunt; multum ceteroquin de authenticitate eorum disputatur, et in iisdem non nisi pauca testimonia detegimus, in quibus auctor ad sacrificium novae legis alludit. Ita cum manifesta recordatione vaticinii Malachiae scribit in fragmentis Commentarii in Danielem : « Cum vero ille (nempe Antichristus) venerit, auferetur sacrificium, et libamen (θυσία καὶ σπονδή), quod modo ubique locorum a gentibus offertur Deo » ; in fragmento Commentarii in Proverbia, dubiae tamen authentiae, haec legimus verba : « Et paravit mensam suam, promissam sanctae Trinitatis cognitionem, necnon venerandum sanctumque ejus corpus et sanguinem quae in arcana et divina mensa quotidie perficiuntur et sacrificantur in memoriam nunquam non recolendae memoria et primae illius divinae et arcanae divinae coenae » (3).

§ 1. — *Tertullianus.*

Statim igitur transimus ad primum magnum testem traditionis latinae, ad Tertullianum nimirum (4), Ecclesiae africanae apologetam, et coepimus ab hoc testimonio, in quo, dum ex occasione de

(1) S. Hippolytus romanus, c. a. 235, uti videtur, martyrium subiit; cf. D'Alès, *La Théologie de s. Hippolyte*, p. III s. et adhuc p. 7 s., Paris, 1906.

(2) *Frag. in Danielem*, XXII (PG., X, 655 s.).

(3) *Frag. in Prov.*, *IX*, *1* (PG., X, 627 s.); hoc fragmentum, breviori recensione, reperitur adhuc apud Anastasium sinaitam (PG., LXXXIX, 593); de hac recensione breviori dubia etiam movent critici; cf. Struckmann, *o. c.*, p. 219 s. — Quosdam alios locos s. Hippolyti, qui in hac materia forsan invocari possent, indicatos reperies apud D'Alès, *o. c.*, p. 148 s. — Renz, *Opferch.*, p. 110, textum insuper adducit ex scripto quodam antijudaico; hoc testimonium mutuavit a Döllinger, *Hippolyt und Kallistus*, p. 343 s., Regensburg, 1853; jamautem, prima pars hujus documenti est valde dubiae authentiae, et altera pars, in qua verba recurrunt, quae ad sacrificium alludunt, pertinet ad Pseudo-Cyprianum, *Tract. adv. Judaeos*, X (PL., IV, 1008), adeoque hic invocari non debet; cf. Struckmann, *o. c.*, p. 220 s.

(4) Tertullianus, Carthagine natus est c. a. 169; a paganismo ad christianismum c. a. 195 conversus, ad montanismum deinde transivit.

Eucharistia agit, eosdem increpat, qui « stationum diebus non putant sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini » (1).

Quidam igitur a sacrificio abstinendum docebant, ut jejunium servare possent, et contra eosdem ita arguit Tertullianus : « Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit? An magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua si et ad aram Dei steteris? » (2) ; anxiosis nihilominus solutionem suggerit intermediam : expleto enim tempore jejunii, domi licet manducare corpus Domini reservatum, et ita « utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et exsecutio officii ».

Eucharistiae celebrationem, quam nunc sacrificium simpliciter, nunc sacrificiorum orationes vocat, quando de oratione disserit, alibi « offerre » (3), vel « dominica solemnia celebrare » (4), vel et « panis oblationem celebrare » (5) dicit ; nullum igitur dubium subesse potest, quin hanc celebrationem tanquam sacrificium concipiat. Attamen nullibi ex professo explanat in quonam sit haec oblatio, sed ubi loquitur de sacrificio pagano (6), communem notionem sacrificii, quam hucusque semper reperimus, indubie prae oculis habet et sacrificium Eucharisticum per oblationem pro lepra sanata praefiguratum esse supponit (7). In interpretatione parabolae de filio prodigo haec scribit : « Recuperabit igitur et apostata vestem priorem, indumentum Spiritus sancti, et annulum denuo signaculum lavacri, et rursus illi mactabitur Christus, et recumbet eo in thoro de quo indigne vestiti a tortoribus solent tolli, et abjici in

(1) *De oratione*, XIX (PL., I, 1286); Tertullianus hoc opus ante transgressum suum ad montanismum concinnavit.

(2) Luculenter agitur in hoc loco de altari christiano; infra, in conclusione generali hujus capitis quasdam addimus animadversiones de altari primitivo, in quantum scilicet haec quaestio, quae magis archaeologiam spectat, necessario cum dogmate connectitur ; non ita constat de altari proprie dicto in eodem *Lib. de oratione*, XI (PL., I, 1269); ad hunc textum nihilominus appellat GOETZ, *o. c.*, p. 206 ut characterem sacrificalem Eucharistiae adstruat.

(3) *De virginibus velandis*, IX (PL., II, 950); *De exhort. castit.*, VII (PL., II, 971); *De cultu femin.*, II, 11 (PL., I, 1445) : « sacrificium offertur ».

(4) *De fuga in persec.*, XIV (PL., II, 141); cf. etiam *De anima*, IX (PL., II, 701).

(5) *De praescript.*, XL (PL., II, 66).

(6) *Apolog. adv. gentes*, XVI et XL (PL., I, 430 et 551).

(7) *Adv. Marc.*, IV, 9 (PL., II, 405); notetur expressio : « oratio et gratiarum actio », quam saepius jam habuimus obviam in traditione graeca : « εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι ».

tenebras » (1). Ultro concedimus ex hoc testimonio non inferendum esse Tertullianum « theoriae mactationis » adhaesisse (2), quoniam haec nondum enata fuerit; hoc autem ex textu laudato saltem constat nihil obstare quominus oblationi Eucharisticae hanc applicemus definitionem, quam a VT. mutuavimus (3).

* * *

Ut hanc conclusionem excludat, notat Wieland (4), apologetam loqui cum emphasi, et formam futuram « mactabitur », tanquam formam dubitativam intelligendam esse affirmat ; deinde ut suam assertionem confirmet, aliud adhuc testimonium adducit, in quo Tertullianus eamdem parabolam ethnico ad christianismum converso adaptat (5) : « Recordatur Patris Dei, satisfacto redit, vestem pristinam recipit, statum scilicet eum quem Adam transgressus amiserat ; annulum quoque accipit tunc primum, atque ita exinde optimate Dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet ».

Multum sollicitus est cl. Wieland ne expressionem et imaginem nimis premamus, quoniam, ait, haec ex parabola depromuntur ; talis autem sollicitudo sat inutilis videtur, quum ipse apologeta clare indicet quousque applicatio pertingat, quando diversa ratione tum filio christiano prodigo, tum pagano ad Patrem redeunti, exemplum adaptat. Immerito proin asseverat cl. doctor expressionem : « corpus mactari » in priori textu, accurate respondere locutioni : « vesci optimate corporis Dominici », quae in altero testimonio occurrit, nam in priore casu agitur de corpore Christi « mactando » ;

(1) *De pudic.*, IX (PL., II, 1050); Migne legit « in throno »; Reifferscheid et Wissowa, *Corpus script. eccl. lat.*, XX, 1, p. 237, Vindoboniae, 1890, ponunt « in thoro », et hanc lectionem praefert Struckmann, *o. c.*, p. 232.

(2) Ita Dorsch, *o. c.*, p. 278; cf. etiam Rauschen, *Euch. und Buszsakrament*, p. 89, n. 1.

(3) Mactatio, uti demonstravimus, sensu suo derivato saltem, praeprimis dicitur de occisione hostiae seu de immolatione cruenta; ideo, non nisi cum addito (mactatio mystica) recte de Eucharistia praedicatur. Tertullianus Christum in Eucharistia mactari affirmat, quin ullam explicationem subjungere cogitet, ut exponat nimirum quemadmodum « mactatio » de hoc sacrificio intelligi debeat, quod absque effusione sanguinis perficitur. Hac de causa apologetae non adscribendam opinamur theoriam, quae jam explicationem dogmatis spectat, quamque in tertia parte examinabimus, requirendo ibidem quomodo definitio generica sacrificii Eucharistiae applicari possit. Manet tamen Christum in Eucharistia mactari, juxta Tertullianum, sicut victimae in cultu pagano vel judaico diis aut Jahve mactabantur; definitionem ideo, quam supra confecimus, Eucharistiae adaptandam censemus.

(4) Wieland, *Opferbegriff*, p. 113.

(5) *De pudic.*, IX (PL., II, 1051).

in altero dicitur hoc corpus manducari, itaque in priore testimonio censemus ad sacrificium alludi; in altero testimonio unam sumptionem sive communionem reperimus. Quonam jure Wieland utramque expressionem identificet non percipimus, itaque pronuntiamus cl. doctorem suam theoriam in textum Tertulliani simpliciter inserere, quando haec verba : « mactabitur illi Christus » per figuram rhetoricae hoc modo intelligenda contendit : « corpus Christi Eucharisticum illi rursus tanquam cibus proponetur ».

Textum, quem in initio hujus paragraphi transcripsimus, cum majore adhuc contemptu documenti, in suum sensum attrahit cl. theologus, qui ad verba : « si ad aram Dei steteris », in parenthesi hanc subdit explicationem : si ante Deum orans, non tantum ad mensam Domini Eucharistiam recipiens, steteris (1). Dicit Tertullianus christianos stare ad aram sive ad altare Dei, itaque aperte alludit ad sacrificium quoddam christianum; Wieland non « aram », sed « mensam » ibidem legit; quin immo essentiam sacrificii subindicatam in eodem contextu reperit : ad hanc mensam « orant » christiani ! In eodem testimonio loquitur Tertullianus de participatione sacrificii; hanc participationem audit Wieland : « participationem corporis Dominici », licet statim fateri debeat, talem designationem ab Ecclesia antiqua prorsus esse alienam. Merito igitur omittimus refutare tales elucubrationes, quippe quae ex ipso inspecto textu sufficienter diluantur; attamen alios adhuc locos ex operibus Tertulliani affert Wieland, ut sacrificium Eucharisticum, oratione absolvi conficiat; haec itaque nunc crisi subjicere favet.

*
* *

Primum textum desumit ex Libro de oratione ubi Tertullianus deprecationem dicit « optimam hostiam », qui deinde addit : « Haec est enim hostia spiritalis quae pristina sacrificia delevit... Nos sumus veri adoratores, et veri sacerdotes, qui spiritu orantes spiritu sacrificamus orationem Dei propriam, et acceptabilem quam scilicet requisivit, quam sibi prospexit » (2).

Tertullianus in hoc testimonio prae oculis habuerit, ait cl. Wieland, magnam orationem in celebratione Eucharistiae persolvendam, et contextus hanc opinionem revera corroborare videtur; sed immerito statim inde concludit apologetam reposuisse essentiam sacrificii Eucharistici in hac oratione, et magis adhuc indebite ulterius infert priora illa asserta, quae de « oblatione » loquuntur,

(1) WIELAND, *Opferbegriff*, p. 141 s.
(2) *De oratione*, XXVIII (PL., I, 1302).

ex « ingrassante symbolismo » esse intelligenda. Et enim quanam ratione scriptoribus Ecclesiae primitivae licitum fuerit celebrationem Eucharistiae tanquam orationem proponere, pluries explicuimus, et quamquam Tertullianus nullam hic adstruit apologiam, talis tamen denominatio ex scopo de oratione disserendi satis justificatur (1); eodem ceteroquin modo quo priores apologetae, scribit : « Propterea igitur, quoniam utraque idolorum conditionis unius est, dum mortui et dii unum sunt, utraque idololatria abstinemus, nec minus templa, quam monumenta despuimus : neutram aram novimus, neutram effigiem adoramus : non sacrificamus, non parentamus, sed neque de sacrificato et parentato edimus, quia non possumus coenam Dei edere, et coenam daemoniorum » (2).

Sacrificio pagano igitur orationem christianorum etiam opponit Tertullianus (3), ac vel imo vaticinium Malachiae, quod hucusque de sacrificio Eucharistico semper intellectum fuisse audivimus, quod et ipse apologeta Eucharistiae applicare videtur (4), alio tamen in loco de mera oratione interpretari non recusat (5). Non admittimus

(1) Cf. *Adv. Marc.*, I, 23 (PL., II, 299) : « super alienum panem alii deo gratiarum actionibus fungitur »; *Adv. Marc.*, IV, 9 (PL., II, 405) : « orationem et actionem gratiarum apud ecclesiam, per Christum Jesum catholicum Patris sacerdotem ». — Adducit Wieland adhuc textum ex *Exhort. castit.*, XI (PL., II, 975) : « Stabis ergo ad Dominum cum tot uxoribus, quot in oratione commemoras? Et offeres pro duabus? Et commendabis illas duas per sacerdotem, ... et ascendet sacrificium tuum libera fronte? ». — Ex his autem testimoniis minime constat sacrificium Eucharisticum essentialiter oratione absolvi, uti patet. — Verbum « offeres » audit WIELAND, *Opferbegriff*, p. 142 de « oblatis », seu de praesentatione materiae sacrificii a parte fidelium, et inde totum ritum vocari oblationem autumat; Wieland, duos adhuc textus in confirmationem invocat, primum ex *Lib. de corona*, III (PL., II, 99) : « oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuo die facimus »; alterum ex *Lib. de monogamia*, X (PL., II, 992) : « et offert annuis diebus dormitioni ejus ».

(2) *De Spectac.*, XIII (PL., I, 721).

(3) *Apol. adv. gentes*, XXX (PL., I, 504 s.) : « ei offero (scil. Deo) opimam et majorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam »; ita rursus *Ad Scapulam*, II (PL., I, 778) : « itaque et sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro et ipsius : sed, quomodo praecepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus, conditor universitatis, odoris aut sanguinis alicujus »; cf. adhuc *De oratione*, XXVII et XXVIII (PL., I, 1301 s.).

(4) *Adv. Marc.*, III, 2 (PL., II, 381); cf. DE BACKER, *Sacramentum. — Le mot et l'idée représentée par lui dans les œuvres de Tertullien*, p. 55s., Louvain, 1911.

(5) *Av. Marc.*, IV, 1 (PL., II, 391) : « In omni loco sacrificium nomini meo offertur, et sacrificium mundum, scilicet simplex oratio de conscientia pura »; ita et *Adv. Judaeos*, V (PL., II. 646 s.). Non dubitatur de authentia capitum I-VIII hujus documenti; multum vero disputatur de capitibus IX-

tamen apologetam africanum ad hoc stadium intermedium pertinere, uti conjicit Wieland, et ita etiam Harnack (1), in quo sacrificium Eucharisticum per orationem essentialiter absolvi profitentur, quamquam idem hinc inde jam per symbolismum tanquam « oblationem » designant. Talem symbolismum et tale stadium hucusque non comprobaverunt, et ex sola praeconcepta opinione affirmari potest haec testimonia, quae de « oblatione » agunt per illos locos esse explananda, qui de mera oratione loquuntur. Cum primitiva traditione multo magis consentaneum est ut haec priora asserta sensu proprio accipiamus ; illa vero ex diversa intentione, diversis in documentis, interpretemur.

*
* *

A sensu traditionali et etiam a textu recedit cl. Renz, ubi Tertullianum, qui in Commentario epistolae paulinae modo praemisso, oblationem sacrificii a manducatione cibi sanctificati signatim distinguit, in favorem sententiae convivii sacrificalis adducit. Duo testimonia praeprimis invocat cl. doctor, in quibus apologeta duplicem Christi adventum describit, unum in ignobilitate, quum tanquam ovis ad occisionem duceretur, alterum in sublimitate, quando in nubibus coeli cum potestate veniet ; in eodem contextu Tertullianus simul subnectit interpretationem oblationis hircorum sub VT. in qua eumdem duplicem adventum praefiguratum reperit : « Alter autem (hircus) circumdatus coccino, maledictus et consputatus... a populo extra civitatem abjiciebatur in perditionem, manifestis notatus insignibus Dominicae passionis. Alter vero pro delictis oblatus, et sacerdotibus templi in pabulum datus, secundae repraesentationis argumenta signabat, qua, delictis omnibus expiatis, sacerdotes templi spiritalis, id est Ecclesiae, dominicae gratiae visceratione quadam fruerentur, jejunantibus ceteris a salute » (2).

Ex hoc textu inferendum putat cl. theologus (3) Christum per passionem suam factum esse cibum sacrificalem ; ex altero autem loco valde disputato, in quo legit : « Hoc est corpus meum

XIV ; cf. Ehrhard, *Die altchristliche Literatur*, I, p. 438 s., Freiburg, 1900 ; Bardenhewer, *Geschichte der altkirchl. Literatur*, I, p, 403 s., Freiburg in B., 1913².

(1) Harnack, *Dogmengeschichte*, I, p. 463.

(2) *Adv. Marc.*, III, 7 (PL., II, 359) ; *Adv. Judaeos*, XIV (PL., II, 680) ; de authentia capitum IX-XIV modo diximus.

(3) Cf. Renz, *Opferch.*, p. 116 s. et *Geschichte*, I, p. 210.

dicendo, id est, figura corporis mei » (1), demonstratum esse opinatur formam cibi esse rationem formalem corporis Domini, uti loquitur, et ideo adhuc mensam, in qua praesens sistitur corpus Christi, aram vocari dicit apud Tertullianum, nam « mactatio » Christi jam nulla est, nisi in figura; ubi asseritur Christum « mactari » filio prodigo (2), Christum in alimonium praeparari ac proponi audiamus oportet! (3)

Uti vel leviter attendenti apparebit, tales conclusiones potius a priori statuuntur, quam ex textu deducuntur; ad hunc igitur remittere satis erit ut talibus elucubrationibus responsum plane sufficiens habeatur.

*
* *

Disputatur utrum necne ad commemorationem cruentae oblationis alludat apologeta, et revera unum solummodo affertur testimonium, in quo Tertullianus hanc relationem sacrificii Eucharistici ad sacrificium crucis fortasse respicit. Ita nimirum scribit, ut cognitionem humanam esse objectivam, et ex sensibus derivandam demonstret : non licet, ait, « in dubium sensus istos devocare ne et in Christo de fide eorum deliberetur; ne forte dicatur quod... alium postea vini saporem (senserit Christus), quod in sanguinis sui memoriam consecravit » (4).

(1) *Adv. Marc.*, IV, 40 (PL., II, 491 s); textum, qui difficultatem facit pro dogmate praesentiae realis, explicatum videsis apud STRUCKMANN, *o. c.*, p. 262, et BATIFFOL, *Euch.*, p. 221. — Notanda est significatio hujus vocis « figura », quam audit STRUCKMANN, *o. c.*, p. 273, cum LEIMBACH, *Beiträge zur Abendmahlslehre Tertullians*, p. 65, Gotha, 1873, de « apparentia externa », quin ita tamen theoria scholastica de substantia et accidentibus exprimatur; cf. etiam BATIFFOL, *Euch.*, p. 226 : « Si le corps sacramentel du Christ est traité de *figura*, ce terme n'a pas pour Tertullien le sens de symbole vide, mais est l'équivalent de *sacramentum* ». De hac voce « sacramentum », quae aequivalere potest termino graeco « *μυστήριον* », cf. DE BACKER, *o. c.*, p. 108, ubi syntheticam expositionem variarum significationum hujus vocis reperies; ibidem invenire est litteraturam hujus quaestionis; cf. adhuc H. VON SODEN, Μυστήριον *und « sacramentum » in den ersten zwei Jahrhunderten der Kirche*, apud ZNWKU., XII, p. 188-227, 1911.

(2) *De pudic.*, IX (PL., II, 1050).

(3) RENZ, *Opferch.*, p. 123; *Geschichte*, I, p. 211.

(4) *De anima*, XVII (PL., II, 718); cf. etiam *Adv. Marc.*, IV, 40 (PL., II, 493): « ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit »; vocem « consecrare » in priore loco audit STRUCKMANN, *o. c.*, p. 92 : « ex profano sacrum ac religiosum facere »; in altero autem testimonio, ubi legitur : « consecrari sanguinem in vino », cum LEIMBACH, *o. c.*, p. 95, illud consecrare intelligit de actu, quo ponitur aliquod sacramentum; cf. adhuc BATIFFOL, *Euch.*, p. 224. — GOETZ, *o. c.*, p. 207, consecrationem

Solutio utrum necne Tertullianus sacrificium qua commemorativum referat, ab interpretatione dependet, juxta quam sanguis intelligitur Eucharisticus (1), aut sanguis in cruce effusus (2); haec ultima explicatio ipso textu magis commendatur.

Uti patet, parum ex doctrina Tertulliani, ad elucidandum nostrum dogma de essentia Missae sacrificii eruere fas est, sed feliciter hanc doctrinam subobscuram Tertulliani optime declaratam habemus apud s. Cyprianum (3), episcopum carthaginiensem, qui, teste s. Hieronymo, opera praeclari apologetae quotidie manu atque mente pervolvebat.

§ 3. — *S. Cyprianus.*

In epistola sua ad Caecilium (4) concinne fidem suam de Eucharistia testatur s. praesul, et traditionem integram trium priorum saeculorum paucis hisce verbis pulchre contrahit :

« Quamquam sciam, frater charissime, episcopos plurimos ecclesiis Dominicis in toto mundo divina dignatione praepositos, evangelicae veritatis ac Dominicae traditionis tenere rationem, nec ab eo quod Christus magister et praecepit et gessit humana et novella institutione decedere, tamen quoniam quidam vel ignoranter vel simpliciter, in calice Dominico sanctificando (5) et plebi ministrando non hoc faciunt quod Jesus Christus Dominus et Deus noster, sacrificii hujus auctor et doctor, fecit et docuit, religiosum pariter ac necessarium duxi has ad vos litteras facere; ut, si quis in isto

interpretatur de actione sacrificali, sed ita explicat : « Christus habe sein Blut im Weine geopfert, bezw. geweiht »; hunc sensum dicit ubique eumdem apud Tertullianum, sed LEIMBACH, *o.* et *l.* c., tres saltem indicat locos, in quibus obvia magis videtur significatio ab ipso proposita, ita *De anima*, XV (PL., II, 712); *Adv. Marc.*, V, XI (PL., II, 533); *De resurr. carnis*, XV (PL., II, 860).

(1) Ita RENZ, *Geschichte*, I, p. 218.

(2) Ita STRUCKMANN, *o.c.*, p. 252, cum DÖLLINGER, *Die Eucharistie der ersten drei Jahrhunderten*, p. 54, Mainz, 1854; cf. etiam GOETZ, *o. c.*, p 207.

(3) Cyprianus, Carthagine natus probabiliter c. a. 200, a paganismo ad christianismum c. a. 246 conversus, jam a. 248 episcopus carthaginiensis consecratus, martyr obiit a. 258.

(4) *Epistola* LXIII (*Ad Caecilium de sacramento dominici calicis*, in PL., IV, 384 s.); de anno, quo haec conscripta fuerit, non constat.

(5) Haec vox « sanctificare », quae et apud Tertullianum legitur, apud auctores graecos dicitur : « *ἁγιάζειν* », unde « *ἡγιασμένη τροφή* » (apud CLEM. ALEX., *l. c.*; lege et testimonium Origenis supra etiam indicatum); inde adhuc « *ἅγιον* », et ita rursus « sanctum » apud TERTULLIANUM, *De Spectac.*, XXV (PL., I, 732); cf. etiam s. CYPRIAN., *De lapsis*, XV et XXVI (PL., IV, 493 et 501) etc.

errore adhuc tenetur, veritatis luce perspecta, ad radicem atque originem traditionis Dominicae revertatur... Admonitos autem nos scias ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix qui in commemorationem ejus offertur mistus vino offeratur ».

« Item in sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici sacramentum (1) praefiguratum videmus, secundum quod Scriptura sacra testatur, et dicit : Et Melchisedech, rex Salem, protulit panem et vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham (2). Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens : Ante luciferum genui te. Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech (3). Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem ? ... Ut ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, praecedit ante imago sacrificii Christi, in pane et vino scilicet constituta ; quam rem perficiens et adimplens Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit, et qui est plenitudo veritatis veritatem praefiguratae imaginis adimplevit ».

« Sed et per Salomon Spiritus sanctus typum Dominici sacrificii ante praemonstrans immolatae hostiae et panis et vini, sed et altaris et apostolorum faciens mentionem, Sapientia, inquit, aedifivicavit sibi domum, et subdidit columnas septem. Mactavit suas hostias miscuit in cratera vinum suum, et paravit mensam suam..... » (4).

« Nec argumentis plurimis opus est.... Calicem etenim sub die passionis accipiens, benedixit et dedit (Christus) discipulis dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis novi Testamenti, qui pro

(1) De diversis sensibus vocis « sacramentum » apud s. Cyprianum, qui plerumque Tertullianum consequitur, cf. J.B. Poukens, *Sacramentum dans les œuvres de s. Cyprien*, apud period. *Bulletin d'ancienne littérature et d'archéologie chrétienne* (BALAC.), II, p. 275-289, Paris, 1912. — Inter significationes praecipuas enumerat auctor. illam qua sacramentum ponitur pro figura, sive sit figura prophetica (15), sive sit symbolum seu signum rei praesentis (8), sive tandem sit commemoratio seu signum rei praeteritae (4).

(2) *Gen.*, XIV, 18.

(3) *Ps.* CIX (CX), 4-5.

(4) *Prov.*, IX, 1 s.

multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico vobis, non bibam amodo ex ista creatura vitis usque in diem illum quo vobiscum bibam novum vinum in regno Patris mei (1). Qua in parte invenimus calicem mixtum fuisse quem Dominus obtulit, et vinum fuisse quod sanguinem suum dixit. Unde apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni. Quomodo autem de creatura vitis novum vinum cum Christo in regno Patris bibemus, si in sacrificio Dei Patris et Christi vinum non offerimus, nec calicem Domini Dominica traditione miscemus ? »

« Beatus quoque Apostolus Paulus, a Domino electus et missus et praedicator veritatis evangelicae constitutus, haec eadem in epistola sua ponit dicens : Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem, et gratias egit et fregit et dixit : Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Simili modo et calicem, postquam coenatum est, accepit dicens : Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim ederitis panem istum et calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis quoasdusque veniat » (2).

Ita positis fundamentis probandae theseos, ut demonstret « in sacrificiis Dominicis » ex Christi mandato et Apostolorum traditione vino misto utendum esse, ulterius prosequitur Cyprianus :

« Sic... in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest... Non est ergo, frater charissime, quod aliquis existimet sequendam esse quorumdam consuetudinem, si qui in praeteritum in calice Dominico aquam solam offerendam putaverunt. Quaerendum est enim ipsi quem sint secuti. Nam, si in sacrificio quod Christus obtulit, non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire et facere oportet quod Christus fecit et faciendum esse mandavit... Nam, si Jesus Christus Dominus et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, et sacrificium Patri se ipsum primus obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem praecipit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur qui id quod Christus fecit imitatur, et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse... Et quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus (passio est enim Domini sacrificium quod offerimus), nihil

(1) *Mt.*, XXVI, 28 s.
(2) *I Cor.*, XI, 23-26.

aliud quam quod ille fecit facere debemus. Scriptura enim dicit : Quotiescumque enim ederitis panem istum et calicem istum biberitis, mortem Domini annuntiabitis quoadusque veniat. Quotiescumque ergo calicem in commemorationem Domini et passionis ejus offerimus, id quod constat Dominum fecisse faciamus ».

« Religioni igitur nostrae congruit et timori et ipsi loco atque officio sacerdotii nostri, frater charissime, in Dominico calice miscendo et offerendo custodire traditionis Dominicae veritatem.... ut, cum in claritate sua et majestate coelesti venire coeperit, inveniat nos tenere quod monuit, observare quod docuit, facere quod fecit ».

* * *

Totius Scripturae sacrae et Traditionis documenta succincte in hac epistola resumit s. Cyprianus : verum nimirum docet sacrificium, ad crucem simul intrinsece relativum : « passio est enim Domini sacrificium quod offerimus », vel quod ipse offert Christus Dominus, cujus vice funguntur sacerdotes (1), qui hoc idem faciunt et offerunt, quod quondam Dominus fecit et obtulit.

Eamdem doctrinam in aliis operibus s. Cypriani ex occasione et per partes expositam reperire fas est ; in Libro de lapsis puta ritum Eucharisticum « sacrificiis sacrilegis » paganorum opponit (2), et juxta monitum Apostoli, quod exemplis allatis confirmare studet (3), christianos non posse mensae Domini et mensae daemoniorum communicare pronuntiat (4).

Attamen cl. Wieland (5) coelum terramque movet ut apud s. Cyprianum vestigia saltem quaedam reperire possit notionis sacrificii Eucharistici, quam ipse primitivam affirmat ; in hunc scopum affert textum ex Libro de lapsis modo laudato, ubi s. praesul

(1) Prima vice apud Tertullianum occurrit nomen « sacerdos », pro ministro Eucharistiae, ita v. g. *Scorp.*, VII (PL., II, 159) ; *Exhort. castit.*, XI (PL., II, 975).

(2) *De lapsis*, II (PL., IV, 479) ; cf. etiam *De lapsis*, XXV et XXVI (PL., IV, 499 et 501) ; *De unitate*, XIII et XVII (PL., IV, 525 et 529) ; *De oratione dominica*, IV (PL., IV, 538) ; *Epist.* XXXIV, 3 (PL., IV, 331 ; in ed. W. Hartel, *Cypriani opera*, Vindoboniae, 1868, indicantur epistolae juxta ordinem ed. oxoniensis a. 1682 ; tabulam compar. reperies in PL., IV, 187 s.) ; *Epist.* LXIV, 1, 2 et 4 (PL., IV, 401 s.) ; *Epist.* LXVIII, 1 (PL., III, 1058) ; *Epist.* LXXII, 2 (PL., III, 1087) ; *Epist.* LXXIII, 2 (PL., III, 1157) ; *Epist.* LXXVI, 6 (PL., III, 1189) ; *De opere et eleemos.*, XV (PL., IV, 636) etc.

(3) *De lapsis*, XXV (PL., IV, 499).

(4) *Ibidem*, XV (PL., IV, 493).

(5) Wieland, *Opferbegriff*, p. 149 s.

christianos rogat ut non nisi pura mente ad Eucharistiam accedant :

« Praesente ac teste me ipso », inquit s. martyr (1), « accipite quid evenerit. Parentes forte fugientes, dum trepidi minus consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt ; relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei, apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per aetatem, panem mero mistum, quod tamen et ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui et indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mista cum sanctis, precis nostrae et orationis impatiens,... quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur » (1).

Ex hoc testimonio, ait cl. doctor (2), satis constat sacrificium Eucharisticum, etiam secundum s. Cyprianum, ubi hic absque symbolo loquitur, prece eucharistica et oratione absolvi et ceteros locos, quinimmo ipsam epistolam ad Caecilium, per symbolismum explicare oportet ! Duplicem alioquin conceptum Eucharistiae, ait, veterem scilicet, qui Eucharistiam per orationem explanat, et novum, qui oblationem proponit, in uno textu reperire est. Increpans enim fratrem inimicum, s. Cyprianus altaris hostem appellat (3) eum « qui contemptis episcopis et Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, (et) Dominicae hostiae veritatem per falsa sacrificia profanare » attentat. Altare et sacrificium per symbolismum intelligamus necesse est, nam sacrificium Eucharisticum per precem absolvi in eodem contextu affirmatur !

*
* *

Prorsus supervacaneum aestimamus ut huic argumento respondeamus. — S. Cyprianus enim orationem Eucharisticam, quam s. Justinus appellat εὐχαριστίαν (4), et quam Origenes ἔντευξιν nuncupat (5), nullibi cum ipso sacrificio Dominico confundit (6) ;

(1) *De lapsis*, XXV (PL., IV, 499).

(2) Wieland refert adhuc *Epist.* XV, 1 (PL., IV, 271) : « quando in sacrificiis precem cum pluribus facimus » ; *De orat. dominica*, XXXI (PL., IV, 557) : « ideo et sacerdos, ante orationem praefatione praemissa... ».

(3) *De unitate*, XVII (PL., IV, 529).

(4) S. Justinus, *I Apol.*, LXV et LXVII (PG., VI, 427 s.).

(5) Origenes, *Comm. in Mt.*, XI, 14 (PG., XIII, 948).

(6) Hoc luce clarius constat ex *Lib. de orat. dominica*, XXXI (PL., IV,

hac prece sanctificantur per virtutem Spiritus Sancti panis et vinum, materia sacrificii, quam etiam sacrificium vocat s. martyr (1), sed ubinam dicitur hac oratione sacrificium ipsum absolvi? Explicite docet s. Cyprianus corpus et sanguinem Christi offerri in Eucharistia (2), et quidem ab ipso Christo, cujus vice funguntur sacerdotes terreni, adeo ut idem semper offeratur sacrificium, quod Dominus in coena et in cruce obtulit. Illationes igitur a Wieland excogitatae textum simpliciter ignorant aut illum graviter pervertunt.

Instat tamen cl. doctor : s. Cyprianus enim, ait, et ita pariter Didascalia, panem et vinum, ipsam scilicet materiam sacrificii Eucharistici, offerri docent : ritus ergo Eucharisticus, ita pergit, duplicem complectitur partem : oblationem et sacrificium. Oblatio est panis, est etiam vinum; sed haec « oblata » per virtutem Spiritus sancti in sacrificium Domini, in hostiam Dominicam, in sacrificium Christi convertuntur, dum pronuntiatur oratio eucharistica, quae essentialiter sacrificium proprie dictum constituit (3).

Tales deductiones, quae non modo a textu sed et a significatione obvia terminorum abstrahunt, per longam disputationem contundere non juvat. Advertere sufficiat verbum « offerre » sensum habere etymologicum, quo dicitur ob-ferre, adferre, praesentare, subministrare, et cum hac significatione jam secundo saeculo, apud s. Justinum notatim (4), legimus panem et vinum a fidelibus « offerri » praesidi, ut ex his « oblatis » materiam assumeret ad sacrificium Eucharisticum perficiendum; eumdem sensum apud

557); cf. adhuc *Epist.* LXXV, 10 (PL., III, 1213), quae est Firmiliani, episcopi Caesareae Cappodociae ad Cyprianum : « Atque illa mulier... etiam hoc frequenter ausa est, ut et invocatione non contemptibili sanctificare se panem et Eucharistiam facere simularet, et sacrificium Domino sine sacramento solitae praedicationis offerret ».

(1) *De opere et eleemos.*, XV (PL., IV, 636) : « Locuples et dives es, et Dominicum celebrare te credis, quae corban omnino non respicis, quae in Dominicum sine sacrificio venis, quae partem de sacrificio quod pauper obtulit sumis »; censet Rauschen, *Euch. und Buszsakrament*, p. 90, ipsam orationem eucharisticam vocari sacrificium (*De unitate*, XVII in PL., IV, 529) sed hoc minime apparet ex textu.

(2) Non percipimus, quomodo scribere potuerit Goetz, *o.c.*, p. 164 : « Dasz der Leib im Abendmahl der geopferte sei... spricht er (Cypr.) nirgends mit bestimmten Worten aus ».

(3) Wieland, *Opferbegriff*, p. 151; cf. etiam ejusdem auctoris *Mensa et Confessio*, p. 55.

(4) S. Justinus, *I Apol.*, XIII, LXV et LVII (PG., VI, 345 et 427 s.).

s. Cyprianum (1) et in Didascalia (2) reperire fas est. Attamen alia adhuc est significatio, eaque technica in materia sacrificali, qua « offerre » stricte dicit « exhibere rem in cultum divinum » ; si haec exhibitio honoris cum destructione rei oblatae conjungitur, oblatio erit sacrificium, uti ex professo in prima parte hujus dissertationis demonstravimus. Jamautem, saepe saepius supponunt verbum « offerre » et vox « oblatio » pro ipso sacrificio stricte sumpto, uti ibidem latius explicavimus, sed haec significatio ex contextu plerumque satis elucet, et ad hunc sensum in omnibus documentis hucusque examinatis deveniendum esse, sive ex oppositione oblationis Eucharisticae ad sacrificia pagana, sive ex praedicata adimpletione vaticinii Malachiae, sufficienter comprohatum est, Apud s. Cyprianum porro eamdem significationem admittamus

(1) *De lapsis*, XXV (PL., IV, 500) : « Solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre praesentibus coepit » ; cf. et *Epist.* LXIV, 4 (PL., IV, 404) : « quando nec oblatio sanctificari illic possit », etc.

(2) *Didasc.*, VI, 22 (ed. Funk, *Didascalia et Constit. Apost.*, I, p. 376, Paderbornae, 1906) : « Vos vero secundum evangelium et secundum sancti Spiritus virtutem et in memoriis congregantes vos et sacrarum scripturarum facite lectionem, et ad Deum preces indesinenter offerte, et eam quae secundum similitudinem regalis corporis Christi est acceptam Eucharistiam offerte, tam in collectis vestris quam etiam et in coemeteriis et in dormientium exitibus, panem mundum praeponentes, qui per ignem factus est et per invocationem sanctificatur, sine discretione orantes offerte pro dormientibus » ; promiscue in eodem textu adhibetur verbum « offerre », tum sensu etymologico, tum sensu technico in materia sacrificali ; hoc testimonium retulimus juxta antiquam versionem latinam, sed ex versione syriaca constat vocem : « praeponentes » supponere pro : « offerentes », sensu etymologico, graece scil. « προσφέρετε ». Explicite ceteroquin loquitur *Didasc.*, II, 26 (ed. Funk, *o. c.*, I, p. 102), de prosphoris, quas fideles « offerunt » episcopo, qui ex illis materiam sacrificii assumit et reliquum pauperibus distribuit. Haec autem distributio nullatenus cum oblatione Deo facienda confunditur, uti erronee censet Wieland, *Opferbegriff*, p. 153, et praeter hanc « oblationem », sensu etymologico audiendam, aliam adhuc oblationem cognoscit Didascalia, quam sensu proprio et technico, absque ullo symbolo, accipiamus oportet ; cf. testimonium modo allatum : « panem mundum... qui per invocationem sanctificatur... offerte pro dormientibus ». Insistit adhuc Wieland, *Mensa et Confessio*, p. 56, et *Opferbegriff*, p. 151, in expressionibus : « orationes et gratiarum actiones, invocatione sanctificare », et in illis traditionalem notionem sacrificii, oratione scil. absoluti, deprehendit, ast ut haec contundamus ad argumenta saepius jam proposita remittamus sufficit. Uti s. Cyprianus, ita et *Didasc.*, II, 36 (Funk, *o. c.*, I, p. 122) oblationem fidelium vocat sacrificium, quatenus nempe materiam sacrificii subministrat, et talis designatio neminem profecto movebit, qui liturgiam hodiernam attenderit, in qua expressiones valde similes aut etiam eaedem occurrunt, et quidem ante peractam consecrationem.

omnino postulatur (1), tum primo, quoniam cum integra traditione primitiva consentit, ut vaticinium Malachiae in Eucharistia adimpletum asseveret (2), ut sacerdotium Melchisedech ad Christum translatum declaret (3), ut oblationem novam ad sacrificia antiqua opponat (4) ; tum secundo, quoniam expressis verbis, dum totam Traditionem ita resumit, « sacrificium offerri » inhoc ritu novo pronuntiat, et illud idem revera sacrificium, quod Christus durante coena in corpore et sanguine suo obtulit, quo mentionem facit suae passionis, quo vel imo passionem suam denuo Patri suo exhibet : « passio est enim Domini sacrificium quod offerimus ».

* * *

Pauca tantummodo, ne taedium gignamus, dum easdem semper assertiones iisdem animadversionibus refellimus, de sententia convivii sacrificalis addere lubet.

Ex exemplis a s. Cypriano allatis in Libro de lapsis (5) inferendum censet cl. Renz(6) hostiam Dominicam per ritum Eucharisticum christianis praeparari in cibum, et hanc praeparationem vel imo ad cruentam passionem transferendam putat, quoniam s. martyr enuntiat, passionem Domini esse sacrificium quod offerimus. — Verum panem et vinum, inquit cl. doctor, corpus suum et sanguinem effecit Christus in passione sua, atque in illo actu fuit character sacrificalis passionis. Passio igitur tanquam activa propinatio sanguinis Christi concipienda venit, et quia utrimque (in Eucharistia nimirum et in passione) ratio formalis sacrificii est in conficiendo cibo ac potu, ideo s. Cyprianus ipsam coenam Eucharisticam passionem vocare potest.

Confutationem hujus elucubrationis omittimus et ad praeclarum textum s. martyris remittimus : « Quotiescumque ergo calicem in commemorationem Domini et passionis ejus offerimus, id quod constat Dominum fecisse, faciamus ». Hanc oblationem nullibi tanquam praeparationem alimoniae proponit s. episcopus ; quinimmo,

(1) Ut exempla habeantur, relegatur *Epist.* LXIII modo citata; cf. adhuc inter alia, nam perplura testimonia afferri possent, *Epist.* XI, 2 (PL., IV, 263) : « audio quosdam de presbyteris... jam cum lapsis communicare coepisse et offerre pro illis et Eucharistiam dare » ; *Epist.* IV, 2 (PL., IV, 236) ; *Epist.* IX, 2, 3, 4 (PL., IV, 258 s.), etc.

(2) *Testim. adv. Jud.*, I, 16 (PL., IV, 714 s.).

(3) *Ibidem*, I, 17 et 22 (PL., IV, 715 et 721).

(4) *De lapsis*, II (PL., IV, 479).

(5) *Ibidem*, XXV (PL., IV, 499).

(6) Renz, *Opferch.*, p. 130 et p. 141 ; *Geschichte*, I, p. 221 s.

ad verba Scripturae : « Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis : mortem Domini annuntiabitis donec veniat », ubi Apostolus ex scopo suo ut Corinthios a manducatione idolothytorum averteret, commemorationem mortis Domini cum sumptione Eucharistiae magis conjunxit, authenticam hanc explicationem addit s. Cyprianus, qua luculenter constat memoriam passionis in toto ritu sacro reponendam : id quod Dominus fecit, faciamus, et hoc praecipue, non per comestionem aut etiam per praeparationem cibi supernaturalis, sed per ipsam oblationem : « Quotiescumque... offerimus » ; haec est ipsissima interpretatio, quam ad exegesim textus sacri supra conscripsimus.

Nihil addendum est ad verba s. Cypriani ut hunc articulum et hanc tertiam sectionem concludamus ; statim igitur ad generalem conclusionem hujus capitis transire licet.

*
* *

Scopus noster in hoc altero capite secundae partis non erat ut demonstraremus existentiam sacrificii Eucharistici contra reformatores, qui sacrificium ante s. Cyprianum in Ecclesia non exstitisse effutiebant, sed potius ut essentiam sacrificii Eucharistici requireremus. Audivimus igitur praesertim argumenta a Renz et Wieland congesta, ut theoriam sive convivii sacrificalis, sive orationis eucharisticae, ex primitivis illis documentis astruerent. His autem sententiis convulsis, indirecte opinionem reformatorum confutavimus. Insuper, hac ratione simul praevertimus tendentiam modernam protestantium, qui jam non negant sacrificium Eucharisticum doceri etiam in documentis primitivis, sed hoc idem non in oblatione, sed in quadam consecratione aut benedictione panis et vini consistere asseverant (1).

In tribus prioribus saeculis aevi christiani hanc doctrinam reperimus, quae eadem est, quam Ecclesia semper docuit et adhuc docet, quaeque in arcta connexione ad Scripturam proponitur : *celebratio ritus Eucharistici est sacrificium proprie dictum*, *quod cum sacrificio rituali foederis antiqui conferre licet ;* hoc idem sacrificium Eucharistum, *secundum prophetiam Malachiae*, *omnibus oblationibus VT. substituitur* et offertur a sacerdotibus terrenis ad Deum glorificandum; ministri funguntur vice ipsius Christi, sacerdotis in aeternum secundum ordinem Melchisedech, qui corpus suum et sanguinem suum in hoc sacrificio Deo Patri suo offert, sicuti quondam in coena

(1) Cf. Goetz, *o. c.*, p. 185 s.; Andersen, *o. c.*, p. 15 s. et passim ; vide supra, in parte prooemiali, p. 36.

eadem obtulit ; intime conjungitur commemoratio passionis cum hac oblatione nova : passio est enim, ait s. Cyprianus, sacrificium quod offerimus.

Hinc inde quosdam textus habuimus obvios, qui primo aspectu difficultatem facere videbantur, sed haec omnia testimonia ex intentione speciali et scopo diverso apud diversos auctores sat facili negotio explicuimus ; ita speciatim exposuimus quemadmodum apologetae secundi saeculi, quando contra philosophos paganos arguebant, altare et sacrificium respuere potuerint ; eadem ratione ceterum adhuc argumentantur Arnobius et Lactantius : « Non altare fabricamus,... non aras » (1), sed ex hujusmodi assertionibus concludere minime fas est apologetas altare aut sacrificium christianum ignorasse, quoniam magis solliciti sunt ut objectiones allatas contundant, quam ut ipsum dogma proponant. Argumentum ex silentio itaque in his adjunctis prorsus nullum est.

Praeterea, apologetae plerumque aliis in locis ostendunt se plane novisse altare christianum, ad cujus ornatum, ait Origenes, fideles conferre possunt ; et non tantum in tertio saeculo apparet altare christianum, uti opinatur cl. Wieland, sed jam primo saeculo apud s. Ignatium martyrem legimus : « Una enim est caro Domini nostri Jesu Christi et unus calix in unitate sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis » (2).

Principium erroris apud auctores modernos ex ipsa voce « mensa » oriundum nobis videtur ; « mensam » legunt et statim inferunt : si dicitur « mensa », non est altare, aut potius altare erat « mensa » ; christiani duorum saltem priorum saeculorum altare quodvis concretum respuerunt, et unam cognoverunt mensam Eucharisticam, quae durante liturgia, itaque propter illam, nomine altaris decorabatur. Paulatim vero, aiunt, immutata notione sacrificii, quod prius spirituale, mox per symbolismum tanquam « oblatio

(1) Arnobius, *Adv. gentes*, VI, 1 ; VII, 3 (PL., V, 1162 et 1221). — Ex Lactantio etiam arguit Wieland, *Mensa et Confessio*, p. 125 et testimonium invocat ex scripto (*De mortibus persec.*, XII, in PL., VII, 213 s., ubi Lactantius destructionem cujusdam ecclesiae narrat, quin ad altare alludat. Inde statim habet cl. doctor Lactantium altare christianum proprie dictum plane ignorasse ! Cum quibusdam verbis ejusdem scriptoris (*De divin. institut.*, VI, 25 in PL., VI, 728 s.), sententiam suam adhuc confirmare studet (*Opferbegr.*, p. 150), sed frustra, uti ex ipso textu Lactantii, attentis animadversionibus nostris superius allatis, sufficienter patescit.

(2) S. Ign., *Ad Philad.*, IV (Funk, *Patres Apost.*, I, p. 266 s.) ; cf. et s. Iren., *Contra Haer.*, IV, xviii, 6 (PG., VII, 1029).

donorum » concipiebatur, pari passu evolutus est conceptus altaris, adeoque a « mensa » ad altare proprie dictum pervenimus.

Quaestionem hanc, quantum archaeologiam spectat (1), dirimere nostrum non est, sed advertimus in tali controversia incipiendum esse a definiendo altari : plane enim annuimus primum sacrificium Eucharisticum super « mensam » coenaculi celebratum fuisse, et ultro adhuc fatemur in primitiva Ecclesia eumdem ritum saepissime ad « mensam » perfectum fuisse ; quinimmo, an non multa altaria, non tantum in Ecclesia primitiva, sed adhuc post absolutum hoc stadium evolutionis a Wieland adinventum, formam externam cujusdam « mensae » prae se tulerunt et adhuc hodie prae se ferunt ? Attamen hanc vanam opinionem penitius convellere fas est, et adnotare sufficit jam apud ipsum s. Paulum « mensam Domini » designare altare proprie dictum, sive locum sacrificii, quidquid tandem sit de natura aut forma hujus mensae ; ex hoc textu porro sat superque explicantur omnia testimonia Traditionis, sive haec apud ipsos Patres, et non tantum in duobus primis saeculis, sed etiam apud s. Dionysium, episcopum alexandrinum et discipulum Origenis (2), apud Eusebium, Athanasium, Gregorium nazianzenum, Chrysostomum et alios occurrant, sive haec praecipue in liturgiis orientalibus (3), ubi talis designatio diu perseveravit, reperiantur.

Sed quomodo concipiendum est hoc sacrificium novum, quod in altari christiano offertur ?

Negative primo, scimus ex ipsis inspectis documentis, hanc *oblationem non esse meram orationem eucharisticam*, uti sentit

(1) Cf. Brousolle, *Histoire de l'autel chrétien*, apud period. RCF., XL, p. 485-499 ; H. Leclercq, art. *Autel*, in *Dict. d'Archéol.*, I, 3155-3189.

(2) S. Dionys., *Epist.* II (excerp. ex Euseb., *Hist. eccl.*, VII, ix, 1) in PL., V, 98.

(3) Cf. Brightman, *Liturgies eastern and western*, I, p. 506, Oxford, 1896 ; cf. etiam J. Probst, *Liturgie der drei ersten Jahrhunderten*, p. 20 s., p. 37 s., Tübingen, 1870 ; F. E. Warren, *Liturgy of the antinicene church*, p. 78-82, London, 1897 ; H. Leclercq, *art. cit.*, in *Dict. d'Archéol.*, I, 3156 s.; T. Schermann, *Rubrizistische Vorschriften für die Kirche und Messe, nach aegyptischen Quellen*, apud period. *Theol. und Glaube*, IV, p. 817-830, 1912 ; Kaufmann, *Handbuch der christl. Archäologie*, p. 176, Paderborn, 1905 ; altera ed. 1913 ; pro liturgiis syriacis cf. Lamy, *De Syr. fide et disciplina in re Euch.*, p. 241, Lovanii, 1859. — Merito igitur scribit Hammond, *o. c.*, p. 25, n. 11, haec verba, quae jam laudavimus : « It is worth remembering that in the Greek church, whose ritual is far more dramatic and realistic in regard to the sacrificial aspect than that of the West, « Holy Table » ... is the regular name for the altar in the rubrics... So « Mensa » is frequent in the Latin Sacramentaries ».

Wieland, *et eam pariter non esse praeparationem cibi Eucharistici*, uti Renz opinatur.

Positive secundo, ex monumentis trium priorum saeculorum non multa eruere est, hoc nimirum sensu, quod Patres aut scriptores Ecclesiae, quoniam tractatus theologicos non conscribunt, sed plerumque ex occasione christianis ipsum dogma proponunt, non late explicant quemadmodum hoc sacrificium definiamus oporteat.

Jamautem, hoc saltem luce clarius apparet, et haec est conclusio praecipua totius hujus capitis : *sacrificium novum concipiendum esse ad normam sacrificii antiqui, cui opponitur, cui substituitur, cujus terminologia describitur, inde a Didachè ad usque s. Cyprianum ;* expressis verbis hanc fidem omnibus Patribus communem signatim profitetur s. Irenaeus, quando scribit : « non genus oblationum reprobatum est ; oblationes enim et illic, oblationes autem et hic : sacrificia in populo, sacrificia in Ecclesia : sed species immutata est tantum, quippe cum jam non a servis, sed a liberis offeratur » (1).

Relationem sacrificii Eucharistici ad cruentam mactationem crucis minus attendunt documenta, quae hucusque examini subjecimus ; attamen hanc relationem non ignorant, quandoquidem, per citata verba institutionis, manifeste ad hanc relationem alludunt, licet etiam eamdem explicite non exponant. Nihil igitur innovavit *s. Cyprianus, qui prima vice*, in eadem semper connexione ad textum sacrum *hanc relationem clare enuntiavit :* « Passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus ; passio est enim Domini sacrificium quod offerimus » (2).

(1) S. Iren., *Contra Haer.*, IV, xviii, 2 (PG., VII, 1025).
(2) S. Cypr., *Epist.* LXIII, 17, supra laud.

CAPUT III.

TESTIMONIA PATRUM A SAEC. IV AD FINEM AEVI PATRISTICI EXPLICATIONES SCHOLASTICORUM DOCTRINA SS. CONCILII TRIDENTINI.

In priori et in altero capite hujus secundae partis ipsum dogma de sacrificio Eucharistico ex Scriptura sacra et primitiva traditione patristica eruimus, et invenimus celebrationem Eucharistiae esse verum sacrificium, ad cruentam crucis oblationem intime connexum.

Quomodo sit sacrificium, seu quomodo definitio sacrificii generica, quam huic celebrationi applicandam esse comprobavimus, reapse Eucharistiae adaptanda veniat, et quomodo hoc idem sacrificium simul verum et essentialiter relativum affirmari possit, investigandum remanet.

Hanc inquisitionem non nisi duce doctrina Traditionis et magisterio Ecclesiae instituendam autumamus, ideoque in priori sectione hujus capitis Patresac theologos ecclesiae graecae interrogabimus; in secunda sectione doctrinam ecclesiae latinae perscrutabimur : paulatim ipsum dogmaintactum atque intangibile magis tamen explicant sancti Patres, et formulas proponunt, quibus fidem suam de sacrificio Eucharistico exponunt.

Ex his formulis deducenda sunt principia, quibus postea quaestionem nostram solvere licebit ; sed in his principiis enodandis jam allaboraverunt theologi scholastici, et princeps praesertim theologorum, s. Thomas; ideo in sectione tertia sententias eorum afferemus, ut in sectione tandem quarta authenticam interpretationem hujus dogmatis a ss. Concilio Tridentino accipiamus. Attenti praeprimis huic interpretationi, quae et ipsa innititur Scripturae ac Traditioni tanquam firmo fundamento, in parte tertia hujus dissertationis sententiam de essentia sacrificii Missae proponemus, quae magis cum hac interpretatione et cum his principiis consentanea apparuerit.

Sectio I.

Patres ecclesiae graecae.

In hac prima sectione dicemus de testimoniis Patrum, ab ineunte saeculo quarto ad finem aevi patristici in ecclesia

graeca (1), atque, quum historiam scribere non intendamus, hanc doctrinam, per capita sua principalia solummodo proponemus, et in controversiis circa hanc vel illam expressionem parum insistemus. Dilucida ceteroquin sunt plerumque haec testimonia, ita ut eadem accurate transcribere sufficiat.

Art. 1. — Eusebius caesariensis et s. Athanasius.

De sacrificio Eucharistico non nisi per transennam agit Eusebius, Caesareae palestiniensis episcopus, ejusque oblationem vocat « nova novi Testamenti mysteria » (2) seu « divina et arcana ministeria » (3) ; ad haec celebranda, ait, « altare incruentarum et rationalium hostiarum..... per totum terrarum orbem » erigitur (4). Et enim sacrificiis judaicis substitutum est sacrificium ipsius Christi, qui semetipsum Deo in piaculum pro mundo universo semel obtulit ; christiani hujus oblationis « memoriam, corporisque ejusdem et sanguinis recordationem quotidie celebrant », itaque « longe praestantius sacrificium » offerunt, « quam illud antiquius fuerit » (5), quod sub lege praescriptum fuisse legimus.

Hanc eamdem doctrinam saepius inculcat auctor (6), et revera scimus « pro antiquis sacrificiis et holocaustis, Christi adventum per assumptionem humani corporis, ejusque corpus perfectum, Deo oblatum esse.... Cum ergo hujus sacrificii memoriam signis quibusdam in mensa celebrandam, corporisque item illius, salutarisque sanguinis, ut novi Testamenti institutum, acceperimus : rursum a propheta David (7) instruimur ad dicendum : Parasti in conspectu meo mensam contra eos qui affligunt me. Pingue fecisti in oleo caput meum, et calix tuus inebrians quam praestantissimus » (8).

Ipse Dominus ergo « mirabilem quamdam victimam, sacrificiumque eximium Patri suo operatus pro nostra omnium salute obtulit, ejusque rei memoriam ut nos ipsi Deo pro sacrificio offer-

(1) Testimonia Patrum ad ecclesiam orientalem pertinentium, quae non graece exarata sunt, in textu non referemus, sed in notis indicabimus.

(2) Eusebius (+ 340), *Demonstr. evang.*, I, 6 (PG., XXII, 61 s.).

(3) *Hist. eccles.*, X, 3 (PG., XX, 847 s.).

(4) *Demonstr. evang.*, I, 6 (PG., XXII, 61 s.).

(5) *Ibidem*, I, 10 (PG., XXII, 87 s.).

(6) Cf. etiam *Hist. eccles.*, X, 3 (PG., XX, 847 s.), et *Comment. in Ps. LXV 2 s.* (PG., XXIII, 647 s.).

(7) *Psal.* XXII (XXIII), 5.

(8) *Demonstr. evang.*, I, 10 (PG., XXII, 91 s.).

remus instituit » (1). « Haec igitur omnia, quae ab initio divinitus praedicta sunt, in praesenti tempore per evangelicam Salvatoris nostri doctrinam ab omnibus gentibus celebrantur, propheticae voci testimonium afferente veritate, per quam vocem Deus, mosaicis rejectis sacrificiis, quod futurum erat nostrum ipsum institutum, divinitus nuntiat, dicens : Quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatum est in gentibus, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et hostia munda (2). Sacrificamus igitur Deo altissimo sacrificium laudis : sacrificamus Deo plenum, et horrorem afferens, et sacrosanctum sacrificium, sacrificamus novo more, secundum novum Testamentum, hostiam mundam. At sacrificium Deo, spiritus contritus dictus est : cor igitur contritum et humiliatum Deus non despiciet. Jamque etiam incendimus propheticum illum odorem, in omni loco, et offerimus ei bene olentem fructum omni virtute abundantis theologiae, hoc ipsum orationibus ad eum directis facientes. Quod sane ipsum alius quoque docet propheta, qui ait : Fiat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (3). Igitur et sacrificamus et incendimus, alias quidem memoriam magni illius sacrificii, secundum ea, quae ab ipso tradita sunt, mysteria celebrantes, et gratias Deo pro salute nostra agentes, religiososque hymnos et orationes sanctas illi offerentes : alias nos ipsos totos ei consecrantes, ejusque pontifici, ipsi utique verbo, corpore, animoque dicantes.... Grata enim illi haec esse magis quam hostiarum magnum numerum, quarum sanguine et fumo et nidore operemur, edocti sumus » (4).

Christus enim sacerdos fuit secundum ordinum Melchisedech « nam quemadmodum ille qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed vino solo et pane, dum ipsi Abraham benedicit, ita sane primus ipse Salvator ac Dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt, sacerdotes in omnibus gentibus, spirituale secundum ecclesiasticas sanctiones sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane, et corporis illius et salutaris sanguinis mysteria repraesentant (*οἴνῳ καὶ ἄρτῳ, τοῦ τε σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ σωτηρίου αἵματος αἰνίττονται τὰ μυστήρια*), quae sane mysteria Melchisedech tanto ante spiritu divino cognoverat, et rerum futurarum imaginibus usus fuerat, sicut etiam Moysis Scriptura testificatur, ubi ait : Et Melchisedech rex Salem, protulit panes et vinum. Erat autem sacerdos Dei altissimi, et benedixit Abraham (5). Merito

(1) *Demonstr. evang.*, I, 10 (PG., XXII, 89 s.).
(2) *Mal.*, I, 11.
(3) *Ps.* CXL (CXLI), 2.
(4) *Demonstr. evang.*, I, 10 (PG., XXII, 91 s.).
(5) *Gen.*, XIV, 18, 19.

igitur et cum jurisjurandi adjectione, uni ei de quo hic agimus talia promissa sunt : Juravit, inquit (1), Dominus Deus, et non poenitebit eum : tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech » (2).

Christus Dominus hoc sacrificium prima vice ipse obtulit, cum « vinum mysticum » discipulis suis porrexit, dicens : « Accipite, bibite, hic est meus sanguis, qui pro vobis funditur, in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem » (3) ; itaque simul apostolos suos hortatur « ut sui ipsius corporis imaginem repraesentent (τὴν εἰκόνα τοῦ ἰδίου σώματος ποιεῖσθαι) » (4), quum jam « non amplius cruenta sacrificia, neque ea quae apud Moysen in lege, diversorum animalium mactationibus sancita erant, grata esset habiturus » ; haec fuit ergo causa cur Dominus instituit ut deinceps discipuli « pane sui corporis nota uterentur (ἄρτῳ δε χρῆσθαι συμβόλῳ τοῦ ἰδίου σώματος) » (5).

* * *

Novimus profecto quaedam alia testimonia, in quibus eximius historiographus « sacrificia Deo dignissima hominum sanctorum precibus » (6) offerenda affirmat, ac vel imo prophetiam Malachiae de his orationibus audire videtur. « Hoc igitur nomen divinum quasi ab ortu solis usque ad occasum glorificatur in gentibus, cuivis manifestum per praedicationes quae in Christi nomine ubique fiunt. Quippe in omni loco spiritale incensum et precibus purum incruentumque ac rationale sacrificium per verum summumque pontificem Deo offerunt » (7). Quod plus est, hoc sacrificium opponit oblationibus antiquis : « gratiarum actionem et laudem qua Patrem Filius magnificat intelliges, ait, si novi Testamenti mysteriis animum adhibens, ubi Ecclesia Dei per totum orbem ad gratiarum actiones, ad rationabilem et sine fumo cultum, Deo offerendum instituta est. Laus isthaec et gratiarum actio corporeis hostiis, quae olim secundum legem Moysis offerebantur, multo praestantior est ». Attamen magis obvie forsitan haec ultima verba

(1) *Ps.* CIX (CX), 4.
(2) *Demonstr. evang.*, V, 3 (PG., XXII, 365 s.).
(3) *Luc.*, XXI, 19 s.
(4) *Demonstr. evang.*, VIII, 1 (PG., XXII, 595 s.).
(5) *Ibidem*; notetur synonymia σύμβολον inter et εἰκόνα et cf. Batiffol, *Euch.*, p. 297, n. 2.
(6) *Praep. evang.*, IV, 4 (PG., XXI, 245 s.); cf. etiam *Ibidem*, IV, 21 (PG., XXI, 297 s.).
(7) *Eclogae propheticae*, III, 29 (PG., XXII, 1155 s.); cf. adhuc *Demonstr. evang.*, I, 6 (PG., XXII, 59 s.).

ad sacrificium novae legis applicare fas erit, nam Eusebius ipsum Servatorem ita loquentem mox inducit : « Non sensibilem ego vitulum profero, sed puram et incruentam hostiam, quam ego ipse in Ecclesia mea constitui, per incruentum et igne vacuum ministerium, quod laude absolvitur » (1).

Quonam autem sensu et quanam ratione sacrificium novae legis describere liceat hac expressione, quam cl. Wieland (2) libenter advocat ad suam sententiam confirmandam, apud ipsum Eusebium edocemur : « Imo etiam unus ille populus (nempe christianus) incruentam et rationabilem hostiam per jubilationem (τὴν θυσίαν τὴν ἄναιμον λογικὴν) offerre Deo solet : quia in spiritualibus sacrificiis, atque in cultu quem in novo Testamento persolvimus, necnon in sacrificiis incruentis et materiae expertibus, una voce Deo gratiarum actionem emittimus » (3).

* * *

Cl. Wieland prorsus immerito ex his verbis concludit Eusebium, ubi sine symbolo loquitur, essentiam sacrificii in oratione atque gratiarum actione reponere, et altare unice erigendum docuisse ad orationem persolvendam ac Dei reverentiam excolendam. Et revera, textus ad quem provocat cl. criticus, loquitur de altari, quod erigitur « ad invocandum adorandumque Deum » (4), sed nonne etiam sacrificium fieri potest ad invocandum et adorandum Deum ? Deinde, quid opus est altare ad orationem faciendam ? In his verbis igitur alluditur ad finem sacrificii, sed ex iisdem quaestionem de essentia sacrificii nullatenus dirimere licet.

(1) *Comment. in Ps. LVIII, 30 s.* (PG., XXIII, 759 s.); item *Comment. in Ps. CXI, 2 s.* (PG., XXIII, 1169) « Ea die, quae verae lucis et veri solis dies est, nos ipsi congregati, sex diebus interpositis, sancta et spiritualia Sabbata celebrantes, quotquot ex gentibus in orbe toto per eum liberati sumus, quae sacerdotes in die Sabbati agere in lege statutum erat, ea nos secundum legem spiritualem perficimus. Nam sacrificia et oblationes spirituales, quae hostiae laudis et hostiae jubilationis vocantur persolvimus : incensum boni odoris emittimus, de quo dictum est : Fiat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Imo etiam panes propositionis offerimus, salutarem memoriam refricantes ; aspersionem item sanguinis Agni Dei, qui tollit peccatum mundi, piaculum animarum nostrarum, facimus » ; v. etiam *Comment. in Ps. CXV, 9 s.* (PG., XXIII, 1223 s.).

(2) Wieland, *Altar und Altargrab*, p. 17, Leipzig, 1912 ; cf. pariter Harnack, *Dogmengesch.*, II, p. 458, Tübingen, 1909[4].

(3) *Comment. in Ps. LXXXVIII, 16 s.* (PG., XXIII, 1095 s.) ; vide adhuc *Demonstr. evang.*, I, 10 (PG., XXII, 91 s.).

(4) *Eclogae prophet.*, IV, 11 (PG., XXII, 1215 s.).

Haud majori negotio dissolvuntur considerationes, quas cl. Renz (1) ex testimonio Eusebii desumit, ut suam sententiam corroborare possit. Docet revera episcopus caesariensis : « nos novi foederis homines, Dominicis cunctis diebus Pascha nostrum celebrantes, Servatoris corpore semper satiamur, semper sanguinem Agni participamus », et pluries infra de « celebratione mysteriorum veri Agni » agit, « per quem liberati fuimus » (2). Quid autem inde constat? Loquitur reapse Eusebius de celebrandis mysteriis, de « manducatione Agni paschalis » ; et enim in hac oblatione manducatio victimae speciali ratione eminebat, sed nullibi vel leviter etiam innuit christianos, qua participantes seu qua edentes, celebrare Pascha, quod esset ad theoriam convivii sacrificalis omnino necessarium. Eusebius autem fidem suam de sacrificio Eucharistico pulchre et concinne hisce verbis proclamat : *sacrificii quondam peracti memoriam, pro sacrificio nostro, Deo offerimus, dum in mensa seu in altari, corporis Christi ac sanguinis ejus recordationem quotidie instauramus.*

*
* *

Sicut Eusebius, ita s. Athanasius celebrationem Eucharistiae sacerdotibus explicite reservat (3) : in hac autem liturgia Eucharistica, inquit, quam « ipse (Dominus) ubique fieri volebat, atque in omni loco thus sibi et sacrificium offerri » (4), « haud materialem immolamus agnum, sed verum illum, qui immolatus fuit, Dominum nostrum Jesum Christum, qui ductus est tamquam ovis ad lanienam » (5). « Id tempore passionis accidit, qua Dominus noster pro nobis obiit, et Pascha nostrum immolatus est Christus. Propterea igitur quia immolatus fuit, unusquisque eo vescetur, et hilariter seduloque alimoniam hanc participabit » (6).

Libenter nimis haec verba sententiae suae adaptat cl. Renz (7),

(1) Renz, *Geschichte,* I, p. 316.

(2) *De Solemnitate paschali*, VII (PG., XXIV, 701 s.) ; cf. etiam *Demonstr. evang.*, VIII, 1 (PG., XXII, 595 s.).

(3) s. Athanasius (+ 373), *Apol. adv. arianos,* XI et XXVIII (PG., XXV, 267 et 295 s.).

(4) *Epist. heortast.*, IV, 4 (PG., XXVI, 1378) ; cf. etiam citationem ex s. Athanasio, apud Eutychium, *Sermo de Paschate et sacrosancta Eucharistia,* (PG., LXXXVI, 2401 s.) et verba, quae refert s. Jo. Damascenus, *De his qui in fide dormierunt*, XIX (PG., XCV, 265 s.) tanquam excerpta ex s. Athanasio.

(5) *Epist. heort.*, I, 9 (PG., XXVI, 1365).

(6) *Ibidem,* XI, 14 (PG., XXVI, 1412).

(7) Renz, *Geschichte*, I, p. 331.

qui statim ex hoc testimonio concludit : sacrificium Eucharisticum ad mentem Athanasii est essentialiter epulum, quod christiani cum jubilo celebrant. At vero ex priori textu quem transcripsimus, aperte constat Athanasium multo magis immolationem quamdam profiteri, quam mysticam postea nuncupabunt; in altero autem loco, quamvis s. episcopus praeprimis sumptionem respiciat, uti obvium erat ex comparatione cum agno vetere paschali, minime tamen essentiam illius novi ritus paschalis explicare intendit, nedum illam in convivio reponendam doceat.

Confirmationem opinionis suae adhuc exquirit Renz ex verbis quibusdam Epistolae heortasticae undecimae, ubi Athanasius vaticinium Malachiae in exhortatione sua adducit, ut fideles moneat « ne seorsum, sed conjunctim atque concorditer cuncti simul » festum agant paschale. Immemor characteris harum epistolarum, non advertit cl. doctor hunc textum ab Athanasio, non ut supra apud s. Cyprianum in demonstrationem sacrificii, sed unice in commonitionem adduci, ut, ex uno loco nimirum in quo offertur sacrificium, concludat : « Cum sic unanimiter extolletur laus et oratio ab iis, qui ubique sunt, ad Patrem illum clementem ac bonum, cum universa catholica Ecclesia, ubique diffusa, conjunctim et cum exsultante laetitia Deum adorabit ; cum unusquisque generatim laudem extollet, dicetque amen ; quam bene nobis erit, fratres mei ! Quis non gaudebit, cum recte orabit ? » (1)

Art. 2. — Documenta liturgica primitiva.

Coepimus examen liturgiae primitivae a notissima Anaphora Serapionis, qui fuit s. Athanasii familiaris, et praecipuas hujus euchologii partes, quae magis directe sacrificium spectant, nunc transcribimus (2) :

« Imple etiam hoc sacrificium (*τὴν θυσίαν ταύτην*) virtute tua et communicatione tua ; tibi enim obtulimus hoc sacrificium vivum, oblationem incruentam (*σοὶ γὰρ προσηνέγκαμεν ταύτην τὴν ζῶσαν θυσίαν, τὴν προσφορὰν τὴν ἀναίμακτον*). Tibi obtulimus hunc panem, similitudinem corporis unigeniti (*Σοί προσηνέγκαμεν τὸν ἄρτον τοῦτον, τὸ ὁμοίωμα τοῦ σώματος τοῦ μονογενοῦς*) (3). Hic panis sancti corporis

(1) *Epist. heort.*, XI, 11 (PG., XXVI, 1410).

(2) Serapion, episc. thmuensis (+ c. a. 360), *Anaphora*, II, 11 et III, 12 s. — Textum sequimur, quem edidit Rauschen, *Floril.*, VII, p. 26 s., juxta ed. Funk, *Didasc. et Const. Apost.*, II, p. 158-195.

(3) Notat Rauschen, *l. c.*, : « vox *ὁμοίωμα* de Eucharistia raro adhibita est ; pro ea scriptores saeculi IV saepissime vocibus *ἀντίτυπον* vel *σύμβολον* usi sunt. Panis et vinum *ὁμοίωμα* corporis et sanguinis Jesu sunt, quia mor-

est similitudo (τοῦ ἁγίου σώματός ἐστιν ὁμοίωμα), quia Dominus Jesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem ac fregit deditque discipulis suis dicens : Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur (τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον) in remissionem peccatorum. Propterea et nos similitudinem mortis facientes panem obtulimus (τὸ ὁμοίωμα τοῦ θανάτου ποιοῦντες τὸν ἄρτον προσηνέγκαμεν) et precamur : Per hoc sacrificium reconciliare nobis omnibus et sis propitius, Deus veritatis. Et sicut hic panis dispersus erat supra montes et conlectus factus est in unum, ita ecclesiam tuam conlige ex omni gente omnique terra, ex omni urbe et vico et domo et fac unam vivam catholicam ecclesiam. Obtulimus etiam calicem, similitudinem sanguinis (τὸ ὁμοίωμα τοῦ αἵματος), quoniam Dominus Jesus Christus accepto calice, postquam cenavit, dixit discipulis suis : Accipite, bibite, hoc est novum testamentum, quod est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum (τοῦτό ἐστιν ἡ καινὴ διαθήκη, ὅ ἐστιν τὸ αἷμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτημάτων). Propterea obtulimus et nos calicem similitudinem sanguinis adhibentes (προσηνέγκαμεν... τὸ ποτήριον ὁμοίωμα αἵματος προσάγοντες) » (1).

Eamdem expressionem reperimus adhuc in liturgia graeca s. Marci, quae cum hac Anaphora connexa videtur, et ad typum alexandrinum liturgicam reducenda est (2) : « εὐχαριστοῦντες προσφέρομεν τὴν

tem ejus repraesentant», et revera in textu, quem referimus, adhuc legimus : « τὸ ὁμοίωμα τοῦ θανάτου ». — Cf. etiam Batiffol, *Euch.*, p. 316, n. 2.

(1) Cum hac Anaphora Serapionis confert Batiffol, *o. c.*, p. 327 s. anaphoram ex fragmentis papyri, quae detegit Flinders Petrie a. 1907, in Dêr-Balyzeh Aegypti. His fragmentis studuerunt praeprimis Crum et etiam P. de Puniet, *Fragments inédits d'une liturgie égyptienne écrits sur papyrus*, in *Report of the Euch. Congress*, p. 367-401, London, 1909 ; cf. ejusdem auctoris *Le nouveau papyrus liturgique d'Oxford*, apud period. *Revue bénédictine*, XXVI, p. 34-51, Maredsous, 1909 et T. Schermann, *Der liturgische Papyrus von Dêr-Balyzeh*, Leipzig, 1910 ; cf. adhuc hujus auctoris *Aegyptische Abendmahlsliturgien des ersten Jahrtausends* (*Studien zur Geschichte und Kultur des Altertums*, VI, 1-2) Paderborn, 1912 ; T. Schermann hoc documentum ad saec. II, vel saltem ad initium saec. III reducendum putat, et certo anterius est liturgia s. Marci, in qua magis evolvitur. Hanc ultimam assertionem confirmat Batiffol, *o.c.*, p. 333, ex comparatione cum anaphora, quae legitur in *Constitutione ecclesiae aegyptiacae ;* textum hujus anaphorae aegyptiacae videsis apud Batiffol, *Euch.*, p. 333 ; p. 327 s., habes textum graecum papyri oxoniensis, cum restitutione proposita a P. de Puniet et T. Schermann.

(2) Cf. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, p. 55 s., 1909[5], qui diversas liturgias ad quattuor typos reducit : romanum scil. et gallicanum, pro ecclesia occidentali ; syrum et alexandrinum pro ecclesia orientali. Ad typum alexandrinum pertinent euchologium Serapionis et liturgiae posteriores, quarum praecipuae sunt : liturgia graeca s. Marci, quae est

λογικὴν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν ταύτην » (1). Advertatur etiam quemadmodum in eadem liturgia ad narrationem institutionis Eucharistiae legatur : « τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον καὶ διαδιδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν » et adhuc « τοῦτό ἐστι τὸ αἷμα μου... τὸ ἐκχυνόμενον καὶ διαδιδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν » ; quamvis διαδιδόμενον magis participationem respicere videatur, jam κλώμενον et ἐκχυνόμενον cum ipso sacrificio Eucharistico indubie connecti debent (2).

* * *

Ad liturgiam pariter referri possunt Catecheses mystagogicae s. Cyrilli hierosolymitani. Orationes istae, quae ad typum syrum pertinent (3), statim post praefationem, omissa narratione institutionis Eucharistiae, ita pergunt :

« Deinde postquam nosmetipsos per has spirituales laudes sanctificavimus, Deum benignum exoramus, ut emittat sanctum Spiritum super dona proposita ; ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi : omnino enim quodcumque attigerit Spiritus sanctus, id sanctificatum et transmutatum est ».

saec. V (cf. Brightman, *Liturgies eastern aud western*, I, p. 113 s., Oxford, 1896), liturgiae copticae s. Cyrilli alex., s. Gregorii naz. et s. Basilii, atque liturgia abyssina, quae dicitur « Duodecim Apostolorum » (Brightman, *o. c.*, I, p. 144 s. et p. 194 s.). — Liturgiae s. Gregorii et s. Basilii pariter graece prostant, sed tunc ad typum syrum magis spectant.

(1) Renaudot, *Liturg. orient. coll.*, I, p. 145, Parisiis, 1716 ; Brightman, *o. c.*, I, p. 126 ; ita et in liturgiis copticis, v. g. in liturgia s. Cyrilli (Renaudot, *o. c.*, I, p. 39) ; cf. pariter liturgiam graecam s. Basilii et s. Gregorii (Renaudot, *o. c.*, I, p. 61 et p. 95).

(2) Cf. Renaudot, *o. c.*, I, p. 155 s.; Brightman, *o. c.*, I, p. 132 ; ita et in liturgia abyssina agitur de frangendo pane et effundendo calice in tempore praesenti ; cf. Brightman, *o. c.*, I, p. 232, et quae notat Renaudot, *o. c.*, II, p. 81 : « Ea verba (qui pro nobis effunditur in remissionem peccatorum) ad calicem referri manifestum est.... At vero, ut de Latinis Graecisque Theologis taceamus, qui haec verba ad calicem referunt, Orientales rituum Interpretes, effusionem calicis, qua adumbretur et repraesentetur quodammodo effusio sanguinis Christi, significari testantur. Unde monent Gabriel Alexandrinus patriarcha et alii, ut eo loco sacerdos calicem leviter inclinet, ad effusionem sanguinis Christi significandum ».

(3) Cf. Duchesne, *o. c.*, p. 56 s. — Ad typum syrum pertinent Catech. XXIII s. Cyrilli hieros., Constitutiones Apost., VIII, 5-15 et homiliae s. Jo. Chrysostomi ; inter liturgias posteriores ejusdem typi eminet pro ecclesia Syriae, liturgia graeca s. Jacobi (Brightman, *o. c.*, I, p. 315), cui valde accedit ejusdem s. Jacobi liturgia syriaca (Brightman, *o. c.*, I, p. 69 s.) ; ad eumdem typum reducitur epistola Jacobi Edesseni (circa finem saec. VII), quae est maximi momenti ad ediscendum usum liturgiae syriacae antiquum. — Vide J.S. Assemani, *Biblioth. orient.*, I, p. 479, Romae, 1719 ; Brightman, *o. c.*, I, p. 490.

« Postquam vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus (*μετὰ τὸ ἀπαρτισθῆναι τὴν πνευματικὴν θυσίαν, τὴν ἀναίμακτον λατρείαν*), super illam propitiationis hostiam (*ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης τοῦ ἱλασμοῦ*), obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace, pro recto mundi compositione... precamur nos omnes et hanc victimam offerimus » (1).

*
* *

Similiter describitur sacrificium Eucharisticum apud Constitutiones Apostolorum, in quibus dicitur Christum in coena tradidisse « antitypa mysteria pretiosi corporis et sanguinis sui (*τὰ ἀντίτυπα μυστήρια τοῦ τιμίου σώματος αὐτοῦ καὶ αἵματος*) » (2), nam « pro sacrificio cruento, rationale, incruentum ac mysticum instituit quod *εἰς τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου συμβόλων χάριν* celebratur, sacrificium corporis et sanguinis Domini » (3). Offerimus igitur « antitypam regalis corporis Christi et acceptam Eucharistiam (*τὴν ἀντίτυπον τοῦ βασιλείου σώματος Χριστοῦ δεκτὴν εὐχαριστίαν*) » (4), et « gratias agimus... pro pretioso sanguine Jesu Christi effuso nostra causa ; et pro pretioso corpore, cujus et haec antitypa celebramus, cum ipse nobis constituerit mortem illius annuntiare (*οὗ καὶ ἀντίτυπα ταῦτα ἐπιτελοῦμεν, αὐτοῦ διαταξαμένου ἡμῖν καταγγέλλειν τὸν αὐτοῦ θάνατον*) » (5).

« Memores igitur eorum, quae propter nos pertulit (Christus), gratias agimus tibi, Deus omnipotens, non quantum debemus, at quantum possumus ; et constitutionem ejus implemus. In qua enim nocte tradebatur, pane sanctis ac immaculatis manibus suis accepto, et elevatis oculis ad te Deum suum ac Patrem, fregit, et dedit discipulis dicens : Hoc est mysterium novi Testamenti (*τοῦτο τὸ μυστήριον τῆς καινῆς διαθήκης*), accipite ex eo, manducate : hoc est

(1) S. Cyrillus (+ 386), *Catech.* XXIII, *Mystag.* V, 7-8 (PG., XXXIII, 1113 vel Rauschen, *Floril.*, VII, p. 63, aut Brightman, *o. c.*, I, 464 s.). — Cf. etiam liturgiam graecam s. Jacobi : « *τὴν... ἀναίμακτον θυσίαν* », apud Brightman, *o. c.*, I, p. 53 ; vide etiam Renaudot, *o. c.*, II, p. 32.

(2) *Const. Apost.*, V, 14 (PG., I, 873 s.; Funk, *Didasc. et Constit. Apost.*, I, p. 273).

(3) *Const. Apost.*, VI, 23 (PG., I, 972 s.; Funk, *o. c.*, I, p. 361). — Nonne haec expressio, quae obscuritate certo non caret, eadem ratione intelligenda venit ac illa, quam infra apud s. Augustinum habebimus obviam : « Semel immolatus est Christus in seipso, et tamen in sacramento... omni die populis immolatur » ? Hoc admisso, vox *χάριν*, quae sumitur adverbialiter, eodem sensu deberet intelligi quo latine dicitur : hujus rei gratia, nempe non « propter » sed « per » hanc rem.

(4) *Const. Apost.*, VI, 30 (PG., I, 987 s.; Funk, *o. c.*, I, p. 381).

(5) *Ibidem*, VII, 25 (PG., I, 1017 ; Funk, *o. c.*, I, p. 412).

corpus meum, quod pro multis frangitur (τὸ περὶ πολλῶν θρυπτόμενον) in remissionem peccatorum. Similiter calicem miscuit ex vino et aqua, sanctificavit, ac dedit iisdem dicens : Bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur (τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον) in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et bibetis hunc calicem, mortem meam annuntiabitis, donec veniam ».

« Itaque memores passionis ejus, et mortis, et a mortuis resurrectionis, atque in coelum reditus, necnon secundi adventus, quem idem facturus est, in quo cum gloria et potestate veniet judicare vivos et mortuos, et reddere singulis juxta opera eorum, tibi regi ac Deo panem hunc et calicem hunc offerimus... Et poscimus te... ut supra hoc sacrificium mittas sanctum tuum Spiritum, testem passionum Domini Jesu, ut exhibeat (ὅπως ἀποφήνῃ) panem hunc corpus Christi tui et calicem hunc sanguinem Christi tui, quo participes illius, ad pietatem confirmentur, remissionem peccatorum consequantur » (1).

*
* *

Liturgiae variae igitur manifeste proponunt *verum sacrificium*, quod *incruentum vocant ac mysticum*, et *ad cruentam crucis oblationem intime connexum considerant*; minus exponunt in quonam sit illud sacrificium, quo corpus atque sanguis Christi offeruntur ; minus etiam explanant quemadmodum hoc sacrificium relativum concipiamus oporteat, itaque, post hunc excursum per liturgiam primitivam, ad traditionem patristicam redire juvat (2).

Art. 3. — Patres ecclesiae Cappadociae.

S. Basilius qui cum fratre suo s. Gregorio nysseno et cum s. Gregorio nazianzeno, ecclesiam Cappadociae quam maxime illustravit, pauca tantummodo de Eucharistia scripsit, et rem

(1) *Const. Apost.*, VIII, 12 (PG., I, 1103 s. ; Funk, *o. c.*, I, p. 509 s. ; cf. etiam Brightman, *o. c.*, I, p, 20 ; Rauschen, *Floril.*, VII, p. 145).

(2) Aphraates (fin III s.-med. IV s.) *Hom.* (sive *Demonstr.*), XII, 4 (vers. lat. apud Parisot-Graffin, *Patr. syr.*, I, Parisiis, 1894; vers. germ. apud Bert, *Aphraat's, der persischen Weisen, Homilien*, in TU., III, 3-4, Leigzig, 1888), pariter celebrationem Eucharistiae cum Paschate judaico comparat et vetus Pascha in novum immutatum docet; cf. etiam Forget, *De vita et scriptis Aphraatis, sapientis Persae*, p. 274, Lovanii, 1882. — S Ephraem († 373), similiter verum sacrificium in Euch. agnoscit ; lege *Sermonem in hebdomadam sanctam*, IV, 6 (ed. Lamy, *S. Ephr. syri Hymni et Sermones*, I, p. 422, Mechliniae, 1882) et *Paraenesim* LXXIV (ed. J. S. Assemani, *S. Ephr. syri opera omnia*, III, in serie syr. et lat., p. 555, Romae, 1743).

practicam insuper plerumque magis attendit. Ita v. g. perutile docet quotidie participare Eucharistiae atque huic utilitati tantum insistit ut « persecutionum temporibus... absente presbytero aut diacono », jam praestare dicat « communionem sua ipsius manu accipere... Postquam enim semel sacerdos sacrificium absolvit (τὴν θυσίαν τοῦ ἱερέως τελειώσαντος) ac porrexit : qui illud, ut totum simul accepit, is dum quotidie participat, merito credere debet se ab eo qui dedit participare et accipere » (1).

Nemo statim non audit quid commendare intendat s. praesul, nec cogitabit quisquam ibidem quaestionem essentiae sacrificii Eucharistici esse diremptam ; ex his tamen verbis sententiam convivii sacrificalis confirmare studet cl. Renz, et quia dicitur sacrificium absolvi a sacerdote et porrigi fidelibus, jam « τελειοῦν τὴν θυσίαν » nequit significare, ait, peragere sacrificium : non agitur celebratio sacrificii, sed mera confectio cibi, qui deinde fidelibus communicatur (2). At vero luce clarius apparet, etiam si sumatur sacrificium objective pro materia, quae in sacrificio fuit oblata, non affirmari in textu, sacrificium activum seu actum sacrificalem esse formaliter et praecisive in praeparanda materia in cibum sacrificalem, uti instanter affirmat cl. auctor, qui revera suiipsius sententiam, et non opinionem s. Basilii legit, quando ad verba s. episcopi caesariensis : « ad vesperum, hoc est, in consummatione saeculi vera illa ovis Christus immolatur, cujus caro vere est cibus » (3), hanc subdit explicationem : veram ovem in cruce immolatam pro nobis immolamus, quoniam eamdem tamquam cibum nostrum sacrificalem sumimus ; s. Basilius enimvero aperte pronuntiat carnem Christi esse cibum nostrum, sed immolationem et essentiam sacrificii in praeparatione hujus cibi nullibi reponit.

*
* *

Attamen rationem cur cibus Eucharisticus appellari possit sacrificium, explicatur, inquit cl. Renz, his verbis s. Gregorii Nazianzeni, ubi s. episcopus Julianum Apostatam impugnat qui « manus suas profanat, ut nimirum eas ab incruento sacrificio, per

(1) S. Basilius (+ 379), *Epist.* XCIII (alias CCLXXXIX) (PG., XXXII, 485 s.); cf. etiam *Comment. in Isaiam, I, 11,* XXIV (PG., XXX, 166) : « Unusquisque Deo offerat se ipse, exhibens sese hostiam viventem, acceptam Deo per rationalem cultum Deo laudis sacrificium immolans » ; attamen hoc opus s. Basilio haud certo attribui potest.

(2) Renz, *Geschichte*, I, p. 345; eadem methodo textum interpretatur s. Basilii, *De Spiritu sancto,* XXVII (PG., XXXII, 187 s.).

(3) *Comment. in Is., I, 11,* XXVII (PG., XXX, 171); uti modo notavimus non constat de authentia hujus documenti, quam Renz indubiam habet.

quod Christo ipsiusque passionibus et divinitati communicamus, elueret ac repurgaret » (1).

S. Gregorius revera verisimilius cogitat sacrificium objectivum, id est, ipsum cibum sacrificalem incruentum ; sed inde concludere nefas est sacrificium esse formaliter in praeparandis escis. Pulchre alioquin scribit s. antistes in epistola ad Amphilochium : « O Dei cultor sanctissime, ne cuncteris et orare et legatione fungi pro nobis, quando verbo Verbum attraxeris, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem Dominicum, vocem adhibens pro gladio (ὅταν λόγῳ καθέλκῃς τὸν Λόγον, ὅταν ἀναιμάκτῳ τομῇ σῶμα καὶ αἷμα τέμνῃς Δεσποτικὸν, φωνὴν ἔχων τὸ ξίφος) » (2).

Advertamus adhuc nullum argumentum esse in favorem sententiae convivii sacrificalis (3), ex his locis, ubi s. Gregorius de « mensa » loquitur Eucharistica (4), quandoquidem alibi saepius de altari dicit, in quo sanctissima celebrantur mysteria, et Christus offertur atque honoratur (5). Ita puta in oratione, quam in laudem sororis suae Gorgoniae conscripsit (6) : « Desperatis omnibus aliis auxiliis, ad mortalium omnium medicum confugit, atque intempesta nocte captata, cum morbus non nihil remisisset, ad altare (τῷ θυσιαστηρίῳ) cum fide procumbit, eumque qui super ipsum honoratur cum ingenti clamore invocans... atque omnia ea, quae unquam mirifice gesserat, velut in memoriam revocans ; .... tandem pia et praeclara quadam impudentia effertur ».

* * *

Jam magis ex professo de sacrificio Eucharistico scribit s. Gregorius nyssenus, neque solummodo proclamat hoc esse

(1) S. Greg. nazianz. (+ 390), *Oratio* IV, 52 (PG., XXXV, 575 s.).
(2) *Epist.* CLXXI (PG., XXXVII, 280 s.).
(3) Cf. Renz, *Geschichte*, I, p. 356 s.
(4) *Oratio* II, 8 (PG., XXXV, 415 s.); *Oratio* XVII, 12 (PG., XXXV, 979 s.); *Theol. Carm.*, I, 11, 34 (PG., XXXVII, 961 s.).
(5) *Oratio* XXVI, 16 (PG., XXXV, 1247 s.) : « Quid postea ? Ab altaribus arcebunt? At altare aliud scio cujus figura sunt ea, quae nunc oculis cernimus : super quod nec ascia, nec manus ascendit, nec ferrum, nec ullum artificum instrumentum auditum est... Huic astabo, super illud grata immolabo » ; cf. etiam *Orat.* II, 4, 8 et 95 (PG., XXXV, 411 s., 415 s. et 497 s.) ubi de « mystica » oblatione et de « sanctissimis mysteriis » agit quo « illud magnorum mysteriorum antitypum » Deo offertur; vide pariter *Orat.* VIII, 18 (PG., XXXV, 810). — In *Carm.*, I, 11, 17 et II, 1, 17 (PG., XXXVII, 781 s. et 1264 s. de sacerdotio scribens, s. Gregorius beatum praedicat, « qui populi principatum gerens, sanctis magnisque sacrificiis Christum ad Dei hominibus conciliat ». Lege etiam *Carm.*, I, 11, 34 (PG., XXXVII, 961 s.).
(6) *Oratio* VIII, 18 (PG., XXXV, 810 s.); cf. etiam *Dialog.*, III, 169 (PG., XXXVIII, 1132) qui Caesario nazianzeno, fratri s. Greg. naz., adscribitur.

verum sacrificium, sed adhuc explicationem paucis hisce verbis addit : « Qui potestate sua cuncta disponit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Judaeorum quasi praedonum impetum, non iniquam Pilati sententiam exspectat, ut eorum malitia sit communis hominum salutis principium et causa ; sed consilio suo antevertit et arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert, et victimam immolat, sacerdos simul existens, et Agnus Dei ille qui mundi peccatum tollit. Quando id prestitit? Cum corpus suum discipulis congregatis edendum, et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit agni sacrificium jam esse perfectum. Nam victimae corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum, et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana et non aspectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat » (1).

Docet ergo s. Gregorius nyssenus Christum in Eucharistiae celebratione *quodammodo immolari, ratione diversa a cruenta mactatione*, quae in cruce obtinuit ; et enim haec immolatio in coena, praedicatur perfecta quando Christus corpus et sanguinem suum discipulis edendum et bibendum praebuit ; atqui manducatio et potatio, ut s. praesul omnino clare pronuntiat, immolationem praesupponunt : « cum corpus edendum et sanguinem bibendum exhibuit.... jam arcana et non aspectabili ratione corpus erat immolatum ».

Secundum cl. Renz, haec immolatio non est nisi praeparatio cibi sacrificalis, sed ipsum prorsus latet, uti videtur, ad immolationem

(1) S. GREN. GYSS. (+ p. a. 394), *Oratio in Christi resurrect.*, I (PG., XLVI, 611 s.) : « Πότε τοῦτο; ὅτε βρωτὸν ἑαυτοῦ τὸ σῶμα [καὶ πότιμον τὸ αἷμα τοῖς συνοῦσιν ἐποίησεν· παντὶ γὰρ τοῦτο δῆλόν ἐστιν, ὅτι οὐκ ἂν βρωθείη παρὰ ἀνθρώπου πρόβατον, εἰ μὴ τῆς βρώσεως ἡ σφαγὴ καθηγήσαιτο. Ὁ τοίνυν δοὺς τὸ σῶμα τοῖς μαθηταῖς ἑαυτοῦ] εἰς βρῶσιν σαφῶς ἐνδείκνυται τῷ ἤδη γεγενῆσθαι ἐντελῆ τοῦ ἀμνοῦ τὴν θυσίαν. [al. τῷ εἴδει τοῦ ἀμνοῦ τὴν θυσίαν ἐντελῆ γεγενῆσθαι]. » — Quando id praestitit? Cum corpus suum edendum [et sanguinem bibendum (discipulis) congregatis praebuit. Cuivis enim hoc perspicuum est, ab homine comedi ovem non posse, nisi antequam comedatur, mactatio praecedat. Qui ergo corpus discipulis suis tradit] in cibum, aperte declarat figura agni sacrificium jam esse perfectum (al. : agni forma declarat sacrificium jam esse perfectum) ». — Quae inter priores cancellos posita sunt, desunt in textu graeco, quem refert MIGNE, c. 612; inveniuntur autem in nota ad c. 1207, ubi simul prostat altera lectio finalis; uti ibidem dicitur, textus ita completus apud quaedam mss. reperitur; cf. etiam ROUËT DE JOURNEL, *Enchiridion patr.*, n. 1063.

victimae, sicuti ad mactationem ordinariam animalis, consequi ut victima manducari possit, quin tamen ipsa immolatio formaliter in praeparando hoc cibo reponi queat.

Quae de sacrificio novae legis apud s. Epiphanium (1) legere fas est, quaestionem de essentia sublimis nostrae oblationis elucidare non nata sunt; gressum itaque facimus ad s. Joannem Chrysostomum, qui optimo jure, uti mox patebit, ss. Eucharistiae doctor proclamatus fuit.

Art. 4. — S. Joannes Chrysostomus.

Plane supervacaneum ducimus omnes ad unum textus adducere, in quibus s. Jo. Chrysostomus de hac oblatione agit, cujus typus fuit sacrificium Melchisedech (2), et quae « eadem est, quam Christus dedit discipulis, et quam nunc sacerdotes faciunt » (3). — « Non enim homo est, qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus qui pro nobis crucifixus est,... ita et vox haec semel ab illo prolata, in Ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit.... Revereare hujus oblationis argumentum, occisus jacet Christus » (4).

Hanc eamdem doctrinam quam saepissime et omni occasione expositam apud s. episcopum reperimus : in altari, seu in « mensa divina ac tremenda », uti altare plerumque vocat, Christus immolatus, mactatus et occisus jacet (5); quinimmo semper « immo-

(1) S. Epiphanius (+ 403), *Adv. Haer.*, II, 1, haer. 55, nn. 4-6; II, 2, haer. 66, n. 57 et haer. 69, n. 39 (PG., XLI, 979; XLII, 115 et 261 s.).

(2) S. Jo. Chrysostomus (+ 407), *In Gen. hom.* XXXV, 4 et XXXVI, 3 (PG., LIII, 327 et 336 s.); *In Hebr. hom.* XIV, 1 (PG., LXIII, 111) etc. Ceteros locos, in quibus s. Chrys. de sacerdotio Melch. agit, videsis, apud Naegle, *Die Eucharistielehre des hl. Jo. Chrys.* (*Strassburger Theol. Studien*, III, 4-5), p. 158 s., Freiburg in B., 1900. — *Ibidem*, p. 163 s., p. 168 s., p. 172 s. et p. 178 s. textus indicatos reperire licet, in quibus s. doctor oblationem novae legis a dPascha, ad sacrificium Moysis (*Ex.*, XXIV, 4-8) ad sacrificium Abrahae (*Gen.*, XXII), ad cetera sacrificia VT., praesertim vero ad vaticinium Malachiae refert.

(3) *In II Tim. hom.* II, 4 (PG., XLII, 612); cf. *De sacerdotio*, III, 4-5 (PG., XLVIII, 642 s.); *In Matth. hom.* L, 3 (alias LI) (PG., LVIII, 507) et *hom.* LXXXII, 5 (alias LXXXIII) (PG., LVIII, 743).

(4) *De proditione Judae hom.* I, 6 (PG., XLIX, 380); *In Matth. hom.*, L, 3 (al. LI) (PG., LVIII, 507); *In Matth. hom.* LXXXII, 5 (al. LXXXIII) (PG., LVIII, 744); *In Jo. hom.* LXXXVII, 4 (al. LXXXVI) (PG., LIX, 472); *In I Cor. hom.* XXVII, 4 (PG., LXI, 229); *In II Tim. hom.* II, 4 (PG., LXII, 612).

(5) Cf. *De sacerd.*, III, 4 (PG., XLVIII, 642) : « Cum videris Dominum

latur (θύεται) » (1), « dum mors illa perficitur (τοῦ θανάτου ἐπιτελειμένου ἐκείνου), horrendum sacrificium, ineffabilia mysteria » (2). « Itaque si sanguinem cupis », ita Dominum loquentem introducit, « ne idolorum aram brutorum caede, sed altare meum sanguine meo cruenta » (3), nam « in veteri quidem lege, quia imperfectiores erant, quem idolis offerebant sanguinem, eum ipse (Deus) excipere sustinuit, ut ab illis abduceret ; quod ipsum rursus erat amoris ineffabilis : hic autem in rem horribiliorem et magnificentiorem transtulit sacerdotalem operationem, ipso mutato sacrificio, et pro brutorum mactatione seipsum jussit offerri » (4).

Sacrificia vetera infirma erant, quippe quae quotidie offerenda ; Christus autem semel sese obtulit et antiqua cuncta sustulit (5). Haec est reipsa expressa doctrina ep. ad Hebraeos, sed inde statim exoritur difficultas, quam s. Chrysostomus dilucide proponit : « Quid vero ? Annon nos quotidie offerimus ? Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam : et ipsa est una, non multae. Quomodo una est, non multae ? Quoniam semel fuit oblata, sicut illa fuit in sancta sanctorum. Hoc est figura illius, et ipsa istius : eumdem enim semper offerimus, non nunc aliam, cras aliam ovem, sed semper eamdem. Quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem : alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multine sunt Christi ? Nequaquam, sed unus ubique Christus, qui et hic est plenus, et illic plenus, unum corpus. Ut ergo multis in locis oblatus unum est corpus, et non multa corpora : ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est qui obtulit hostiam, quae nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quae tunc fuit oblata, quae non potest consumi. Hoc fit in recordationem ejus quod tunc factum est : Hoc enim facite, inquit, in meam com-

immolatum et jacentem, et sacerdotem sacrificio imcumbentem ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas te adhuc cum hominibus et in terra esse ? »; cf. etiam *Ad populum antioch. hom.* XV, 5 (PG., XLIX, 160) ; *De prod. Judae hom.* II, 6 (PG., XLIX, 390) ; *In Hebr. hom.* XIV, 1 (PG., LXIII, 111) et *In Rom. hom.* VIII, 8 (PG., LX, 465) : « Revereamini... hanc mensam, cujus participes sumus omnes, Christum pro nobis occisum, sacrificium huic mensae impositum ».

(1) *De prod. Judae hom.* II, 4 (PG., XLIX, 388) : « hic lubens Christus immolatur » ; cf. etiam *In Ephes. hom.* III, 5 (PG., LXII, 29).

(2) *In Act. hom.* XXI, 4 (PG., LX, 170).

(3) *In I Cor. hom.* XXIV, 1 (PG., LXI, 200).

(4) *Ibidem*, 2 (PG., LXI, 200) ; cf. *De sacerd.*, III, 4 (PG., XLVIII, 642) etc.

(5) *In Hebr. hom.* XIII, 3 (PG., LXIII, 107) ; cf. etiam *In Hebr. hom.* XV, 1 (PG., LXIII, 118) ; *hom.* XVII, 3 (PG., LXIII, 131) ; *hom.* XVIII, 1 (PG., LXIII, 135 s.) et *hom.* XX, 1 (PG., LXIII, 143) etc.

memorationem. Non aliam hostiam, sicut pontifex (veteris scil. Testamenti), sed eamdem semper facimus, vel potius sacrificii facimus commemorationem » (1).

Facimus igitur ἀνάμνησιν τοῦ Χριστοῦ et recordationem passionis ipsius, qui pro nobis mortuus est (2); « si enim Jesus non mortuus esset, cujus symbola essent illa quae offeruntur? (τίνος σύμβολα τὰ τελούμενα; » (3) — « Annuntiatur mysterium horrendum, quod pro mundo seipsum Deus dederit » (4), et tunc quidem cum « mors illa perficitur » in mysterio : oblatio etenim una est, μία καὶ ἡ αὐτή, « nam quae hodie fit oblatio, quaeque hesterno die celebrata est, et quae singulis diebus, similis est et eadem cum ea, quae die illa sabbati facta est, et nihil fuit illa venerabilior ista, neque vilior haec quam illa, sed una eademque pariter tremenda et salutaris » (5).

* * *

Indubie proin constat ipsum Christum, juxta Chrysostomum, corpus scilicet et sanguinem ipsius in Eucharistia offerri, et quidem ab ipso Christo, cujus vice funguntur sacerdotes; hoc sacrificium in honorem divinum ordinatur, et dum gratiae Deo rependuntur et nova postulantur beneficia, simul « propositum est orbis terrae commune piaculum » (6). Quam intime praeterea s. doctor celebrationem Eucharistiae ad cruentam oblationem crucis connectat, textum perlegenti non perspicuum esse non potest.

Haec oblatio peragitur in altari seu in sacra mensa, quam et coelestem hinc inde vocat s. Jo. Chrysostomus, quin tamen altare proprie dictum in coelis agnoscat, uti Thalhofer (7) indebite, et ex praejudicata opinione, adstruere voluit.

(1) *In Hebr. hom.* XVII, 3 (PG., LXIII, 131).
(2) *In I Cor. hom.* XXVII, 4 (PG., LXI, 229).
(3) *In Matth. hom.* LXXXII, 1 (al. LXXXIII (PG., LVIII, 739 s.).
(4) *In Act. hom.* XXI, 4 (PG., LX, 170).
(5) *Adv. Judaeos,* III, 4 (PG., XLVIII, 867); cf. etiam *In Hebr. hom.* XX, 1 (PG., LXIII, 143); *In Matth. hom.* L, 3 (al. LI) (PG., LVIII, 508).
(6) *In I Cor. hom.* XLI, 5 (PG., LXI, 361); ex homiliis s. Chrysostomi diversos fines et varias significationes sacrificii Euch. optime eruere licet; cf. NAEGLE, *o. c.*, p. 214 s. Ex iisdem homiliis alioquin liturgiam veterem byzant. construere fas est, uti scite advertit DUCHESNE, *o. c.*, p. 56, et hos textus collectos videre est apud BRIGHTMAN, *o. c.*, I, p. 470 s. — Liturgia, ad quam provocant homiliae s. Jo. Chrysostomi, ad typum syrum pertinet, quem etiam repraesentant Catech. s. Cyr. Hier. et Const. Apost., uti diximus; quoad liturgiam modernam s. Chrysostomi, immerito, uti videtur, nomine Chrysostomi decoratur.
(7) THALHOFER, *Handbuch der Kath. Liturgik, l. c.*,; cf. et DARWELL STONE, *o. c.*, I, p. 131 s.; hanc sententiam ex professo confutandam suscipit STENTRUP, *o. c.*, II, p. 311 s.; vide etiam MORTIMER, *o. c.*, p. 246 s.

Non juvat etiam rationes refutare quibuscum cl. Wieland praeclaram hanc doctrinam per «symbolismum» explicare conatus est (1). Testimonia, quae adducit, rem nullatenus in ejus sensum dirimunt (2), et item dicimus de argumentis quibus cl. Renz theoriam suam cum verbis s. doctoris munire molitus est (3). Uti saepius, ita rursus nunc suam opinionem legit, potius quam verba s. Jo. Chrysostomi, et revera ubi hic scribit : « Hic autem (Christus) in rem horribiliorem et magnificentiorem transtulit sacerdotalem operationem, ipso mutato sacrificio, et pro brutorum mactatione seipsum jussit offerri (τὴν θυσίαν αὐτὴν ἀμείψας, καὶ ἀντὶ τῆς τῶν ἀλόγων σφαγῆς ἑαυτὸν προσφέρειν κελεύσας » (4) ; verba « ἑαυτὸν προσφέρειν » vertit Renz « seipsum afferre », et deinde concludit : Immolatio ad sacrificium erat necessaria, donec ipse Dominus tanquam cibus proponi posset ; hoc autem factum est, quando Christus in cruce mactatus et novum Testamentum institutum est. Ab hoc momento jam nulla usurpatur immolatio, sed simplex « allatio » Jesu, quae tunc obtinetur quum ipse Jesus, ministerio sacerdotum, panem et vinum convertit (5). — Contra talem interpretationem adnotare sufficiat cl. criticum arbitrarie relinquere sensum technicum vocis προσφέρειν, quem sensum contextus omnino exigit. Non infitiamur certe s. Joannem Chrysostomum, ad exemplum s. Pauli, cujus interpretatur epistolam, in hoc loco ad convivium magis attendere, quum haec fuerit praecipue quaestio agitata, sed nullibi sacrificium explanat per epulas; quinimmo, principium solutionis, juxta argumentum in epistola paulina propositum, ex sola immolatione desumit : « Ideo te abduco : nam immolantium scopus et accipientium persona, apposita reddunt impura » (6). Statim alioquin expressis verbis addit : « Neque enim haec tanquam idolis immolata comedis, sed tanquam munda » (7), itaque egregie commendat interpretationem, quam in primo capite hujus partis praestitimus.

*
* *

Prima vice igitur nitide expositam doctrinam de ss. Missae sacrificio, licet per diversos locos sparsam, apud s. Jo. Chrysosto-

(1) Wieland, *Altar*, p. 28.
(2) *In sanctum Pascha*, IV (PG., LII, 769 s.); *In Matth. hom.* XVII, 7 (PG., LVII, 264).
(3) Renz, *Geschichte*, I, p. 402.
(4) *In I Cor. hom.* XXIV, 2 (PG., LXI, 200).
(5) Renz, *Geschichte*, I, p. 402 s.
(6) *In I Cor. hom.* XXIV, 3 (PG., LXI, 201).
(7) *In I Cor. hom.* XXV, 1 (PG., LXI, 207); cf. *In I Cor. hom.* XXVII, 4

mum legimus. Audimus Christum *reipsa in hoc sacrificio incruento immolari*, arcana et non aspectabili ratione, uti dixit s. Gregorius nyssenus, quod s. Jo. Chrysostomus, ulterius non explicat. Ipse enim praesertim haeret in relatione sacrificii incruenti ad sacrificium crucis : unum est sacrificium sub nova lege ; attamen verum est sacrificium in Eucharistiae celebratione oblatum; eumdem enim (Christum) semper offerimus, « et hoc fit in recordationem ejus quod tunc factum est...Non aliam hostiam sicut pontifex,sed eamdem semper facimus (*ἀεὶ ποιοῦμεν*) vel potius sacrificii facimus commemorationem ».

Art. 5. — Patres ecclesiae graecae ad usque finem aevi patristici.

Post hanc eximiam doctrinam s. Joannis Chrysostomi, jam brevi negotio indicamus alia obiter plerumque dicta, quae de eodem dogmate apud Patres et scriptores ecclesiae graecae adhuc reperimus. Ita v. g. scribit s. Cyrillus alexandrinus :

« Quotidie mystice sacrificatur (*μυστικῶς... ἱερουργεῖται*), is qui de coelo descendit panis » (1), « nam manifestato jam in orbe terrarum sancto illo veroque tabernaculo, id est Ecclesia, Christus in ea multis variisque modis excellens Deo ac Patri a nobis propemodum ac pro nobis ut sacra victima offertur (*παρ' ἡμῶν καὶ ὑπὲρ ἡμῶν ὡς ἱερὸν προσάγεται θῦμα τῷ θεῷ καὶ πατρί*),... neque enim unquam deerunt adoratores, neque erit oblationis inopia, sed Christus in sanctis tabernaculis mystice sacrificatus a nobis et pro nobis offeretur (*προσκομισθήσεται δὲ πρὸς ἡμῶν καὶ ὑπὲρ ἡμῶν ὁ Χριστὸς, μυστικῶς ἱερουργούμενος ἐν ταῖς ἁγίαις σκηναῖς*) » (2).

« Incruenta hostia » offertur (3), et « mactatur secundum intelligentiam agnus a sacris sacerdotibus » (4), dum ipsi « sanctum ac vivificum incruentumque in ecclesiis sacrificium » peragunt (5), quo passioni atque morti Christi communicare licet ; « communicatio (etenim) sanctae ipsius carnis, atque item poculum ex salutari ipsius sanguine, confessionem habet mortis Christi,

(PG., LXI, 230) : « Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Quare? Quia effudit illum, et ea res mactationem exhibuit, non jam sacrificium ».

(1) S. Cyrillus († 444), *Comment. in Lucam, V, 8* (PG., LXXII, 489 s.).

(2) *De adoratione in spiritu et veritate,* X (PG., LXVIII, 707 s.).

(3) *Ibidem,* XIII (PG., LXVIII, 847 s.).

(4) *Comment. in Sophon. Prophet.,* XXXIX (PG., LXXI, 1007 s.).

(5) *Explic. duodecim capitum,* anath., XI, decl. 11 (PG., LXXVI, 311 s.); cf. J. Mahé, *Les anathématismes de s. Cyrille d'Alexandrie et les évêques orientaux du patriarchat d'Antioche,* apud period. RHE., VII, p. 505-542, 1906.

quae propter nos patefacta est (ὁμολογίαν ἔχει τοῦ πάθους, καὶ τοῦ δι' ἡμᾶς οἰκονομικῶς παραδειχθέντος θανάτου). Ita enim ipse alibi ait, suis amicis leges de hoc mysterio praesrcibens : Quoties enim, ait, manducaveritis panem hunc et poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis. In hoc igitur praesenti saeculo per participationem eorum quae modo enumerata sunt, merito annuntiabimus mortem ipsius » (1).

* * *

Locutiones : « Christus mactatur incruente » et « sacrificatur mystice » jam communiter igitur adhibentur apud Patres, ut sacrificium Eucharisticum, actu quotidie oblatum, describant, et ita rursus in Commentario in Leviticum, latine tantum servato, qui Hesychio, presbytero hierosolymitano, adscribitur, et quem praesertim veteres theologi in hac materia invocant, cum manifesta reminiscentia doctrinae s. Gregorii nysseni et s. Jo. Chrysostomi, legimus : In Eucharistia Domino Patri (Christus) carnem suam offert (2), sicuti quondam « (immolationem crucis) praeveniens semetipsum in coena apostolorum immolavit » (3), nam « nisi Christus, rogatus ore sacerdotum, ipse venerit et coenam sanctificaverit, ea quae aguntur nullatenus sacrificium Dominicum fiunt » (4). « Sanctificationem mystici sacrificii... ei, qui verus est sacerdos, videlicet Christo oportet dari, id est, ipsi de eis miraculum cedere et imputare : quia per ejus virtutem et prolatum ab eo verbum, quae videntur, tam sanctificata sunt, quam cunctum carnis excedunt sensum » (5).

* * *

Ad relationem sacrificii hujus incruenti cum sacrificio cruento minus attendit Hesychius, licet eamdem non ignoraverit (6) ; Theodoretus cyrensis e contra, in manifesta rursus connexione cum doctrina s. Chrysostomi, eamdem egregie inculcat :

« Si ergo et sacerdotium, quod est ex lege, finem accepit, et sacerdos, qui est secundum ordinem Melchisedech, obtulit sacri-

(1) *Glaphyr. in Ex.*, II, 2 (PG., LXIX, 427 s.).

(2) Hesychius (+ p. a. 451), *Comm. in Lev.*, I, 4 (PG., XCIII, 821); cf. etiam *Ibid.*, II, 6 (PG., XCIII, 852).

(3) *Ibidem*, I, 4 (PG., XCIII, 821).

(4) *Ibidem*, II, 8 (PG., XCIII, 886); cf. *Ibid.*, V, 16 (PG., XCIII, 999).

(5) *Ibidem*, VI, 22 (PG., XCIII, 1072); cf. *Ibid.*, V, 17 (PG., XCIII, 1005) et VI, 21 (PG., XCIII, 1056) ; in hoc ultimo loco exponitur quomodo Christus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

(6) Cf. *Ibidem*, VI, 23 (PG., XCIII, 1085).

ficium, et effecit ut alia sacrificia non essent necessaria, cur novi Testamenti sacerdotes mysticam liturgiam peragunt? Sed clarum est iis qui sunt in rebus divinis eruditi, nos non aliud sacrificium offerre, sed illius unius et salutaris memoriam peragere (*τῆς μιᾶς ἐκείνης καὶ σωτηρίου τὴν μνήμην ἐπιτελοῦμεν*). Hoc enim nobis praecepit ipse Dominus : Hoc facite in meam memoriam, ut per contemplationem typum susceptarum pro nobis perpessionum recordemur » (1).

In hac oblatione « agnum immaculatum sacrificamus (*ἡμᾶς τοὺς τὸν ἄμωμον ἀμνὸν θύοντας*) » (2) et « mysticas hostias offerimus (*τὰς μυστικὰς θυσίας προσφέρομεν*) (3), « victimarum (enimvero) ratione carentium caedes finem cepit, solus autem Agnus immaculatus sacrificatur (*ἱερεύεται*) » (4). Multo praesentantius igitur prae altari antiqui foederis est altare christianum : « illud (enim) hostias rationis expertes recepit, hoc autem rationalem et divinam » (5).

*
* *

Hanc immolationem Christi in ritu Eucharistico, mysticam vocat pariter Eutychius, si ipsius sit sermo de Paschate, ceterum incompletus, in quo docet : « Mystice ergo seipsum immolavit (Christus), cum suis manibus, postquam coenaverat, panem accipiens, gratias agens, ostendit ac fregit, antitypo semetipsum immiscens » (6) ; ita et Anastasius Sinaita : « Agnus Dei sacrificatur (*τοῦ ἀμνοῦ τοῦ θεοῦ σφαγιαζομένου*) », « cum sacerdos pro te incruentum sacrificium Domino offert » (7) ; eamdem doctrinam tandem apud s. Joannem

(1) Theod. cyr. (+ c. a. 458), *Interpr. epist. ad Hebr., VIII, 4-5* (PG., LXXXII, 735 s.).

(2) *Quaest. in Ex. XII*, interrog., 24 (PG., LXXX, 251 s.).

(3) *Epist.* LXXII (PG., LXXXIII, 1241 s.).

(4) *Interpret. Mal., I, 11* (PG., LXXXI, 1967 s.); in *Interpret. Ps. LXII, 3* (PG., LXXX, 1337 s.) ita scribit : « Sic in sancto apparui tibi, hoc est in templo, ubi sacrificaris sine sacrificio (cruento nempe) (*ἐν ᾧ θύῃ ἀθύτως*), distribueris sine divisione, consumendum te praebes, etsi maneas inconsumptus ». — Ita juxta unum cd., uti apud Migne, ad *h. l.* adnotatur.

(5) *Interpret. epist. ad Hebr., XIII, 10* (PG., LXXXII, 781 s.); relationem hujus sacrificii ad crucem non ignorat Theodoretus, uti constat ex *Impatibilis Dialogo*, III (PG., LXXXIII, 271 s.) : « Divinitatis non meminit passionis typum ostendens ? (*τοῦ πάθους τὸν τύπον ἐπιδεικνύς ;*) ».

(6) Eutychius (patr. cp. ab a. 552 ad a 582), *Sermo de Pasch.*, II et IV (PG., LXXXVI, 2393 s. et 2397 s.); notanda haec assertio, *Ibid.*, III (PG., LXXXVI, 2395 s.) : « Fractio venerandi panis necem significat ».

(7) Anast. sin. (+ p. a. 700), *Oratio de s. Synaxi* (PG., LXXXIX, 837 s. et 839 s.).

Damascenum reperire licet : « In coena mystica (ipse Christus) se uti vitulum saginatum mactavit, veraeque vitis uvam velut in torculari expressit » (1) ; « hoc purum illud et incruentum sacrificium est, quod ab ortu solis usque ad occasum sibi oblatum iri Dominus per prophetam dixit » (2), et quod quotidie instauratur, « dum Ecclesia incruentum Deo sacrificium offert » (3).

* * *

Absolvimus itaque inquisitionem de doctrina Patrum ac scriptorum ecclesiae graecae, atque semper eamdem fidem obviavimus : in Eucharistia scilicet offertur sacrificium verum, quod plerumque vocant *incruentum*, *mysticum* seu *etiam rationale ;* hoc sacrificium *intime et intrinsece ad cruentam crucis oblationem connectitur.* — In quonam sit haec immolatio incruenta jam explicare conantur : vere mactatur Agnus Dei, sed *arcana et non aspectabili ratione*, etenim *ovis comedi nequit nisi immolatio praecedat* ; attamen non offendit hoc sacrificium oblationi cruentae : non sunt enim duo sacrificia, sed unum atque idem sacrificium, quoniam *unus est pontifex*, qui quondam cruento modo seipsum obtulit, nunc vero quotidie *eamdem victimam*, incruenta ratione, ac *ministerio sacerdotum*, *in honorem divinum et in commemorationem illius olim peracti sacrificii offert ;* « eamdem (igitur hostiam) semper facimus, vel potius sacrificii facimus commemorationem ».

Sectio II.

Patres ecclesiae latinae.

In hac altera sectione, ratione parallela ad inquisitionem modo pro ecclesia graeca susceptam, pervolvemus documenta Patrum et scriptorum ecclesiae latinae, non eo scopo, quod saepius monuimus, ut verum sacrificium Eucharisticum demonstremus ex Traditione, sed ut ediscamus, quemadmodem fidei nostrae testes in ecclesia occidentali hoc sacrificium Eucharisticum conceperint. Ideo varias expressiones adnotabimus, quibus fidem suam in novum sacrificium produnt, ut ex iis formulis, explicatione dogmatis paulatim proficiente, veram assequamur traditionalem opinionem, quacum infra quaestionem de essentia sacrificii Missae solvere poterimus.

(1) S. Joannes damascenus (+ 754), *De Dormitione B. M. V. hom.* II, 4 (PG., XCVI, 729 s.).
(2) *De Fide orthodoxa*, IV, 13 (PG., XCIV, 1149 s.).
(3) *De Imaginibus*, II, 17 (PG., XCIV, 1303 s.).

Art. 1. — Testimonia Patrum et scriptorum saec. IV et documenta liturgica primitiva.

Apud s. Hilarium pictaviensem (1), non nisi quasdam indicationes deprehendimus, quibus s. praesul per transennam ad sacrificium Eucharisticum alludit ; magis ex professo de celebratione Eucharistiae haec scribit s. Ambrosius : « Utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus, imo praebeat se videndum », uti quondam sese praebuit Zachariae, cujus s. Lucas in initio sui evangelii meminit. « Non enim dubites », ita pergit s. doctor, « assistere angelum, quando Christus assistit, quando Christus immolatur » (2). — « Ante (enim) agnus offerebatur, offerebatur et vitulus, nunc Christus offertur : sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, et offert se ipse quasi sacerdos ut peccata nostra dimittat, hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit » (3).

« Hunc panem dedit apostolis, ut dividerent populo credentium; hodieque dat nobis eum, quem ipse quotidie sacerdos consecrat verbis » (4), « nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur ; .... sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt in id mutare quod non erant ? Non enim minus est novas rebus dare quam mutare naturas... Et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est : quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine ? Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est : vere ergo carnis illius sacramentum est » (5).

« Vidimus (autem) principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum : sequimur, ut possumus, sacerdotes; ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio, quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris,

(1) S. Hilarius (+ 366) ; cf. *Lib. contra Constantium,* XI (PL., X, 589).

(2) S. Ambrosius (+ 397), *Expos. in Luc., I, 28* (PL., XV, 1625); paulo infra (PL., XV, 1797) loquitur de sacra oblatione et adhuc de celebranda oblatione (*In Ps. CXVIII expos.*, VIII, 48, in PL., XV, 1384); cf. etiam *De Virg.*, I, xi, 65 (Pl., XVI, 218) ; *Exhort. virg.*, XIV, 94 (PL., XVI, 380) et *Epist.*, I, xxii, 13 (PL., XVI, 1066), ubi de sacrificio et altari christiano verbulum ponit.

(3) *De offic.*, I, xlviii, 238 (PL., XVI, 101) ; ex hoc loco, ad sacrificium coeleste indebite omnino concludit Thalhofer, *o.* et *l. c.* ; cf. Stentrup, *o. c.*, II, p. 315 s.

(4) *De Bened. Patriarch.*, IX, 38 (PL., XIV, 719).

(5) *De Mysteriis*, IX 52 s. (PL., XVI, 424) ; ita pariter legimus apud Serap., *Anaphora*, III, 12 : « τὸ ὁμοίωμα τοῦ σώματος » ; vide supra, p. 333.

quando Christi corpus offertur, imo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium quod offertur » (1).

Sicuti Patres ecclesiae graecae elementa, per orationem sanctificata, vocaverunt « τὸ ὁμοίωμα τοῦ θανάτου » (2), ita s. Ambrosius, haec ipsa appellat « mortis dominicae sacramenta », quae quotidie sumentes « mortem Domini annuntiamus » (3) ; et revera passionis « quotidie vescimur sacramento » (4); passio (enim) Domini Jesu quotidie » delicta nostra condonat, et munus remissionis operatur » (5).

*
* *

Ad usque Erasmum, sub nomine s. Ambrosii venit celeber Commentarius in epistolas paulinas, cujus auctor postea Ambrosiaster appellatus fuit (6). Legimus autem ibidem : « Quia enim morte Domini liberati sumus, hujus rei memores, in edendo et potando carnem et sanguinem, quae pro nobis oblata sunt, significamus novum Testamentum in his consecuti, quod est nova lex, quae obedientem sibi tradit coelestibus regnis. Nam et Moyses, accepto sanguine vituli in patera, aspersit filios Israel dicens : Hoc est Testamentum, quod disposuit Deus ad vos (7). Hoc figura fuit Testamenti, quod Dominus novum appellavit per prophetas, ut illud vetus sit, quod Moyses tradidit. Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficii divini sanguis testis est. In cujus typum nos calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis et animae nostrae percipimus, quia sanguis Domini sanguinem nostrum redemit, id est, totum hominem salvum fecit » (8).

Scopus commentatoris in hoc loco non est ut sacrificium Eucharisticum exponat, sed multo magis, quod explicite affirmat,

(1) *In Ps. XXXVIII enarr.*, XXV (PL., XIV, 1102).

(2) Ita rursus Serap., *Anaphora*, III, 13.

(3) *De fide*, IV, x, 124 (PL., XVI, 667); opus vero quod inscribitur : *De fide orthodoxa* (PL., XVII, 579-598) Ambrosio abnuendum censet Bardenhewer, *Patr.*, p. 381; *Geschichte der altkirchlichen Literatur*, III, p. 398 s., Freiburg in B., 1912.

(4) *In Ps. XLIII enarr.*, XXXVI (PL., XIV, 1161).

(5) *Hexam.*, V, xxv, 90 (PL., XIV, 256).

(6) De auctore hujus commentarii disputatur ; cf. quae recentissime de hac quaestione disseruit G. Morin, *Qui est l'Ambrosiaster?* apud period. *Revue Bénéd.*, XXXI, p. 1-34, 1914. — Proponit Morin tanquam certum auctorem hujus documenti Evagrium Antiochenum († 393); litteraturam hujus intricatae controversiae vide apud Bardenhewer, *Geschichte*, III, p. 522.

(7) *Ex.*, XXIV, 8.

(8) *Comm. in I Cor.*, *XI, 26* (PL., XVII, 256).

ut refellat haereticos quibus « contrarium videtur vetus (Testamentum) novo, cum ipsa sibi invicem testimonio sint ». Obvium itaque est, quandoquidem textum s. Pauli interpretatur, quem superius explicavimus, ut saepius de sumptione corporis et sanguinis agat; attamen nullibi « mysterium Eucharistiae », quod et « memoriam redemptionis nostrae » (1) appellat, hoc convivio absolvi vel leviter etiam insinuat; ita etiam fideles potius respicit Ambrosiaster, quando docet : « devoto animo et cum timore accedendum ad communionem.., ut sciat mens reverentiam se debere ei, ad cujus corpus sumendum accedit » (2).

* * *

Sub nomine s. Ambrosii venit adhuc opus, quod De Sacramentis inscribitur, et quod ad finem saeculi IV vel ad initium saec. V referendum videtur (3). Nullum dubium subesse possit quin hoc documentum cum scriptis s. Ambrosii, et notatim cum Libro de mysteriis, intime connexum sit. Et revera ad consecrationem explicandam scribit (4) : « Tu forte dicis : Meus panis est usitatus ; sed panis iste panis est ante verba sacramentorum : ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.... Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi ? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, cujus sermonibus ? Domini Jesu. Nam et reliqua omnia quae dicuntur in superioribus, a sacerdote dicuntur ;... ubi (vero) venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis ser-

(1) *In I Cor., XI, 23 s.* (PL., XVII, 256).
(2) *In I Cor., XI, 28 s.* (PL., XVII, 257).
(3) Cf. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, p. 180 : « Ce livre dont l'auteur ni la date ne sont assignables avec précision, me paraît avoir été composé dans une de ces églises du nord de la péninsule italique où l'usage de Rome se combinait avec celui de Milan, à Ravenne peut-être.... On ne se trompera pas de beaucoup en le datant de l'année 400 ». Huic auctori adstipulatur Batiffol, *Euch.*, p. 346. — Th. Schermann, *Die pseudoambrosianische Schrift De Sacramentis. — Ihre Uberlieferung und Quellen,* apud period. *Röm. Quartalschrift,* XVII, p. 36-53 et p. 237-255, 1903, tanquam auctorem proponit Maximum taurinensem (obiit p. a. 465), dum Probst, *Liturgie des 4 Jahrh. und deren Reform*, p. 232-239, Münster in W., 1893 et Morin (*Revue Bénéd.*, XI, p. 339 s., 1894 et XII, p. 386, 1895) « probare conati sunt, sermones quos s. Ambrosius ad neophytos habuit, per tachygraphum exceptos nobis libris De Sacramentis traditos esse, postea autem Ambrosium ipsum eosdem sermones paucioribus complexum libro De Mysteriis posteritati tradidisse ». Ita Rauschen, *Floril.*, VII, p. 92 s., qui proponit a. 400-450; ipse non indicat auctorem, sed hunc tamen haud procul ab urbe Mediolani vixisse notat; Bardenhewer, *Geschichte,* III, p. 537 item hoc opus ad saec. V pertinere opinatur.
(4) *De Sacramentis,* IV, iv, 14 s. (PL., XVI, 458 s.).

monibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis est sermo Christi ? Nempe is quo facta sunt omnia.... Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quae erant et in aliud commutentur ?.... Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quia jam corpus est Christi.... Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit, et mutet, cum vult, instituta naturae... Sed forte dicis : Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem : sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit et pretium tamen operetur redemptionis » (1).

Nemo non videt quam prope haec doctrina, quae magis sacramentum spectat, vel ipsa expressione, ad explicationes accedit, quas modo apud s. Ambrosium legimus. Post haec vero in eodem documento reperimus fragmentum, in quo formam antiquiorem Canonis Missae juxta liturgiam romanam habemus (2) :

« Vis scire quia verbis coelestibus consecratur ? Accipe quae sunt verba. Dicit sacerdos : Fac nobis, inquit, hanc oblationem ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem : quod figura est corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi » (3).

(1) Notetur expressio : « similitudo pretiosi sanguinis » et haec altera : « similitudo mortis » ; mox infra, in textu quem adducimus, loquitur auctor de « figura corporis et sanguinis Christi ». Lege quae supra, p. 304. n. 2, de his locutionibus adnotavimus.

(2) In liturgia occidentali typum duplicem distinguit DUCHESNE, *o. c.*, p. 86 s. : romanum scilicet et gallicanum. Ad hunc ultimum typum liturgiam mediolanensem reducendam esse autumat. Formam magis antiquam ipsius liturgiae gallicanae, Mediolani, sub influxu rituum orientalium, enatam dicit, sed haec liturgia gallicana in formas diversissimas mox abiit, ita ut statim necessitas exstiterit ad unitatem redeundi. Hanc unitatem varii antistites ab usu romano plerumque demandarunt, et hac ratione liturgia romana paulatim fere ubique invaluit.

(3) Ita et in liturgia mozarabica, quae ad typum gallicanum pertinet : « Quorum oblationem benedictam, ratam, rationabilemque facere digneris, quae est imago et similitudo corporis et sanguinis Jesu Christi ». Cf. D. FÉROTIN, *Liber ordinum*, p. 322 et BATIFFOL, *Euch.*, p. 361, qui adhuc alias expressiones similes ex eadem liturgia affert, desumptas ex opere, quod concinnavit D. FÉROTIN, *Le Liber mozarabicus sacramentorum*, p. 197, p. 321, p. 342 et p. 576, Paris, 1912. — In textu autem recepto, uti notum, legitur juxta *Sacramentarium Gelasianum* (saec. VII) : « Quam oblationem tu, Deus, in omnibus quaesumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, accepta-

« Qui pridie quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit in coelum ad te, sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumque apostolis suis et discipulis suis tradidit, dicens : Accipite et edite ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur. Similiter etiam calicem postquam coenatum est, pridie quam pateretur, accepit, respexit in coelum ad te, sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, gratias agens, benedixit, apostolis suis et discipulis suis tradidit, dicens : Accipite et bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus.... Quotiescumque hoc feceritis, toties commemorationem mei facietis, donec iterum adveniam ».

« Ergo memores gloriosissimae ejus passionis, et ab inferis resurrectionis, et in coelum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam incruentam hostiam, hunc panem sanctum et calicem vitae aeternae : et petimus et precamur, ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech » (1).

Eadem fides igitur in liturgia primitiva et in doctrina Patrum deprehenditur, et ne ullum dubium oriri possit, haec adhuc ex eodem documento subjungimus :

« Ergo quotiescumque accipis, quid tibi dicit Apostolus ? Quotiescumque accipimus, mortem Domini annuntiamus. Si mortem Domini annuntiamus, annuntiamus remissionem peccatorum. Si quotiescumque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur » (2).

Sanguis Christi ergo in celebratione Eucharistica effunditur in remissionem peccatorum et « quotiescumque offertur sacrificium,

bilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi »; notentur per transennam haec verba ex eodem Sacramentario : « Remotis adumbrationibus carnalium victimarum, spiritualem tibi, Summe Pater, hostiam supplici servitute deferimus, quae miro ineffabilique mysterio et immolatur semper et eadem semper offertur ». Innumera hujus modi testimonia licet afferre, uti concinne ostendit STENTRUP, *o. c.*, II, p. 349 s.

(1) *De Sacramentis*, IV, v, 21 s. et vi, 26 s. (PL., XVI, 462 s. et 464). — Eadem fere narratio in ritu ambrosiano et in Missali gothico occurrit; eos textus videsis apud DUCHESNE, *o. c.*, p. 218 s. Ritus ambrosianus ac gothicus ad typum gallicanum pertinent.

(2) *De Sacramentis*, IV, vi, 28 (PL., XVI, 464).

mors Domini, ressurrectio Domini, elevatio Domini significatur » (1), juxta mandatum quod apostoli ab ipso Domino acceperunt.

* * *

Eamdem doctrinam, expressione valde simili, proponit Gaudentius brixianus : « In umbra illius legalis paschae non unus agnus occidebatur, sed plures ; singuli enim occidebantur per domos, nam sufficere unus non poterat universis, quoniam figura erat, non proprietas Dominicae Passionis... Ergo in hac veritate qua sumus, unus pro omnibus mortuus est ; et idem per singulas ecclesiarum domos, in mysterio panis ac vini, reficit immolatus, vivificat creditus consecrantes sanctificat consecratus. Haec Agni caro, hic sanguis est. Panis enim qui de coelo descendit, ait : Panis quem ego dabo, caro mea est pro saeculi vita. Recte etiam vini specie sanguis ejus exprimitur, quia cum ipse in evangelio dicit : Ego sum vitis vera, satis declarat sanguinem suum esse omne vinum quod in figura passionis ejus offertur » (2).

Varias autem praescriptiones, quae ad esum agni paschalis observandae erant, postquam explicavit, mox in applicatione ita pergit :

« Oportet nos ex praecepto Dei mortificare prius concupiscentias carnis, et sic accipere corpus Christi, qui pro nobis servientibus in saeculi Aegypto, est immolatus. Propter quod probet se homo, ut ait Apostolus, et sic de isto pane manducet, et de calice bibat. Quod autem dicit cum festinatione illud manducandum, praecipit, ne lento corde et ore languido, sacramentum dominici corporis sumamus et sanguinis, sed cum omni aviditate animi, quasi vere esurientes et sitientes justitiam... Nam quod supra generaliter exposuimus de edenda carne agni, specialiter in degustandis servandum est iisdem mysteriis Dominicae Passionis » (3); non enim absque fide accedendum, sed firmiter credendum « quia quod accipis, corpus est illius panis coelestis et sanguis est illius sacrae vitis. Nam cum panem consecratum et vinum discipulis suis porrigeret, sic ait : Hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus. Credamus, quaeso, cui credidimus. Nescit mendacium veritas ».

(1) *De Sacramentis*, V, IV, 25 (PL., XVI, 472).

(2) Gaudentius (+ in prima parte saec. V), *Sermo* II (PL., XX, 854 s.) ; cf. etiam *Serm.* XIX (PL., XX, 989) : « In figura corporis ejus ac sanguinis pro salubritate vitae communis (labores passionis Christi) offerimus ».

(3) *Sermo* II (PL., XX, 858 s.).

Fideles deinde monet episcopus ut iis adhortationibus obsequantur : « Voluit enim (Christus) beneficia sua permanere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo sanctificari per imaginem propriae passionis; et ideo discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiae suae constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitae aeternae mysteria exercerent, quae necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, usquequo iterum Christus de coelis adveniat, quo et ipsi sacerdotes, et omnes pariter fidelium populi, exemplar passionis Christi ante oculos habentes quotidie, et gerentes in manibus, ore etiam sumentes ac pectore, redemptionis nostrae indelebilem memoriam teneamus... Quod autem sacramenta corporis sui et sanguinis in specie panis et vini offerenda constituit, duplex ratio est. Primum ut immaculatus Dei Agnus hostiam mundam mundato populo traderet celebrandam sine ustione, sine sanguine,... et quae omnibus ad offerendum prompta esset ac facilis. Deinde quomodo panem de multis tritici granis in pollinem redactis per aquam confici, et per ignem necesse est consummari, rationabiliter in eo figura accipitur Christi, quem novimus ex multitudine totius humani generis unum esse corpus effectum, per ignem sancti Spiritus consummatum » (1).

Ex his verbis indubie constat Christum in Eucharistia offerri, sine ustione, sine sanguine ac ministerio sacerdotum. Advertantur expressiones, in quibus Gaudentius pronuntiat corpus et sanguinem Christi offerri *in specie panis et vini, in figura et in imagine sive in sacramento passionis,* quando mysteria passionis dominicae celebrantur.

Art. 2. — Traditio patristica saec. V.

S. Hieronymus pauca habet de sacrificio Eucharistico, sed non obscure tamen doctrinae totius traditionis adhaeret : « Postquam (enim), inquit, typicum Pascha fuerat impletum, agni carnes cum apostolis comederat (Christus), assumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum Paschae trangreditur sacramentum, ut quo modo in praefiguratione ejus Melchisedech, summi Dei sacerdos, panem et vinum offerens fecerat, ipse quoque in veritate sui corporis et vini repraesentaret » (2).

In hoc mysterio, « quod in typum suae passionis expressit

(1) *Sermo* II (PL., XX, 859 s.).

(2) S. Hieronymus (+ 420), *Comm. in Mt., XXVI, 26* (PL., XXVI, 202); cf. etiam *Epist.* LII, 10 (PL., XXII, 536).

(Christus) » (1), agnus immolatur et offertur (2) ; « vitulus (autem) saginatus, qui ad poenitentis immolatur salutem, ipse Salvator est, cujus quotidie carne pascimur, cruore potamur.... Hoc convivium quotidie celebratur, quotidie pater filium recipit, semper Christus credentibus immolatur » (3).

* * *

Cum integra traditione rursus consentit s. AUGUSTINUS, quando sacrificium novum, quod per oblationem Melchisedech fuit praefiguratum (4), et in vaticinio Malachiae praenuntiatum (5), singulare et verissimum sacrificium proclamat (6), in quo corpus atque sanguis Christi, in memoriam passionis, offeruntur (7).

Attamen « unum (est) sacrificium, cujus nunc memoriam celebramus » (8), et quidem « sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi » (9) ; « verus (enim) ille Mediator, in quantum formam servi accipiens, Mediator effectus est Dei et hominum, homo Christus Jesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus est Deus, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturae. Per hoc sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio. Cujus rei sacramentum quotidianum voluit esse Ecclesiae sacrificium : quae cum ipsius capitis corpus sit, seipsum per ipsum discit offerre... Huic summo veroque

(1) *Adv. Jovianum*, II, 17 (PL., XXIII, 325) ; cf. *Epist.* CXIV, 2 (PL., XXII, 934).

(2) Cf. *Contra Ruf.*, III, 33 (PL., XXIII, 503) ; *Comm. in Ez., XLIV, 12* (PL., XXV, 462) ; *Comm. in ep. ad Titum, I, 8 s.* (PL., XXVI, 603).

(3) *Epist.* XXI, 26 et 27 (PL., XXII, 388) ; cf. *Epist.* CXX, 2 (PL., XXII, 986) et *Dial. contra Pelag.*, III, 15 (PL., XXIII, 612).

(4) S. AUGUSTINUS (+ 430), *In Ps. XXXIII, enarr.*, I, 5 s. (PL., XXXVI, 303 s.) ; *Ibidem*, II, 2 (PL., XXXVI, 308) ; *De Civit. Dei*, XVI, 22 (PL., XLI, 500) ; *Ibidem*, XVII, 20 (PL., XLI, 556) ; *Contra adv. legis et proph.*, I, XX, 39 (PL., XLII, 627) ; *Adv. Judaeos*, IX, 13 (PL., XLII, 61).

(5) *Contra adv. legis et proph.*, I, XX, 39 (PL., XLII, 627) ; *De Civit. Dei*, XVIII, 35 (PL., XLI, 594) ; *Adv. Jud.*, IX, 13 (PL., XLII, 61).

(6) *De spir. et litt.*, XI, 18 (PL., XLIV, 211) ; cf. *De Civit. Dei*, XVI, 22 (PL., XLI, 500).

(7) *Ad Jan. epist.* LIV, VII, 9 (PL., XXXIII, 204) ; *In Ps. XXXIII enarr.*, I, 5 (PL., XXXVI, 303) ; *Contra Faustum*, XX, 18 (PL., XLII, 382 s.) ; *Contra litt. Petiliani*, II, XXXVII, 87 (PL., XLIII, 290).

(8) *Contra Faustum*, VI, 5 (PL., XLII, 231).

(9) *Ibidem*, XX, 18 (PL., XLII, 382 s.) : « Unde jam christiani, peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant, sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi ».

sacrificio cuncta sacrificia falsa cessarunt » (1). Et revera « hujus sacrificii caro et sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoriae celebratur « (2).

Sed jam penitius sacrificium Eucharisticum scrutatus scribit adhuc s. episcopus : « Nonne semel immolatus est Christus in seipso, et tamen in sacramento non solum per omnes Paschae solemnitates, sed omni die populis immolatur, nec utique mentitur qui interrogatus eum responderit immolari ? Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent » (3). In eodem contextu docet « secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi (esse) corpus Christi, sacramentum sanguinis Christi (esse) sanguinem Christi » itaque, quum aliunde certum sit ipsum plane profiteri praesentiam realem, et cum adhuc ejusdem s. praesulis verba noverimus : « Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum, est » (4), nullum dubium subesse possit, quin hanc *immolationem in sacramento* seu *in sacro signo*, veram et suo modo realem habeat (5).

* * *

Dilucide pariter scribit s. Leo magnus : « Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis et sanguinis tui implet oblatio : quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi ; et ita in te universa perficis mysteria, ut sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum » (6). In « coena mystica » enim « novum Pascha » celebratur et « sacramentum corporis et sanguinis » conficitur (7), quando

(1) *De Civit. Dei*, X, 20 (PL., XLI, 298).

(2) *Contra Faustum*, XX, 21 (PL., XLII, 385); in ed., quam curavit Migne, ultima verba excidere ; cf. etiam *De Trinit.*, III, iv, 10 (PL., XLII, 874) : « Corpus Christi dicimus... illud quod ex fructibus terrae acceptum et prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicae passionis ».

(3) *Ad Bonif. epist.* XCVIII, 9 (PL., XXXIII, 363 s.).

(4) *De Civit. Dei*, X, 5 (PL., XLI, 282).

(5) Sententiam sacrificii coelestis ex verbis s. Augustini corroborare voluit Thalhofer, *o.* et *l. c.*, notatim ex *Sermone* CCCLI, 7 (PL., XXXIX, 1543) et *In Ps. XXV*, *enarr.*, II, 10 (PL., XXXVI, 193) ; de his cf. Stentrup, *o. c.*, II, 317 s.; Mortimer, *o. c.*, p. 255 s. et Darwell Stone, *o. c.*, I, p. 120 s.

(6) S. Leo (+ 461), *Sermo* LIX, 7 (PL., LIV, 341).

(7) *Sermo* LVIII, 3 (PL., LIV, 333).

haec oblatio perficitur cujus typus et figura fuit sacrificium, quod quondam obtulit Melchisedech, « non judaicas hostias offerens Deo, sed illius sacramenti immolans sacrificium, quod Redemptor noster in suo corpore et sanguine consecravit » (1).

*
* *

Ita rursum s. Maximus taurinensis, in sermone ad natalem sanctorum, in quo cultum exponit, qui martyribus praestatur : « Quid reverentius, quid honorabilius dici potest, quam sub illa ara requiescere in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiae, in qua Dominus est sacerdos, sicut scriptum est : Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Recte ergo sub ara martyres collocantur, quia super aram Christus imponitur. Recte sub altare justorum animae requiescunt, quia super altare Domini corpus offertur. Nec immerito illic pro justis vindicta sanguinis postulatur, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. Convenienter igitur, et quasi pro quodam consortio ibi martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, sicut ipse ait : Quotiescumque haec feceritis, mortem meam annuntiabitis donec veniam » (2).

*
* *

In sermone qui incipit « Magnitudo », et qui adscriptus fuit Eusebio emesino, dum magis ad Faustum reiensem pertinere videtue (3), eamdem doctrinam traditionalem adhuc legimus :

« Ideo quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, et sideribus illaturus, necessarium erat ut nobis in hac die sacramentum corporis et sanguinis consecraret, ut coleretur jugiter per mysterium, quod simul offerebatur in pretium, ut quia quotidiana et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua etiam esset redemptionis oblatio.... Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui, verbi sui secreta potestate convertit » ; itaque « percipitur sacrificium veri corporis », quod secundum ordinem Melchisedech offertur (4).

(1) *Sermo* V, 3 (PL., LIV, 154).
(2) S. Maximus (+ p. a. 465), *Sermo* LXXVIII (PL., LVII, 689 s.).
(3) Faustus (episc. reiensis inter a. 452 et 487), *Sermo* V (inter op. s. Caesarii arel., in PL., LXVII, 1052 s.; legitur etiam inter epist. s. Hieronymi, *Epist.* XXXVIII, in PL., XXX, 280 s.).
(4) S. Caes. arelat., *Sermo* V (PL., LXVII, 1054).

Art. 3. — Doctrina traditionalis saec. VI et VII.

Pauca manent testimonia patristica in his saeculis VI et VII adnotanda. S. Fulgentius ruspensis imprimis fideles monet ut sublime hoc sacrificium revereantur, in quo « sanctus mactabitur agnus », uti canit s. Avitus viennensis (1). « Firmissime, tene et nullatenus dubites », ait Fulgentius, « ipsum unigenitum Deum Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium et hostiam Deo in odorem suavitatis: cui cum Patre et Spiritu sancto a patriarchis et prophetis et sacerdotibus, tempore veteris Testamenti, animalia sacrificabantur ; et cui nunc, id est tempore novi Testamenti, cum Patre et Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas, sacrificium panis et vini... Ecclesia per universum orbem offerre non cessat... In illis sacrificiis praenuntiabatur Filius Dei pro impiis occidendus, in hoc autem pro impiis annuntiatur occisus » (2). « Ideo igitur sacrificium offertur ut mors Domini annuntietur, et ejus fiat commemoratio, qui pro nobis posuit animam suam » (3).

*
* *

Tandem integram traditionis ecclesiae latinae doctrinam pulchre contrahit s. Gregorius magnus, qui medium quasi tenet locum venerandam inter seriem Patrum et theologorum medii aevi scholam. Ut impellat ad sanctam celebrationem ritus Eucharistici, quem pluries immolationem salutaris hostiae nuncupat (4), ita scribit :

« Debemus itaque... quotidianas carnis ejus et sanguinis hostias immolare. Haec namque singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium

(1) S. Avitus (+ 518), *Poem.*, V (PL., LIX, 360). — Ad traditionem latinam saec. V exeuntis aut etiam saec. VI pertinere videtur *Passio s. Andreae Apost.*, quam supra, p. 243, n. 1, indicavimus et in qua « immaculatum agnum cotidie in altare crucis sacrificari » dicitur.

(2) S. Fulgentius ruspensis (+ 533), *De fide*, LX (PL., LXV, 699) ; cf. etiam *Ad Monim.*, II, 6 et 12 (PL., LXV, 184 et 191) ; *Epist.* XII, xi, 25 (PL., LXV, 391) et *Epist.* XIV, v, 43 s. (PL., LXV, 431 s.).

(3) *Contra Fabian.*, frag. 28 (PL., LXV, 789) ; cf. *Epist.* XIV, v, 44 (PL., LXV, 432). — In hac materia saepe invocatur auctoritas Primasii, qui jam obiisse videtur a. 567 ; conscripsit *Comm. in Apocalypsim* (PL., LXVIII), sed *Comm. in epistolas paulinas*, in quo nitide de sacrificio Eucharistico disseritur (v. g. *Comm. in I Cor.*, *XI*, in PL., LXVIII, 533 s.), huic auctori non debet adscribi, licet tamen ad saec. VI referendum videatur, secundum Bardenhewer, *Patr.*, p. 545.

(4) S. Gregorius (+ 604), *Dial.*, IV, 55 s. (PL., LXXVII, 417 s.).

reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem coelos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena coelestibus jungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri ? Sed necesse est ut cum haec agimus, nosmetipsos Deo in cordis mactatione contritione mactemus, quia qui passionis dominicae mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus » (1). « Quoties (proin) ei hostiam suae passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus » (2).

S. Gregorius *non dicit*, uti quidam opinati sunt, *Christum immolari quando corpus ejus sumitur* et sanguis in ora fidelium funditur, sed multo magis, uti ex textu indubie patescit, *affirmat Christum immolari in mysterio* sacrae oblationis, et hanc immolationem *inde externe constare contendit*, *quod caro Domini in populi salutem partitur*. Cum tota traditione hoc sacrificium intime ad cruentam oblationem adnectit, neque tamen intimius explicat quomodo sacrificium nostrum passionem Christi imitetur ; hoc erit munus theologiae scholasticae, cujus testimonium in sectione sequenti adducemus.

* * *

In fine praecedentis sectionis paucis verbis doctrinam ecclesiae graecae contraximus ; cum autem haec testimonia Patrum se invicem compleant, et sese mutuo illustrent, dicta nunc in utraque sectione his propositionibus resumimus :

Primo, quod sacrificium Eucharisticum spectat, quatenus est *verum sacrificium :* Christus in hoc novo ritu *vere* immolatur, *non cruento modo seu in seipso*, sed *incruenta ratione* et *mystice*, seu *in sacramento*, id est, *in sacro signo*, uti s. Augustinus nobis explicat. Et revera, ait s. Gregorius nyssenus : « *victimae corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit.* Quare cum corpus edendum, et

(1) *Dial.*, IV, 58-59 (PL., LXXVII, 425 s.).
(2) *Hom. in Evang.*, II, xxxvii, 7 (PL., LXXVI, 1279).

sanguinem bibendum discipulis exhibuit, *jam arcana et non aspectabili ratione corpus erat immolatum* » ; et enim, ita s. Gregorius magnus : « licet (Christus) resurgens a mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Ejus *quippe ibi corpus sumitur, ejus sanguis... in ora fidelium funditur* ».

Secundo, hoc sacrificium licet verum, sacrificio crucis nullatenus derogat, quoniam hoc sacrificium, quod quotidie offertur, reapse unum est cum illo sacrificio in cruce quondam oblato ; una est hostia, unus pontifex, et « potius sacrificii facimus commemorationem » ait s. J. Chrysostomus, nam Christus denuo offertur sed « *quasi recipiens passionem* », dicit s. Ambrosius, itaque merito scribit s. Gregorius magnus « hoc sacrificium quod pro absolutione nostra *passionem unigeniti Filii semper imitatur* », quotidie *illam nobis mortem per mysterium reparat.*

SECTIO III.

Doctrina Scholae.

In hac tertia sectione praeprimis examinabimus considerationes, quas auctores scholastici aureae periodi saeculi XIII, ad sacrificium Eucharisticum intimius explanandum attulerunt, sed ne rumpatur catena testimoniorum, quam inde a primitiva traditione ad finem aetatis patristicae perduximus, paucis verbis conamina explicationis adnotare juvabit, quae jam apud antiquiores magistros Scholae reperimus.

Mens nostra rursum non est ut historiam conficiamus, ideoque praecipuas tantum sententias, easque summatim indicabimus, in quantum scilicet viam sternunt ad intelligendam doctrinam, quam infra vindicabimus, et cujus principia apud divum Thomam dilucide enuntiata fuerunt.

ART. 1. — TESTIMONIA SCHOLAE ANTE SAEC. XIII.

Antequam testimonia referamus, quae apud magistros antiquiores Scholae proprie dictae legimus, tanquam transitionem inter aevum patristicum et aevum theologiae medievalis, transcribemus quaedam excerpta ex s. Isidoro hispalensi et s. Beda venerabili, qui simul adhuc ad aetatem Patrum pertinent.

Jam ex textu s. Gregorii magni, in fine praecedentis sectionis adducto, satis apparet quam intime cohaereat sententia ipsius cum

doctrina s. Augustini; non minus evidens elucet influxus s. doctoris hipponensis in s. Isidorum hispalensem, qui definitionem sacrificii, per medium aevum saepius repetitam, ad litteram ex s. Augustino deprompsit : « Sacrificium (dicitur) quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis dominicae passionis » (1).

S. Augustinum et s. Gregorium sequitur pariter s. Beda venerabilis, quando scribit : « Lavat itaque nos (Christus) a peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cum ejusdem beatae passionis ad altare memoria replicatur, cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis ejus ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur : sicque corpus et sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur et occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem. Hujus recte figuram agnus in lege paschalis ostendit, qui semel populum de aegyptia servitute liberans, in memoriam ejusdem liberationis per omnes annos immolatione sua populum eumdem sanctificare solebat, donec veniret ipse cui talis hostia testimonium dabat, oblatusque Patri pro nobis in hostiam odoremque suavitatis, mysterium suae passionis oblato agno in creaturam panis vinique transferret, sacerdos factus in aeternum secundum ordinem Melchisedech » (2).

Pluries alibi de celebratione Missae verbum facit s. auctor (3); in his solemniis, ait, victimam salutarem offerimus, atque « corpus sacrosanctum et pretiosum Agni nostri sanguinem, quo a

(1) S. Isidorus hispalensis (+ 636), *Etym.*, VI, xix, 38 (PL., LXXXII, 251); paulo supra (*Ibidem*, 28 s.) distinctionem indicat s. Isidorus inter oblationem et sacrificium, quam Angelicus latius evolvet. Ita nempe ille scribit : « Duo autem sunt quae offeruntur : donum et sacrificium. Donum dicitur quod quidquid auro argentoque aut qualibet alia specie efficitur. Sacrificium autem est victima et quaecumque cremantur in ara seu ponuntur ». Donum etiam discriminat a munere (*Ibidem*, 27), nam « munus homini datur, donum Deo» et immolationem dicit (*Ibidem*, 31) ab antiquis ita appellatam ex « eo quod (animalia) in mole altaris posita » caedebantur. Ad sacrificium Eucharisticum adhuc alludit *De eccl. offic.*, I, xviii, 1 s. (PL., LXXXIII, 754 s.) et sacramentum per verba Christi conficiendum docet in *Epist.*, VII, 2 (PL., LXXXIII, 905). — *Expositio Missae* (PL., LXXXIII, 1146), quae cum scriptis s. praesulis plerumque editur, ad saec. IX referenda videtur.

(2) S. Beda venerabilis (+ 735), *Hom.*, I, 14 (PL., XCIV, 75 s.).

(3) *Hom.*, II, 1 (PL., XCIV, 139); *Hist. eccl.*, II, 5; IV, 14, 22, 28 (PL., XCV, 90, 194, 206 et 224); cf. etiam *Hexam.*, III (PL., XCI, 151) ubi de sacrificio agit, quod Melchisedech in typum Eucharistiae obtulit.

peccatis redempti sumus, denuo Deo in profectum nostrae salutis immolamus » (1).

*
* *

Non exponit s. Beda quemadmodum haec immolatio sit intelligenda, aut quomodo memoria passionis in ea replicetur ; hoc autem brevi ratione docemur his verbis Alcuini, qui textum Chrysostomi tacite adducit : « Nonne per singulos dies offerimus ? Offerimus quidem, sed ad recordationem faciendam mortis ejus. Et una est haec hostia, non multae. Quomodo una est, et non multae? Quia semel oblata est. Illa oblata est in sancta sanctorum ; hoc autem sacrificium exemplar illius est, idipsum semper offerimus : nec nunc quidem alium agnum cras, alium hodie, sed semper idipsum. Proinde unum est hoc sacrificium ; alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt ? Nequaquam : sed unus ubique est Christus, et hic plenus existens et illic plenus, unum corpus. Sicut enim qui ubique offert (Chrys. : offertur) unum corpus est, et non multa corpora, ita etiam et unum sacrificium... Hoc autem quod nos facimus, in commemoratione fit ejus, quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud sacrificium, sicut pontifex, sed ipsum semper offerimus : magis autem recordationem sacrificii operamur » (2).

In Confessione fidei Albini, quae, secundum plures criticos, fuit perperam adscripta Alcuino, licet tamen ejusdem epochae verisimilius videatur, testimonium rursus s. Gregorii magni cum aliis quibusdam verbis s. Ambrosii (3) legimus, et insuper in hac Confessione sedulo adnotatur oblationem sacrificii tribuendam esse Christo Domino, cujus vice funguntur sacerdotes ; victima dicitur ipse Christus, qui « mactatur, sed non occiditur » (4).

*
* *

Eamdem doctrinam reperire est apud Amalarium, qui litur-

(1) *Hom.*, II, 1 (PL., XCIV, 139).

(2) Alcuinus (+ 804), *Expos. in epist. ad Hebr.*, *X, 2 s.* (PL., C, 1077) ; cf. etiam *Ad Paulinum epist.* XLI (PL., C, 203) : « Ne, quaeso, obliviscaris in tuis sanctis orationibus nomen amici tui Albini, sed in aliquo memoriae gazophylacio reconde illud, et profer eo tempore opportuno quo panem et vinum in substantiam corporis et sanguinis Christi consecraveris ». Haec verba epistolam s. Gregorii nysseni ad Amphilochium respicere videntur ; cf. item *Ad Carolum Magnum epist.* CLXV (PL., C, 435) ubi textus s. Cypriani (*Epist.* LXIII) adducitur.

(3) S. Ambr., *Expos. in Lc.*, *I, 28* (PL., XV, 1625) : « Non dubites assistere angelum quando Christus assistit, quando Christus immolatur ».

(4) *Confessio fidei,* IV, 1 s. (PL., CI, 1085 s.).

giam potius quam dogma explicat, quando integram vitam Domini, ab incarnatione ad usque ascensionem, in ritu sacro repraesentatam et descriptam requirit (1). Attamen jam quidam auctores rem magis dogmatice tractant : ita WALAFRIDUS STRABUS Missam nuncupat mysterium passionis, in quo sacerdotes quotidie hostias immolant, secundum institutionem Christi (2), « qui in coena... post Paschae veteris solemnia, corporis et sanguinis sui sacramenta in panis et vini substantia eisdem discipulis tradidit, et ea in commemorationem sanctissimae suae passionis celebrare perdocuit » (3). Similiter RHABANUS MAURUS : « Ad mensam Domini..., ait, Agni immaculati et incontaminati caro mactatur,... et veneranda mysteria passionis et resurrectionis... a fidelibus celebrantur » (4).

« Sacrificium » autem dicitur, ait cum Hipponensi, « quasi sacrum factum, quod prece mystica consecratur in memoriam dominicae passionis, unde hoc eo jubente, in corpus Christi et sanguinem Domini quod dum sit ex fructibus terrae sanctificatur, et fit sacramentum operante invisibiliter Spiritu Dei : cujus panis et calicis sacramentum graeci Eucharistiam... dicunt, quod latine bona gratia interpretatur » (5).

FLORUS DIACONUS liturgiae denuo magis intentus, explicationes ab Amalario propositas gnave oppugnavit ; dicit autem pariter cum s. Augustino : « Hujus sacrificii caro et sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoriae celebratur » ; itaque « Ecclesia...

(1) AMALARIUS, *De Eccl. off.*, III, 1 s. (PL., CV, 1101 s.) ; *Eclog. de off. Missae*, III, 24 et 25 (PL., CV, 1139 s.) et *Ad Guntrad. epist.* VI (PL., CV, 1338); de quaestione utrum necne Amalarius trevirensis et Amalarius metensis sint una eademque persona, vide inter alios THALHOFER-EISENHOFER, *o. c.*, p. 112, n. 3, Freiburg in B., 1912. — FRANZ, *Die Messe im deutschen Mittelalter*, p. 388 s., Freiburg in B., 1902, de authentia Eclog. dubitat.

(2) WALAFRIDUS STRABUS seu STRABO (+ 849), *De Eccl. rerum exordiis et incrementis*, XXI (PL., CXIV, 943).

(3) *Ibidem*, XVI (PL., CXIV, 936 s.).

(4) RHABANUS MAURUS, abbas fuldensis et postea archiepisc. mogunt. (+ 856), *De cleric. institutione*, I, 31 (PL., CVII, 319) ; cf. ejusdem *De sacris ord.*, XIX (PL., CXII, 1187) : « In pane et vino passionis suae mysterium nos imitari voluit ».

(5) *De cleric. institutione*, I, 32 (PL., CVII, 321). — *Ibidem*, II, 37 (PL., CVII, 349) notat : « In hac die (scilicet Parasceve) sacramenta penitius non celebrantur, sed Eucharistiam in coena Domini consecratam .. resumunt... Hinc traditio Ecclesiae habet biduo memorato sacramenta non celebrari, sed magis sanctam resurrectionis noctem exspectari, et... in ipsa cum laetitia et gaudio speciali sacrificium offerri ».

omissis sacrificiis quibus Christus passurus promittebatur, hoc sacrificium offert, quo Christus jam passus ostenditur » (1); attamen non Ecclesia, sed ipse Christus proprie offert hoc sacrificium, nam « illius sermo est, qui coelestia sacramenta sanctificat. Ille in suis sacerdotibus quotidie loquitur. Illi funguntur officio, ille majestate divinae potestatis operatur. Ipse est enim ille verus Melchisedech, qui haec sancta sacrificia, quae ille tunc in mysterio praefiguravit, per oblationem corporis suique sanguinis adimplevit ».

In hoc sacrificio, quod Florus cum traditione vocat « sacramentum dominicae passionis », et « mysterium oblationis dominicae », agitur « non tam verbis quam mysteriis ipsis », commemoratio, mortis Christi quae « nobis in sacramento corporis et sanguinis Filii Dei quotidie instauratur » (2).

* * *

Prima monographia de Eucharistia conscripta fuit a Paschasio Radberto, qui magis tamen praesentiam realem perscrutatus est (3). Quae hinc inde de sacrificio Missae dixit, paucis his verbis contrahimus :

« Voluit (Dominus) in mysterio hunc panem et vinum... consecratione Spiritus sancti potentialiter creari, creando vere quotidie pro mundi vita mystice immolari » (4). « Iteratur quotidie haec oblatio, licet Christus semel passus in carne, per unam eamdemque passionem semel salvaverit mundum... Et ideo quia quotidie labimur, quotidie pro nobis Christus mystice immolatur, et passio Christi in mysterio traditur » (5). « Lavat nos a peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cum ejusdem beatae passionis ad altare memoria replicatur, cum panis et vini sacramentum carnis et sanguinis ejus ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur. Sic quoque corpus et sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur et occiditur, si fidelium ore suam sumitur in

(1) Florus (+ c. a. 860), *De expos. Missae*, IV (PL., CXIX, 20).
(2) *Ibidem*, LIX s. (PL., CXIX, 52 s.).
(3) Paschasius Radbertus, abbas corbeiensis (+ 865), pluries invocat testimonium s. Gregorii, ita notatim in *Epist. de corpore et sanguine Domini ad Frudegardum* (PL., CXX, 1355); haec epist. sedulo secernenda venit a *Libro de corpore et sanguine Domini*, qui prima vice quaestionem Eucharisticam plenius pertractat, et a. 831 jam conscriptus, tantum a. 844 in lucem prodiit.
(4) *Lib. de corpore et sanguine Domini*, IV, 1 (PL., CXX, 1277).
(5) *Ibidem*, IX, 1 (PL., CXX, 1293 s.).

salutem, cujus recte figuram agnus in lege paschalis ostendit, qui semel populum de aegyptiaca servitute liberans, in memoriam ejusdem liberationis per omnes annos immolatione sua populum eumdem sanctificare valebat, donec veniret ipse, cui talis hostia testimonium dabat, oblatusque Patri pro nobis in hostiam odoremque suavitatis, mysterium suae passionis, oblato Agno in creaturam panis vinique transferretur, sacerdos factus in aeternum secundum ordinem Melchisedech, accedens per semetipsum ad Deum ad interpellandum pro nobis » (1).

Ipse Christus offert hoc sacrificium, et simul victima existit : « vere (enim) illius carnis sacramentum, per sacerdotem (terrenum) super altare in verbo Christi per Spiritum sanctum consecratur, unde ipse Dominus clamat : Hoc est corpus meum » (2).

Attamen, difficultas, quae est in explicanda essentia hujus oblationis, Paschasium non fugit; statim nimirum ab initio suae dissertationis advertit : « Licet ab omnibus Christi caro et sanguis quotidie comedatur, ipse tamen Agnus vivus et integer permanet; non enim jam moritur, mors ei ultra non dominabitur (3), sed tamen in mysterio quotidie veraciter immolatus, in ablutionem delictorum comeditur » (4). « Quod si effusus est jam, quomodo nunc rursus effunditur ? Et si caro consumpta est, quomodo adhuc manet integra et voratur ? Ecce quod bibitur quotidie et effunditur, et quod semel immolatum est, adhuc hodie immolatur ; non ergo immolatur, nisi quod vivum est » (5).

Problema dilucide proponitur, sed ad solutionem non nisi verba traditione consecrata resumuntur : « Immolatus est pro salute mundi in seipso;... nec illud reiteratur in facto ut moriatur Christus, sed immolatur pro nobis quotidie in mysterio, ut percipiamus in pane quod pependit in cruce, et bibamus in calice quod manavit ex Christi latere » (6). « Alioquin quomodo

(1) *Lib. de corpore et sanguine Domini*, IX, 2 (PL., CXX, 1294 s.) ; cf. etiam *Ibidem*, XV, 1 s. (PL., CXX, 1321 s.).

(2) *Ibidem*, IV, 3 (PL., CXX, 1279).

(3) *Rom.*, VI, 9.

(4) *Lib. de corpore et sanguine Domini*, II, 3 (PL., CXX, 1274).

(5) *Expos. in Matth.*, XII (PL., CXX, 892) ; cf. *Epist. ad Frudegardum* (PL., CXX, 1358), ubi idem fere textus legitur, sed minus clare dicitur : « Non ergo immolatur nisi quod unum est ».

(6) *Epist. ad Frudegardum* (PL., CXX, 1355) ; haec verba laudantur tanquam s. AUGUSTINI, *Epist.* XCVIII, et revera quaedam verba, quae in textu hanc citationem praecedunt, in hac epistola s. Aug. leguntur ; sed ea sententia, quam transcripsimus, quaeque jam intimiorem explicationem continet, ibidem non legitur. Paulo superius adducitur testimonium Eusebii emesini, quod est, Fausti reiensis, uti vidimus.

hostia vocatur, nisi immoletur Christus in eo (sacramento)? Non enim immolatio recte dicitur, juxta proprietatem nominis aut verbi, nisi et mactatio victimae consequatur. Attamen in pane isto et vino sacerdos recte immolare dicitur, quoniam in eo Christus, ut ita fatear, Deo Patri in hac oblatione, ac si hostia pro peccatis nostris, seu in cibo salutis nostrae, victimatur » (1).

Uti ex hisce paucis excerptis apparet, paulatim expressiores fiunt explicationes, quas de essentia sacrificii Eucharistici obviamus; attamen quaestionem de essentia sacrificii nondum penitus perscrutatur Paschasius, et rationem profundam pariter non indicat, cur hoc sacrificium ad oblationem crucis essentialiter sit relativum. Dubium nihilominus subesse nequit quin auctor, quamvis commemorationem passionis etiam requirat in caerimoniis sacris (2), quae consecrationem Eucharistiae circumstant, intrinsece tamen memoriam mortis Christi cum ipsa oblatione connectat. « Ob recordationem sacrae passionis ad aram quod semel gestum est, ait, quotidie Agnus immolatur » (3). « Quia ergo Redemptor noster hoc totum quod tempore passionis suae semel gessit, adhuc usque hodie quotidiana ejusdem beatae commemoratione peragit, hanc in primis praecipuam esse causam puto, quare nos sacrosanctae mortis ejus recordationem, sacratissimum corpus et sanguinem ipsius quotidie super altaris aram immolantes, quotidie replicamus » (4).

*
* *

Haud aliam doctrinam apud Ratramnum comperimus, licet a Paschasio in expressione satis differat: « Sic etiam dicamus Dominum immolari quando passionis ejus sacramenta celebrantur, cum semel

(1) *Expos. in Matth.*, XII (PL., CXX, 894).

(2) Ita puta in mixtione aquae cum vino ante consecrationem; cf. *Lib. de corpore et sanguine Domini*, XI, 1 (PL., CXX, 1307 s.); item in mixtione fragminis hostiae cum sanguine (*Ibidem*, XIX, 1 in PL., CXX, 1327): « Patet sensus quod jam caro frangitur, quia sanguis est in calice qui de latere manavit, et ideo quam recte caro sanguini sociatur, quia nec caro sine sanguine utique, nec sanguis sine carne jure communicatur. Totus enim homo, qui ex duabus constat substantiis, redimitur, et ideo carne simul Christi et sanguine saginatur »; dein, *Ibidem*, 3 (PL., CXX, 1328) adhuc notat: « Porro in calice... ideo simul corpus et sanguis per hanc partem junguntur, quia calix passionis Christi praefigurat mysterium.... Per calicem namque salutis passio designatur. In qua nimirum passione simul caro Christi cum suo sanguine fuit ».

(3) *De corp. et sanguine Domini*, IV, 1 (PL., CXX, 1278).

(4) *Ibidem*, IX, 2 (PL., CXX, 1295); ex quibusdam verbis Paschasii, *Ibidem*, VIII, 1 (PL., CXX, 1286), ad altare coeleste et sacrificium coeleste proprie dictum concludit Thalhofer, *l. c.*, at prorsus gratuito, uti conficiunt Stentrup, *o. c.*, II, p. 325 s. et Mortimer, *o. c.*, p. 270 s.

pro salute mundi sit immolatus in semetipso, sicut Apostolus ait : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus (1). Non enim quod quotidie in seipso patiatur, quod semel fecit. Exemplum autem nobis reliquit quod in mysterio Domini corporis et sanguinis quotidie credentibus praesentatur » (2).

« Quod (Christus) semel fecit, nunc quotidie frequentat : semel enim pro peccatis populi se obtulit, celebratur tamen haec eadem oblatio singulis per fideles diebus, sed in mysterio, ut quod Dominus Jesus Christus semel se offerens adimplevit, hoc in ejus passionis memoriam quotidie geratur per mysteriorum celebrationem » (3).

« Nec tamen falso dicitur quod in mysteriis illis Dominus immoletur vel patiatur, quoniam illius mortis atque passionis habent similitudinem, quarum existunt repraesentationes. Unde Dominicum corpus et sanguis Dominicus appellantur, quoniam ejus sumunt appellationem, cujus existunt sacramentum. Hinc beatus Isidorus... ait : Sacrificium dictum, quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis Dominicae passionis » (4).

« Addamus etiam quod iste panis et calix, qui corpus et sanguis Christi nominatur et existit, memoriam repraesentat Dominicae passionis sive mortis, quemadmodum ipse in Evangelio dixit : Hoc facite in meam commemorationem. Quod exponens Apostolus Paulus ait : Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Docemur (itaque) a Salvatore, necnon a sancto Paulo Apostolo, quod iste panis et iste sanguis qui super altare ponuntur, in figuram sive memoriam Dominicae mortis ponuntur, ut quod gestum est in praeterito, praesenti revocet memoriae ; ut illius passionis memores effecti, per eam efficiamur divini muneris consortes, per quam sumus a morte liberati » (5).

* * *

Haec doctrina, etsi minus enucleata, quoad essentiam, a placitis Paschasii et totius traditionis non recedit ; quod ceteros

(1) *I Pet.*, II, 21.

(2) RATRAMNUS, monachus corbeiensis, (+ p. a. 868), *De corpore et sanguine Domini*, XXXVIII (PL., CXXI, 143) ; cf. *Ibidem*, XXXV (PL., CXXI, 142), ubi textus s. AUG., *Epist.* XCVIII, adducitur. — Disputationem de authentia dissertationis modo laudatae, quam alii critici J. Scoto Eriugenae attribuere voluere, lege apud A. NAEGLE, *Ratramnus und die hl. Euch.*, (*Theol. Studien der Leo- Gesellschaft*, V), p. 84 s., Wien, 1903.

(3) *De corp. et sanguine Domini*, XXXIX (PL., CXXI, 144).

(4) *Ibidem*, XL (PL., CXXI, 144) ; legimus « habent » (non « habens » uti apud MIGNE), juxta textum s. Augustini.

(5) *De corpore et sanguine Domini*, XCIX s. (PL., CXXI, 169 s.) ; cf. *Ibidem*, XC et XCI (PL., CXXI, 165 s.).

auctores hujus saeculi IX et saeculi sequentis attinet, non nisi per transennam de sacrificio Eucharistico agunt et easdem explicationes, cum eisdem formulis a Traditione receptis repetunt. Quando Missarum solemnia directe respiciunt, liturgice potius quam dogmatice rem considerant, itaque in explicandis caerimoniis praeprimus immorantur. Nihil itaque quaestionem nostram promovent, et ita pariter saec. XI et adhuc saec. XII quam plures auctores indicare licet, qui de Eucharistia tractant ; at vero nunc ex occasione erroris Berengarii confutandi controversiam de sacramento Eucharistiae praecipue instituunt.

Alia opera hujus aevi sunt praesertim compilationes, in quibus omnes textus patristicos congerunt, sub falso nomine plerumque, uti diximus ; testimonium s. Jo. Chrysostomi de uno sacrificio novae legis saepe sub nomine s. Ambrosii venit ; quaedam testimonia Paschasii, aut etiam Lanfranci, qui partem insignem habuit in confutando Berengario, sub nomine s. Augustini transmittuntur(1).

Nominamus unum s. ANSELMUM, in hac periodo, qui dogma Redemptionis magna acribeia perpendit ; pauca nihilominus et quasi obiter dicta de sacrificio Missae apud ipsum legimus (2).

*
* *

Pervenimus itaque ad ALGERUM LEODIENSEM, qui quaestionem nostram intimius jam investigat, et ingenue ejus difficultatem hisce verbis profitetur :

« Videndum autem est, cum Ambrosius paulo ante dixerit (3), quia in Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens, cur quasi quotidiana nostra oblatio post illam semel oblatam veram, non esset vera ; vel post illam potentem et sufficientem ad salutem, esset superflua, quaesierit » (4).

Difficultatem igitur, quae est in essentia sacrificii Missae explananda, directe non scrutatur auctor, sed magis ex occasione efficaciae hujus novae oblationis vindicandae, quasdam considerationes subnectit, quae mentem ipsius de actione sacrificali satis pandunt :

(1) LANFRANCUS, archiepisc. cantuar. (+ 1089), *Lib. de corp. et sang. Domini*, XIV et XV (PL., CL, 424 s.).

(2) S. ANSELMUS, abbas beccensis et archiepisc. cantuar. (+ 1109), *De azymo et fermentate*, I (PL., CLVIII, 541) ; *Ad Waler. quer. resp.* II (PL., CLVIII, 553) ; *Epist.* CVII (PL., CLIX, 255 et 257).

(3) Dicendum esset cum s. J. CHRYS., *In Hebr. hom.* XVII, 3 ; vide supra, ubi de doctrina s. Jo. Chrys.

(4) ALGERUS, canonicus et scholasticus leodiensis, dein monach. cluniac. (+ c.a. 1132, aut 1152, juxta alios), *Lib. de Sacr. corporis et sanguinis Domini*, I, 16 (PL., CLXXX, 786 s.). 24

« Primum itaque utrum eadem nostra (oblatio) et illa (crucis) sit videamus... Sed Ambrosius (1) quasi respondens suae quaestioni, ait : Offerimus, sed ad recordationem mortis ejus ; et una est hostia, non multae, quia semel oblatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius : idipsum, semper idipsum ».

« Notandum ergo quia quotidianum nostrum sacrificium idem ipsum dicit cum eo, quo Christus semel oblatus est in cruce, quantum ad eamdem veram hic et ibi corporis Christi substantiam : quod vero nostrum quotidianum illius semel oblati dicit esse exemplum, id est figuram et formam, non dicit ut hic vel ibi essentialiter alium Christum constituat, sed ut eumdem in cruce semel, in altari quotidie alio modo immolari et offerri ostendat ; ibi in veritate passionis, qua pro nobis occisus est, hic in figura et imitatione passionis ipsius, qua Christus non iterum vere patitur, sed ipsius vere memoriae passionis quotidie nobis iteratur. Quod et ipse Ambrosius (2) notans subjecit : Quod nos facimus, in commemorationem fit ejus quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud sacrificium, sed ipsum semper offerimus, magis autem sacrificii recordationem operamur ».

« Non ergo est in ipsius Christi veritate diversitas, sed in ipsius immolationis actione, quae dum veram Christi passionem et mortem quadam similitudine figurando repraesentat, nos ad imitationem ipsius passionis invitet et accendat, contra hostem nos roboret et muniat et a vitiis purgans et virtutibus condecorans, vitae aeternae nos idoneos ac dignos exhibeat » (3).

Mox ad effectus sacrificii ulterius explicandos deflectit Algerus et in illis adstruendis summopere immoratur ; adductis autem postea quibusdam verbis s. Augustini, quibuscum quaedam dicta Lanfranci admiscet (4), quae omnia s. doctori hipponensi attribuit, sic pergit :

(1) Uti jam notavimus, haec verba adscribi debent, non s. Ambrosio, sed s. J. Chrysostomo ; in eodem capite Algerus varios textus congerit desumptos ex Paschasio, *De corp. et sang. Domini*, IV, 1 et IX, 1, in PL., CXX, 1277 s. et 1293 s., quos ex s. Augustino excerptos dicit, nempe ex *Libro de Sacramentis Altaris ;* eumdem errorem reperimus apud Gratianum, *Decret.*, III, II, 72 in PL., CLXXXVII, 1768) ; attamen hoc decretum ad hunc librum non existentem non remittit.

(2) Legendum rursus s. Jo. Chrys. — *Ibidem*, XII (PL., CLXXX, 777) s. Basilium refert, dum verba sunt s. Jo. Chrys., *De sacerd.*, III, 4 etc.

(3) *De Sacr.*, I, 16 (PL., CLXXX, 786 s.).

(4) Textus, quem affert Algerus ex s. Aug., *Lib. Sententiarum Prosperi*, reapse constat quibusdam verbis s. episcopi hipponensis, in epistola saepius laudata, cum testimonio Lanfranci, *o. c.*, XV (PL., CL., 425).

« Dicit ergo (Augustinus) Christum in manifesto corpore suo, et in distinctis membris humanitatis suae, semel passum in cruce : qui non manifeste sed invisibiliter est in sacramento quotidie, non passus, sed quasi pati repraesentatus. (1) » Attamen, ait, haec ita audire non licet ut « cum dicatur Christus semel immolari in seipso, et quotidie in sacramento, quasi verus intelligi debeat, cum dicitur in seipso, et non verus sed imaginarius in sacramento. Sed sciendum quia Christus immolari dicitur in seipso, id est in humana forma, et in sacramento, id est in panis et vini forma ; non quin tam vere hic immoletur in seipso quantum ad substantiam, sicut ibi, sed ut notet hic et ibi diversam ejusdem substantiae formam » (2).

Auctor noster ulterius rursum non explicat in quonam consistat ipsa immolatio ; non exponit pariter quomodo sacrificium Eucharisticum intrinsece sit relativum ; sed statim repraesentationem sacrificii cruenti in ipsis caerimoniis requirit : « si enim pane mutato, nihil visibile reservaretur... non superesset aliquod visibile, circa quod mystica passionis signa et crucifixionis Christi in Missa possent celebrari » (3).

Ad quaestionem cur corpus et sanguis distincta consecratione offerantur, haec respondet : « Quia iste mos inolevit in Ecclesia ab ipso Christo, qui corpus suum et sanguinem divisim consecravit et dedit, non ad divisionem substantiae suae,... sed ad discretionem figurae, ut panis dum dentibus teritur, carnem Christi in passione attritam,et dum vinum in ora fidelium funditur, sanguinem de latere Christi fusum signaret». Putat etiam passionem repraesentatam esse in mixtione aquae et vini ; et « corpus et sanguis divisim in sacramento videntur, ait adhuc, ut quia Christus pro nobis mortuus est, nos qui corpore et anima perieramus, corpus per corpus, et animam per animam redimens, corpus et animam suam pro nostra redemptione in morte divisa fuisse signetur, dum corpus ejus in sepulchro jacuit, anima vero ad liberandas sanctorum animas ad inferna descendit » (4).

Ipse Christus hoc sacrificium quondam in coena obtulit ; hoc idem quotidie offert per sacerdotes suos, qui totam actionem sacram, non suis meritis, sed divinae potentiae et gratiae attribuunt, quando

(1) *De Sacr.*, I, 16 (PL., CLXXX, 787).
(2) *Ibidem*, (PL., CLXXX, 790).
(3) *Ibidem*, I, 7 (PL., CLXXX, 758 s.).
(4) *Ibidem*, II, 8 (PL., CLXXX, 826) ; cf. etiam *De sacrificio Missae*, in quo scripto variae caerimoniae et imo instrumenta sacra per allegoriam passionis explicantur (PL., CLXXX, 853 s., praecipue 856) ; hoc opus Algero adscriptum dubiae est authenticitatis.

orant : « Jube haec oblata tibi per manus et virtutem Filii tui, angeli tui, qui est angelus magni consilii, non in hoc humile et visibile altare, ubi modo est, sed in sublime altare tuum, id est Filium tuum, quem usque ad dexteram tuam in conspectu majestatis tuae sublimasti, deferri ; ut fiat nobis corpus et sanguis dilecti Filii tui, ostendens ipsum Filium, jussione Patris in coelis esse offerentem, et hostiam et id super quod offertur » (1).

*
* *

In hoc Algeri testimonio tantisper immorati, et omissis quibusdam verbis aliorum scriptorum hujus saec. XII, qui per transennam de sacrificio Eucharistico dixerunt, statim accedimus ad doctrinam, quam tradidit PETRUS LOMBARDUS, Magister Sententiarum, cujus opus habuit maximum influxum, quippe quod per plura saecula manuale theologicum in scholis fuerit (2).

Primo sacrificium Eucharisticum cum s. Augustino (3) dicit « quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur pro nobis in memoriam dominicae passionis » (4), et ad mentem adhuc ejusdem s. Patris paucis hisce verbis idem sacrificium explanat : « Post haec quaeritur, si quod gerit sacerdos proprie dicatur sacrificium vel immolatio ; et si Christus quotidie immoletur, vel semel tantum immolatus sit. — Ad hoc breviter dici potest, illud quod offertur et consecratur a sacerdote, vocari sacrificium et oblationem, quia memoria est et repraesentatio veri sacrificii et sanctae immolationis, factae in ara crucis. Et semel Christus mortuus est in cruce ibique immolatus in semetipso ; quotidie autem immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius quod factum est semel. Unde Augustinus (5) : Semel immolatus

(1) *De Sacr.*, I, 14 (PL., CLXXX, 781).

(2) PETRUS LOMBARDUS, episcopus parisiensis a. 1159, jam obdormiisse videtur a. 1160 ; de fontibus vero, quibus usus est Lombardus in exarandis suis Sententiis, vide M. GRABMANN, *Die Geschichte der schol. Methode*, II, p. 385, Freiburg in B., 1911 et DE GHELLINCK, *Le mouvement théologique du XIIe siècle*, p. 142 s., Paris, 1914.

(3) Textus ponitur sub nomine Gregorii, sed hic locus cum suo contextu, ordine tamen immutato, ad verbum fere invenitur apud s. ISIDORUM, *Etym.*, VI, XIX, 38 s. Intimam connexionem s. Augustinum inter et s. Isidorum suo loco notavimus.

(4) *Lib. IV Sent.*, dist. XIII, 1.—Textum sequimur, qui prostat in editione critica operum s. Bonaventurae, IV, p. 300, Ad Claras Aquas (Quaracchi), 1889 ; vide etiam in PL., CXCII, 867.

(5) Ita in ed. crit.; in ed. PL. additur : in libro Sent. Prosperi. — De facto priora verba, usque ad « quod sic », assumuntur ex s. AUG.,

est Christus in semetipso, et tamen quotidie immolatur in sacramento ; quod sic intelligendum est : quia in manifestatione corporis et distinctione membrorum semel tantum in cruce pependit, offerens se Patri hostiam redemptionis efficacem, eorum scilicet, quos praedestinavit » (1).

Distinguit igitur Magister hanc immolationem in sacramento ab illa mactatione Christi in semetipso; deinde cum s. Jo. Chrys., cujus testimonium adducit sub nomine s. Ambrosii (2) prosequitur : «In Christo semel oblata est hostia ad salutem potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Etsi quotidie offeramus, ad recordationem mortis ejus fit; et una est hostia, non multae. Quomodo una et non multae ? Quia semel immolatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius ; idipsum et semper idipsum offertur, proinde hoc idem est sacrificium ; alioquin, quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi ? Non, sed unus ubique est Christus, et hic plenus existens et illic plenus ; sicut quod ubique offertur unum est corpus, ita et unum est sacrificium. Christus hostiam obtulit, ipsam offerimus et nunc ; sed quod nos agimus recordatio est sacrificii » (3).

« Ex his colligitur, sacrificium esse et dici quod agitur in altari, et Christum semel oblatum et quotidie offerri, sed aliter tunc, aliter nunc » (4). « Iteratur (autem) quotidie haec oblatio, licet Christus semel passus sit ; quia quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest. Et quia quotidie labimur, quotidie Christus mystice pro nobis immolatur » (5).

Epist. XCVIII; sequentia vero ex LANFRANCO, *De corpore et sanguine Domini*, XV (PL., CL, 425). — Ed. crit. ambos textus ita conjungit, ut totus locus Augustino adscribi videatur; ad vitandas confusiones, distinctionem notavimus inter utramque pericopen. Eodem modo, nempe textibus permixtis, citantur haec verba apud ALGERUM, *De Sacr.*, I, 16 (PL., CLXXX, 787), qui ad AUG., *Lib. Sent. Prosperi* remittit; ita et GRATIANUS *Decretum*, III, II, 52 (PL., CLXXXVII, 1756); s. Ivo CARNOT., *Panormia*, I, 143 (PL., CLXI, 1077) integrum textum attribuit s. AUG., *Epist.* XCVIII. — In eadem connexione ad Lanfrancum, docet Magister : « Ipsa immolatio, quae fit manibus sacerdotis, vocatur Christi passio, non rei veritate, sed significandi mysterio » (*Lib. IV Sent.*, Dist. X, P. I, c. 1 in ed. crit., IV, p. 214; PL., CXCII, 861. — Cf. LANFR., *o. c.*, XIV in PL., CL, 425).

(1) *Lib. IV Sent.*, dist. XII, P. II, c. 5 (ed. crit., IV, p. 268; PL., CXCII, 866).

(2) In textu Magistri dicitur « Ambrosius », sicuti in Panormia et Decreto Gratiani ; testimonium autem desumitur ex J. CHRYS., *In Hebr. hom.* XVII, 3 (non *hom.* XIII, 3 uti in ed. crit. dicitur).

(3) *Lib. IV Sent.*, dist. XII, P. II, c. 5 (ed. crit., IV, p. 269; PL., CXCII, 866).

(4) *Ibidem.*

(5) *Ibidem*, c. 6 (ed. crit., IV, p. 269; PL., CXCII, 867); textus desumptus

Lombardus de hac relatione sacrificii Eucharistici ad oblationem crucis minus indagat, eamque praesertim requirit in ritu sacro; sic notatim fractionem, quae fit «in sacramento seu in specie visibili» (1), passionem et mortem Christi repraesentare asseverat (2); ideam jam communem adhuc affirmat, quando scribit : « Ideo in duabus speciebus (Eucharistia) celebratur, ut animae et carnis susceptio in Christo et utriusque liberatio in nobis significetur » (3).

* * *

Paucis verbis resumimus doctrinam, quam in hoc articulo accepimus : auctores omnes profitentur primo, Christum *vere immolari* in hoc sacrificio ; Dominus « mactatur, sed non occiditur », uti legimus in Confessione Albini ; « Agni immaculati et incontaminati caro mactatur », ait Rhabanus Maurus. Attamen hanc immolationem incruentam et mysticam jam paulatim explicare conantur ; ita Paschasius Radbertus, Ratramnus et praesertim Algerus : « Christus immolatur quotidie non in seipso sed in sacramento»; vere nihilominus immolatur, nam « sciendum quia Christus immolari dicitur in seipso, id est in humana forma, et in sacramento, id est in panis et vini forma ; non quin tam vere hic immolatur in seipso quantum ad substantiam, sicut ibi, sed ut notet hic et ibi diversam ejusdem substantiae formam ». Pro hac parte, scholastici, uti manifestum est, praecipue a s. Augustino et a Patribus ecclesiae latinae dependent.

Omnes doctores ad unum pariter profitentur secundo, hoc sacrificium Eucharisticum esse *intrinsece relativum :* ita a s. Isidoro hispalensi ad usque Petrum Lombardum ; verum, minus omnino explicant quomodo sacrificium essentialiter relativum concipiamus oporteat. Bene multi repraesentationem passionis in caerimoniis requirunt, aut de effectu hujus sacrificii, quod nobis merita passionis applicare debet, tantummodo loquuntur. *Nihil explicationis revera addunt verbis s. Jo. Chrysostomi*, quae omnes adducunt, licet plerumque sub nomine s. Ambrosii; itaque reapse *totam traditionem patristicam,* tum graecam, quum latinam, pulchre *contrahunt* et presse sequuntur.

ex Paschasio Radberto, *o c.*, IX, 1 (PL., CXX, 1293), a Magistro attribuitur Augustino, uti ceterum jam pluries apud alios auctores comperimus.

(1) *Lib. IV Sent.*, dist. XII, P. I, c. 3 (ed. crit., IV, p. 267; PL., CXCII, 865).

(2) *Ibidem*, c. 4 (ed. crit., IV, p. 268; PL., CXCII, 866).

(3) *Ibidem*, dist. XI, P. II, c. 4 (ed. crit., IV, p. 240; PL., CXCII, 863).

Art. 2. — Doctrina scholastica saec. xiii.

Primum auctorem, in hac periodo aurea Scholae, obvium habemus Alexandrum Halensem (1), qui praeter definitionem ex Augustino desumptam : « Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum (id est) sacrum signum est » (2), et hanc aliam ex s. Isidoro depromptam, et cum placitis doctoris hipponensis connexam : « Sacrificium dicitur quasi sacrum factum quod prece mystica consecratur pro nobis in memoriam dominicae passionis » (3), tertiam adhuc proponit definiendi rationem : « Sacrificium est oblatio quae et sacra fit offerendo, et sacrat seu sanctificat offeren-

(1) Alexander Alensis seu Halensis (+ 1245), suam Summam Theologiae ex prolixis suis commentariis (ineditis) in Magistri sententias nunquam absolvit. — Editiones Summae Theologiae Halensis quoad divisiones satis discrepant, itaque inspeximus ed. norimbergensem (Koburger Nurenberge impressam a. 1482 = ed. n. et aliam quae a. 1622 Coloniae Agrippinae prodiit = ed. c.; in priore editione tractatus de Sacr. Euch. quaestionibus 29-53 constat, dum in secunda ed. eamdem materiam in q. 10 et q. 11 tractatur; claritatis causa igitur pro altera hac editione, simul paginam et columnam indicabimus. Inseritur in ed. colon., post q. 10, m. 5, a. 2, in IV parte, quaedam Expositio Missae, quae in ed. norimb. ad q. 37 ponitur. Hanc dissertationem Halensi non tribuendam esse vult Franz, *o. c.*, p. 460, qui eamdem adscribit Guillelmo de Melitona (+ 1260), qui inter discipulos Halensis, Summae complendae imprimis allaboravit.

(2) *Sum. Theol.*, pars III, q. 58 membr. 1 (ed. norimb.); q. 55, m. 4, art. 1, p. 388, col. 1 (ed. colon.); item P. IV, q. II, m. 4, a. 3 (ed. n.); q. II, m. 2, a. 3, parag. 3, p. 23, 2 (ed. c.).

(3) *Sum. Theol.*, IV, q. 37, m. 3, a. 2 (ed. n.); post q. 10, m. 5, a. 2, in *Tract. de Off. Missae*, in parte II, parag. 3, p. 292, 1 (ed. c.); initio partis IV breviter de essentia sacrificii in genere disserit Alexander, et notat in q. II, m. 4, a. 2 (ed. n.); q. II, m. 2, a. 3, parag. 2, p. 23, 1 (ed. c.) : « dicendum quod licet non placeat Deo, qui est Conditor naturae, destructio rei naturalis, tamen mutatio ejus secundum quod ordinata est ad melius, placet ei. Sicut enim mutatio rei cibatinae in corpus hominis, qua nutritur, placet Deo, licet res desinat esse in sua specie; ita licet in crematione desinat esse rei animatae, non tamen desinit esse sed incipit esse in ratione sacramenti : per quod ordinatur ad esse nobilius, scilicet perfectionem animae et ita placet Deo ». Sane non necessarium est advertere hanc non esse sententiam immutationis perfectivae, quam propugnavit Suarezius, et quam Scheeben maxime promovit; hic enim auctor, uti confecimus supra, *ipsam materiam* sacrificii, puta incensum, in esse melius, perfectius, levius et magis spirituale transire et converti contendit; Halensis autem rem destruendam asserit ut ad esse melius *in ratione significationis seu sacramenti*, sicuti ait, evehatur. Sacramentum audit Halensis, eodem modo ac Augustinus, et ita, uti statim in textu proferimus, de sacramento corporis et de sacramento sanguinis loquitur; vide textus allatos et cf. Hahn, *Die Lehre von den Sakramenten*, p. 5 s., Breslau, 1864.

tem » (1). Quandoquidem jam advertimus effectum sacrificii in definitione sacrificii minime includendum, hujus definitionis meminisse sufficiat; attamen cum traditione rursus consentit auctor, ubi scribit : « Causa quare corpus Christi est praesentialiter in hoc sacramento est... repraesentatio divinae passionis cum iteratione oblationis, qua ipse praesens corporaliter Patri offerebatur; quomodo enim posset oblatio iterari nisi praesens esset in sacramento, cujus oblatio in ipso iteratur ? » (2)

Halensis igitur oblationem cruentam Christi in seipso signate distinguit ab oblatione incruenta, quae in sacramento sive in mysterio peragitur (3); sacrificium autem perficitur a sacerdote cum in persona Christi consecrationem pronuntiat (4), et « communicatio est complementum sacrificii »; ideo vero, quia « sumptio est complementum consecrationis, non est licitum consecrare sine sumptione » (5).

Cum Schola pariter docet Halensis, repraesentationem sacrificii cruenti in ritu sacro requirendam (6); et eadem ratione sumptionem sub utraque specie, ex completa hominis liberatione significanda explanat (7). Postea nihilominus hanc relationem attentius considerat : « Si quaeratur, inquit, quare non repraesententur (caro et sanguis Christi) simul, sicut sunt simul secundum esse substantiale, ratio jam dicta est, scilicet quod hoc sacramentum est sacramentum mortis » (8). « Hoc sacramentum gerit typum Christi passi : Christus autem passus est ratione naturae duplicis, scil. corporis et animae », ideoque « habet duplici signo signari » (9).

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 58, m. 1 (ed. n.); q. 55, m. 4, a. 1, p. 388, 2 (ed. c.); cf. etiam in eadem III parte, q. 58, m. 6, a. 3 (ed. n.); q. 55, m. 4, a. 6, parag. 3, p. 393, 1 (ed. c.).

(2) *Ibidem*, IV, q. 40, m. 3, a. 1 (ed. n.); q. 10, m. 7, a. 3, parag. 1, p. 350, 1 (ed. c.).

(3) Huic assertioni minime offendit declaratio Halensis, *Sum. Theol.*, IV, q. 40, m. 3, a. 1 (ed. n.); q. 10, m. 7, a. 3, parag. 1, p. 350, 1 : « In hoc ergo est differentia hujus sacramenti a sacramentis, quibus significabatur haec oblatio ante legem Evangelii, quod in illis offerebatur in figura, in hoc sacramento offertur ipse in se »; patescit enim oppositio inter veteres oblationes et novam, in qua *ipse Christus* est victima.

(4) Cf. *Sum. Theol.*, IV, q. 33, m. 3, a. 2, parag. 4 (ed. n.); q. 10, m. 4, a. 2, parag. 3, p. 251, 1 (ed. c.).

(5) *Ibidem*, q. 52, m. 4 (ed. n.); q. 11, m. 2, a. 4, parag. 2, p. 404, 2 (ed. c.).

(6) *Ibidem*, q. 37, m. 3, a. 3 (ed. n.); *Tract. de Off. Missae*, in P. II, parag. 3, p. 291 s. (ed. c.). Cf. item *Sum Theol.*, IV, q. 42, m. 2 (ed. n.); q. 10, m. 9, a. 2, p. 367, 1 (ed. c.). *Ibidem*, m. 4 (ed. n.); a. 4, p. 369, 1 (ed. c.).

(7) *Sum. Theol.*, IV, q. 31, m. 2 (ed. n.); q. 10, m. 3, a. 2, p. 232, 1 (ed. c.).

(8) *Ibidem*, q. 34, m. 4, a. 1 (ed. n.); q. 10, m. 4, a. 2, parag. 5, p. 260, 2 (ed. c.).

(9) *Ibidem*, q. 31, m. 2 (ed. n.); q. 10, m. 3, a. 2, p. 232, 1 (ed. c.).

« Duae species, duplex forma... repraesentant passionem Christi sive immolationem » (1) ; species enim sanguinis est sacramentum sanguinis... « In passione facta est redemptio nostra effusione sanguinis, quod significatur in sacramento sanguinis sub specie vini » (2) ; species panis est sacramentum corporis (3), quae species « licet in se considerata repraesentet corpus Christi absolute, tamen ut comeditur, signat expositum morti » (4). Quinimmo « non completum esset sacramentum, nisi quod in significando esset ibi distinctio : non enim proprie significaretur mors Christi, quae erat in separatione animae a corpore, nisi significaretur sacramentali distinctione per se, et sic necessaria sacramentalis distinctio » (5).

Prima vice adeo clare dicitur relationem sacrificii Eucharistici ad sacrificium cruentum, exprimendam esse in duplici consecratione, sive in distinctione sacramentali, uti ait Halensis ; attamen hanc explicationem omnino per transennam subjungit, et eamdem intimius non explanat (6).

* * *

Ita pariter s. Bonaventura, ex occasione potius, sacrificium Eucharisticum commemorat ; in Praeparatione ad Missam, quae ipsi adscribitur, legimus : « Quia non debuit pluries mori (Christus), eo quod illa una mors satisfecit pro peccatis omnibus factis et fiendis ; ideo sufficit quod illam unam hostiam sui corporis quondam pro nobis semel immolatam moriens reliquerit quotidie a nobis pro residuis delictorum mystice offerendam Deo Patri pro commutatione nostrae mortis, cui quotidie sumus obnoxii per peccatum. Unde Augustinus (7) : Iteratur quotidie haec oblatio, licet Christus semel passus sit, quia quotidie peccamus, peccatis sine

(1) *Sum. Theol.*, q. 31, m. 1 (ed. n.) ; a. 1, p. 230, 1 (ed. c.).

(2) *Ibidem*, m. 2 (ed. n.) ; a. 2, p. 231, 2 (ed. c.).

(3) *Ibidem*, q. 33, m. 3, a. 2, parag. 3 (ed. n.) ; q. 10, m. 4, a. 2, parag. 3, p. 250, 2 (ed. c.).

(4) *Ibidem*, q. 32, m. 1, a. 1 (ed. n.) ; q. 10, m. 4, a. 1, parag. 1, p. 233, 2 (ed. c.).

(5) *Ibidem*, q. 34, m. 4, a. 1 (ed. n.) ; q. 10, m. 4, a. 2, parag. 5, p. 260, 2 (ed. c.).

(6) Pauca de sacrificio Missae habet Guillelmus Alvernus (+ 1249), *De Sacr. Euch.*, II et V (*Opera*, I, in II parte, p. 436 et p. 447, Parisiis, 1674); *De legibus*, XXIV (*Opera*, I, in I parte, p. 72).

(7) Textus sequens est desumptus ex Paschasio, *De corpore et sanguine Domini*, IX, 1 (PL., CXX, 1293) ; jam pluries eumdem errorem obvium habuimus.

quibus mortalis infirmitas vivere non potest, et quia quotidie labimur, quotidie pro nobis Christus immolatur mystice » (1).

In scriptis suis certo genuinis, s. doctor memoriam passionis magis respicit, et eamdem imprimis expressam requirit in ritu sacro, et in fractione specierum (2), in quibus « offertur et celebratur Sacramentum altaris » (3). Duplex species, ait, duplicem et integram refectionem nostram ac plenam liberationem sive redemptionem signat (4) ; attamen, simul cum magistro suo Alexandro, docet : « Quoniam passus est (Christus) in anima et in carne, passus corporis afflictione et sanguinis effusione : ideo utrumque hic significari debet » (5) ; « in Sacramento est memoriale, cum ipsum corpus Christi significatur et continetur in specie panis, et sanguis in specie vini ; et hoc est memoriale vivum, quia ipse Christus seipsum ibi praebet, offerens nobis corpus, quod pro nobis fuit occisum et sanguinem, qui pro nobis fuit effusus » (6).

Unum tamen est sacrificium, quod soli sacerdotes conficiunt (7), nam idem corpus Christi verum, quod in cruce fuit immolatum, semper sanctificatur et offertur (8).

Hanc oblationem, quae in ipsa confectione sacramenti seu in consecratione perficitur, distinguere oportet ab oblatione, sensu etymologico accepta. Et revera, ait s. doctor, in die Veneris sancto « sacerdos non conficit nec sacrificium offert » ; attamen quamquam « consecratio non fit, sed reservatio propter hoc, quod in illo die fuit Dominus passus in propria effigie, non in signo. Et quia tota dies est memoriale passionis », quoniam nihilominus « aliud est conficere sive consecrare, aliud offerre ;.... quamvis in illo die non fiat confectio, fit tamen oblatio, quia sacerdos corpus in praecedenti

(1) S. Bonaventura (✝ 1274), *Praep. ad Missam*, I, 3 (in ed. crit., VIII, p. 102, col. 2, Quar., 1899) ; cf. etiam *Breviloqium*, VI, 9 (in ed. crit., V, p. 273 s., Quar., 1891). — De authentia hujus Praeparationis, quae in ed. crit. recepta fuit, dubium movet Franz, *o. c.*, p. 462, n. 3. — *Expositio Missae*, quae quondam s. Bonaventurae adscripta fuit, certo haud genuina videtur.

(2) Cf. *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. XII, dub. 5 (in ed. crit., IV, p. 283, 2, Quar., 1889) et adhuc P. I, a. 3, q. 1-3 (in eadem ed., IV, p. 284, 1 ; p. 285, 1 et p. 286, 1).

(3) *Ibidem*, dist. VIII, P. I, a. 1, q. 3 (ed. crit., IV, p. 183, 1).

(4) *Ibidem*, dist. VIII, P. II, a. 2, q. 2 et dist. XI, P. II, a. 1, q. 3 (ed. crit., IV, p. 198, 1 et p. 257, 2).

(5) *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. XI, P. II, a. 1, q. 2 (ed. crit., IV, p. 257, 2).

(6) *Ibidem*, dist. XII, P. II, a. 1, q. 1 (ed. crit., IV, p. 290, 2).

(7) *Ibidem*, dist. XIII, a. 1, q. 2 (ed. crit., IV, p. 305, 1).

(8) *Ibidem*, dist. X, P. I, a. 1, q. 1 (ed. crit., IV, p. 218, 1).

die consecratum offert in altari » (1). Omissa consecratione atque confectione sacramenti, non fit oblatio sacrificii ; sed licet affirmare, sacerdotem offerre quoniam corpus consecratum « offertur » seu ponitur in altari.

* * *

Eamdem distinctionem attendere oportet apud beatum ALBERTUM MAGNUM, qui quod immolationem spectat, primo dicit Christum immolari in sacramento, quoties sacramentum conficitur et verum offertur sacrificium (2) ; itaque, ait, secundum institutionem Ecclesiae, haec immolatio in Parasceve non obtinet, « quia illo die Christus vere seipsum obtulit in cruce : et ideo noluit Ecclesia ut immolaretur in sacramento, ut populus circa veram oblationem, ablata sacramentali, quae sub velamine est, magis afficeretur » (3). Attamen asseverari potest Christum immolari in Parasceve, quando scilicet immolatio accipitur, prout « dicitur ab instrumentis, ubi occidebatur pecus quod offerebatur : occidebatur enim super magnam lapidem ad modum molaris rotundum, et partes occisi super eum ponebantur : et loco illius modo utimur altari » (4).

Immolatio haec in sacramento, quam opponit oblationi cruentae, veram nihilominus habeamus oportet : « Immolatio nostra, inquit, non tantum est repraesentatio, sed immolatio vera, id est, rei immolatae oblatio per manus sacerdotum : unde duo dicit scilicet rem occisam et oblationem : quia immolatio proprie oblatio est occisi ad cultum Dei : et quoad oblationem non est repraesentatio tantum,

(1) *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. XII, P. II, dub. 2 (ed. crit., IV, p. 299, 1).

(2) B. ALBERTUS MAGNUS (✝ 1280), *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. XIII, a. 23 (*Opera*, XVI, p. 209, Lugduni, 1651 = ed. lugd., vel in ed. VIVÈS, XXIX, p. 370, Parisiis, 1894).

(3) *Ibidem*, dist. XIII, a. 24 (ed. lugd., XVI, p. 209; ed. VIVÈS, XXIX, 371).

(4) *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. XIII, a. 23 (ed. lugd., XVI, p. 209 ; ed. VIVÈS, XXIX, p. 371). — Haec definiendi ratio manifeste connexa est cum placitis s. ISIDORI, *Etym.*, VI, XIX, 31 ; cum Hispalensi adhuc conspirat Albertus ubi pergit : « Secundum significationem propriam (immolatio) sonat actum oblationis ex parte rei oblatae et occisae ; sacrificatio autem dicit eumdem ex parte effectus » ; cf. *Etym.*, VI, XIX, 38. Aliam tamen immolationis notionem proponit auctor in *De Sacr. Euch.*, V, 2 (ed. lugd., XXI, p. 89, 1651 ; ed. VIVÈS, XXXVIII, p. 345 s., 1899) : « Immolatio dicebatur, quae cum offerretur, molam quamdam habebat animal in capite, in signum quod hoc animal ad Dei sacrificia pertinebat.... Haec enim hostia, (scilicet ipse Dominus), singulariter *immolatio* vocatur, quia sicut dicit Hesicius quod animali offerendo mola imponebatur ut Deo sciretur esse oblata, ita Christus in oblationem sanctam signatus est a Deo Patri, et manibus offerentium ».

sed verus actus offerendi » (1) ; quinimmo, si sacrificium novum conferre favet cum sacrificiis antiquis, illud dicemus « solum sacrificium veritatis, quia omne id quod signat, abundanter causat et continet in seipso per gratiam corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi » (2).

Et revera ipse Christus illud offert ; « omnis enim offerens, in sacerdotio Christi offert » (3) ; Christus autem sacerdos simul est et victima, « offerens et oblatum est idem » (4); eadem adhuc est hostia, quae quondam in cruce oblata, quotidie nunc in altari offertur ; sacrificium igitur est omnino commemorativum passionis, quae in hoc sacramento « celebratur mysterialiter » (5).

Attamen hanc memoriam rursus in ritu sacro praesertim requirit b. Albertus (6), et formula vere traditionali scribit : « passio repraesentatur in sacramento secundum quod est effectiva redemptionis et solutiva pretii » (7).

Difficultas, uti patescit, semper manet in explicanda oblatione et in intelligenda immolatione, quae simul vera sit et immolationi cruentae non offendat, quoniam idem est sacrificium, eadem victima et idem sacerdos.

*
* *

Festinamus itaque ad perscrutandam doctrinam divi Thomae Aquinatis, quo duce in prima parte definitionem sacrificii generice sumpti statuimus.

(1) *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. XIII, a. 23 (ed. lugd., XVI, p. 209 ; ed. Vivès, XXIX, p. 371).

(2) *De Sacr. Euch.*, V, 4 (ed. lugd., XXI, p. 91 ; ed. Vivès, XXXVIII, p. 350).

(3) *Comm. in Jo., VI, 64* (ed. lugd., XI, p. 134 ; ed. Vivès, XXIV, p. 287).

(4) *De Sacr. Euch.*, V, 3 (ed. lugd., XXI, p. 90 ; ed. Vivès, XXXVIII, p. 348).

(5) *De Sacr. Euch.*, VI, 1, 1 (ed. lugd., XXI, p, 49 ; ed. Vivès, XXXVIII, p. 353) ; cf. etiam *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. XIII, a. 2 et a. 24 (ed. lugd., XVI, p. 190 et p. 210 ; ed. Vivès, XXIX, p. 336 et p. 353).

(6) Cf. *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. VIII, a. 2 (ed. lugd., XVI, p. 99 ; ed. Vivès, XXIX, p. 178) ; dist. XII, a. 2 (ed. lugd., XVI, p. 165 ; ed. Vivès XXIX, p. 294 s.) ; *De Sacr. Euch.*, VI, 1, 1 (ed. lugd., XXI, p. 49 ; ed. Vivès XXXVIII, p. 353). Utiliter legitur item scriptum *De Sacrif. Missae*, quod in ed. lugd. prostat t. XXI, p. 1-92 ; in ed. Vivès t. XXXVIII, p. 1-189.

(7) *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. XIII, a. 2 (ed. lugd., XVI, p. 190 ; ed. Vivès, XXIX, p. 336) ; cf. etiam a. 14 (ed. lugd., XVI, p. 202 ; ed. Vivès, XXIX, p. 359) et dist. XII, a 2 (ed. lugd., XVI, p. 165 ; ed. Vivès, XVI, p. 294). — *Sermones XXXII de Euch.*, quae sub nomine veniunt beati Alberti (ed. lugd., XII, p. 247-300 ; ed. Vivès, XIII, p. 667-856), nihil continent quod essentiam sacrificii magis explanat ; illos ceterum non authenticos esse

Cum traditione consentit Angelicus, quum omne sacrificium visibile cum Augustino vocat : « invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum » (1), et eidem traditioni presse inhaeret, quando cum eodem s. doctore affirmat Christum, qui semel immolatus est in semetipso, quotidie immolari in sacramento (2), in memoriam cruentae mactationis, quam olim in cruce perpessus est (3). Hoc incruentum et quotidianum sacrificium « non est aliud (tamen) a sacrificio (cruento) quod ipse Christus obtulit » (4) ; et enim, uti « Augustinus dicit : Sacerdos ipse Christus offerens, ipse et oblatio : cujus rei sacramentum quotidianum voluit esse Ecclesiae sacrificium » (5) ; sacerdos igitur hisce in terris « gerit imaginem Christi, in cujus persona et virtute verba pronuntiat ad consecrandum » (6), itaque

asserit VACANT, *La conception du sacrifice de la Messe dans la tradition de l'Église latine*, apud period. *Univ. Cath.*, XVI, p. 376, n. 3 ; iidem sermones s. Thomae Aquinati tribuuntur, cui pariter minime adscribi debent ; prodierunt tamen in ed. operum s. Thomae, sub titulo *Opusculum de Ven. Sacramento altaris*, n. 51, ed. VIVÈS, XXVIII, p. 183-241, Parisiis, 1875.

(1) S. THOMAS (✝ 1274), *Sum. Theol.*, III, q. 22, a. 2, c. ; cf. s. AUG., *De Civit. Dei*, X, 5 (PL., XLI, 282). — In citandis textibus ex Angelico, pro Summa Theologica, editionem sequimur criticam, quae auspiciis Leonis XIII, Romae, prodiit ab a. 1882 ; pro ceteris locis inspeximus editionem VIVÈS, Parisiis. — Ad discernenda opera genuina et spuria lege MANDONNET, *Des Écrits authentiques de s. Thomas d'Aquin*, Fribourg, 1910.

(2) *Sum. Theol.*, III, q. 83, a. 1, *sed contra* ; cf. s. AUG., *Lib. Sent. Prosperi*, in quo non legitur, uti pluries advertimus.

(3) *Sum. Theol.*, III, q. 22, a. 3, ad 2^m; q. 73, a. 4, c. et ad 3^m ; a. 5, c., ad 2^m et ad 3^m ; q. 74, a. 1, c. ; q. 76, a. 2, c. ; q. 78, a. 3, ad 2^m et ad 7^m ; q. 79, a. 6, c. ; q. 79, a. 7, c. et ad 2^m ; q. 80, a. 12, ad 3^m ; q. 83, a. 1, c. et ad 2^m ; a. 2, c., ad 1^m et ad 2^m ; a. 3, ad 7^m ; a. 5, c., ad 3^m, 4^m, 5^m, 7^m et 9^m ; *Sum. contra Gent.*, IV, 61 ; *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. VIII, q. 1, a. 1, solutio III, in c. ; a. 2, sol. II, ad 5^m ; a. 3, sol. III, ad 1^m ; q. 2, a. 1, sol. IV, ad 4^m ; a. 2, sol. I, ad 2^m et ad 3^m ; dist. IX, q. 1, a. 1, sol. I, in c. ; dist. XII, q. 2, a. 1, sol. II, ad 2^m ; q. 3, a. 1, sol. III, ad 2^m ; *Catena aurea in Matth., XXVI* (ed. VIVÈS, XVI, p. 458) ; *In Lc., XXII* (ed. VIVÈS, XVII, p. 337) ; *Expos. super Matth., XXVI* (ed. VIVÈS, XIX, p. 622) ; *Super Jo., VI* (ed. VIVÈS, XX, p. 47) ; *Super I Cor. XI*, lect. 4, 5 et 6 (ed. VIVÈS, XX, p. 726, p. 732 et p. 735).

(4) *Sum. Theol.*, III, q. 22, a. 3, ad 2^m.

(5) Cf. *De Civit. Dei*, X, 20 (PL., XLI, 298).

(6) *Sum. Theol.*, III, q. 83, a. 1, ad 3^m ; cf. etiam q. 22, a. 4, c. ; q. 78, a. 1, c. ; a. 4. c. ; q. 82, a. 1, c. ; a. 2, ad 2^m ; a. 3, c. ; a. 5, c. ; a. 7, ad 3^m ; q. 83, a. 1, ad 3^m ; a. 4, c. et ad 1^m ; *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. VIII, q. 2, a. 1, sol. II, ad 2^m et sol IV, ad 4^m ; *Catena aurea in Mc., XIV* (ed. VIVÈS, XVI, p. 632) ; *Expos. super Matth., XXVI* (ed. VIVÈS, XIX, p. 620) ; *Super Jo., VI* (ed. VIVÈS, XX, p. 47) ; *Super I Cor., XI*, lect. 5 (ed. VIVÈS, XX, p. 730 et p. 732).

« sicut quod ubique offertur unum est corpus et non multa corpora, ita et unum sacrificium » (1).

Aquinas nullibi ex professo, quod saltem quaestionem essentiae spectat, de sacrificio Eucharistico disserit, et definitionem sacrificii in genere, quam ipso duce supra elaboravimus, sacrificio Missae nusquam adaptat ; statim inde intelligitur quomodo ad interpretationem immolationis in sacramento, quam profitetur cum Augustino, haec subjungere possit, quae ceterum traditionem resumunt (2) : « Respondeo dicendum quod duplici ratione cele-

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 83, a. 1, ad 1m; haec verba, quae sunt s. J. Chrysostomi, a s. Thoma attribuuntur s. Ambrosio, uti jam saepius apud alios auctores etiam audivimus; cf. etiam *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. VIII, q. 2, a. 1, sol. IV, ad 4m et *Expos. super ep. ad Hebr.*, lect. 1 (ed. Vivès. XXI, p. 672).

(2) *Sum Theol.*, III, p. 83, a. 1, c. — Legimus in II-II, q. 85, a. 3, ad 3m : « Sacrificia proprie dicuntur quando circa res Deo oblatas aliquid fit : sicut quod animalia occidebantur (et comburebantur), quod panis frangitur et comeditur et benedicitur » ; haec verba, quae uncinis includuntur, in quibus cdd. addita fuere. Putamus autem hanc responsionem ad 3m, quacum quidam theologi, ut puta Scheeben, *Dogm.*, III, p. 402, theoriam destructionis sacrificalis impugnaverunt, potius VT. spectare, tum quia Angelicus in tota quaestione veterem legem imprimis prae oculis habet, tum etiam quia haec eadem verba, in quibus insuper nihil de vino dicitur, minime quadrant cum sententia, quam s. Thomas de Eucharistia tuetur. Sacrificium consecratione absolvi clare omnino docet (*Sum. Theol.*, III, q. 82, a. 10, c. et ad 1m), neque unquam de benedictione, sed semper de consecratione loquitur ; ab hac consecratione communionem clare secernit, quippe quae ad sacramentum potius quam sacrificium pertineat (*Sum. Theol.*, III, q. 79, a. 7, ad 7m) ; fractionem pariter, quae ad ritum sacrum facit, praetermitti posse docet (*Sum. Theol.*, III, q. 83, a. 6, ad 6m), neque ideo, ait, sacrificium imperfectum habebimus. In illo loco igitur Aquinas verisimilius legem veterem respicit, in qua, ad ritum puta paschalem, panis benedicitur, frangitur atque comeditur, ita ut haec benedictio, fractio et comestio unum efficiant sacrificium cum mactatione victimae, quae erat centrum totius actionis sacrae. Sacrificium porro quamdam destructionem involvere, indubitanter docet divus auctor in quaestione sequenti (q. 86, a. 1, c), et haec est ratio forsitan cur minus nunc in hac destructione insistat, quoniam praeprimis ostendere intendit sacrificium importare « aliquod sacrum facere », nam « hoc ipsum nomen sonat », dum « oblatio directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiam si nihil circa ipsum fiat : sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quos nihil fit » (q. 85, a. 3, ad 3m). Non obstat huic explicationi tempus praesens, quod, in oppositione ad tempus anteactum, in quo de victimis agitur, novum Testamentum indicare videri posset, nam in eodem contextu mox occurrit similis temporis mutatio : « Primitiae autem oblationes sunt, quia Deo offerebantur » (q. 85, a. 3, ad 3m). Immerito hunc textum ad sacrificium Eucharisticum refert Goetzmann, *Das Euch. Opfer nach der Lehre der älteren Scholastik*, p. 43, Freiburg in B., 1901, qui s. Thomam in sententiam Suarezii attrahere

bratio hujus sacramenti dicitur immolatio Christi. Primo quidem quia, sicut Augustinus dicit, ad Simplicianum (1), solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt : sicut cum, intuentes tabulam aut parietem pictam, dicimus, Ille Cicero est, Ille Sallustius. Celebratio autem hujus sacramenti... imago est quaedam repraesentativa passionis Christi, quae est vera immolatio... Alio modo, quantum ad effectum passionis Christi : quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicae passionis... Quantum igitur ad primum modum, poterat Christus dici immolari etiam in figuris veteris Testamenti,... sed quantum ad modum secundum, proprium est huic sacramento quod in ejus celebratione Christus immoletur ».

Luce clarius patescit s. Thomam in hoc loco immolationem cruentam res picere, quae in cruce obtinuit, et cujus haec immolatio in sacramento dici potest imago seu figura ; ideo, ait, eodem nomine designatur. Pluries adhuc eamdem ideam exprimit ; quia nimirum idem effectus in fideles dimanat, tum ex celebratione Eucharistiae, quae passionem repraesentat, quum ex ipsa passione Christi, quae semel tantum locum habuit, hac de causa dici potest Christum immolari nobis : « Passio Christi, prout in capite contingit, semel tantum in anno repraesentatur in Ecclesia ; sed prout in nos ejus effectus provenit, quotidie debet repraesentari, quia ejus effectus in nobis continuus est, et sic repraesentatur in hoc sacramento » (2).

Traditionem adhuc sequitur Angelicus, quando hanc repraesentationem, tum in ritu sacro (3), quum in fractione specierum requirit (4) ; duplicem speciem et duplicem consecrationem, cum antecessoribus suis pene universis, pariter sive ex plena nostra redemptione (5), sive adhuc ex integra hominis refectione expla-

satagit ; item MELCHIOR CANO, *De locis theologicis*, XII, 12, p. 422, 1746), qui ex hoc eodem loco sententiam suam fulcire conatur, qua fractionem ad essentiam sacrificii pertinere contendit.

(1) *De diversis quaestionibus ad Simplicianum*, II, III, 2 (PL., XL, 143).

(2) *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. XIII, q. 1, a. 2, sol. III, ad 1m ; cf. etiam *Sum. Theol.*, III, q. 22, a. 5, ad 2m ; q. 73, a. 3, ad 3m ; q. 83, a. 2, c., ad 1m et 2m ; et *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. XII, q. 3, a. 1, sol. III, ad 2m.

(3) Cf. *Sum. Theol.*, III, q. 83, a. 3, c. et ad 7m ; a. 5, c., ad 3m, 4m, 5m et 7m ; *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. XII, in exp. textus (ed. VIVÈS, X, p. 315); eadem ratione mixtionem aquae cum vino ante consecrationem exponit in *Sum. Theol.*, III, q. 76, a. 6, c.

(4) *Sum. Theol.*, III, q. 77, a. 7, c.; q. 83, a. 5, ad 7m; *Expos. super I Cor.*, *XI*, lect. 5 (ed. VIVÈS, XX, p. 732).

(5) *Sum. Theol.*, III, q. 74, a. 1, c.; q. 76, a. 2, ad 1m ; *Catena aurea in Matth.*, *XXVI* (ed. VIVÈS, XVI, p. 451) ; *Expos. super Matth.*, *XXVI* (ed. VIVÈS, XIX, p. 622) ; *Super I Cor.*, *XI*, lect. 5 (ed. VIVÈS, XX, p. 730).

nat (1). At vero, quasi per transennam, et quin rem dirimere videatur, reipsa principia ponit, quibus quaestionem essentiae Missae decretorie solvit.

* * *

Duplicem enimvero distinguit respectum : primum, quo celebratio Eucharistiae dici potest verum sacrificium; alterum, quo hoc idem sacrificium, essentialiter relativum explicatur.

Eucharistia nimirum « rationem sacrificii habet in quantum offertur » (2), nam « oblatio pertinet ad rationem sacrificii » (3), sed etiam « in quantum in hoc sacramento repraesentatur passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo,... habet rationem sacrificii » (4); insuper « in consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur » (5), at simul « repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari » (6), siquidem « hoc valet ad repraesentandam passionem Christi, in qua seorsum sanguis fuit a corpore » (7).

Eodem actu perficitur sacramentum, offertur sacrificium, repraesentatur passio, ita ut celebratio Eucharistiae, quae est confectio sacramenti, simul « rationem habeat sacrificii », et in quantum offertur, et in quantum passio repraesentatur.

Angelicus itaque prima vice utrumque elementum, quod ab initio Traditionis reperimus, tam intime conjungit ut dicendum videatur Missam per hoc idem, per quod constituitur in ratione sacrificii, per hoc idem constitui in ratione sacrificii commemorativi, quod in parte tertia intimius explicandum habebimus.

Relationem sumptionis Eucharistiae seu communionis ad actum consecrationis eadem acribeia exponit s. Thomas : haec sumptio

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 73, a. 2, c. et ad 2m ; q. 74, a. 1, c. ; q. 76, a. 2, ad 1m ; *Catena aurea in Matth.*, *XXVI* (ed. Vivès, XVI, p. 450) ; *Expos. super Matth.*, *XXVI* (ed. Vivès, XIX, p. 622) ; *Super I Cor.*, *XI*, lect. 5 (ed. Vivès, XX, p. 730).

(2) *Sum. Theol.*, III, q. 79, a. 5, c. ; cf. etiam a. 7, c.

(3) *Ibidem*, a. 7, ad 3m.

(4) *Ibidem*, in c. ; cf. etiam q. 73, a. 4, ad 3m.

(5) *Ibidem*, q. 82, a. 10, c. ; item ad 1m : « hoc sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiae, in qua sacrificium Deo offertur ».

(6) *Ibidem*, q. 80, a. 12, ad 3m.

(7) *Ibidem*, q. 76, a. 2, ad 1m ; cf. etiam q. 74, a. 1, c. ; q. 77, a. 3, ad 2m et 7m ; q. 80, a. 12, ad 3m; *Sum. contra Gentes*, IV, 61; *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. VIII, q. 2, a. 2, sol. I, ad 2m et a. 4, sol. I, ad 1m ; *Expos. super I Cor.*, *XI*, lect. 6 (ed. Vivès, XX, p. 735).

« quae pertinet ad rationem sacramenti » (1), sacrificium complere debet ; « quale (enim) erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur » ? (2) Attamen, quia repraesentatio, quae ad sacrificium spectat, expressius in consecratione obtinetur, ideo, sacrificio oblato et sacramento constituto, ipsum sacramentum dici potest « sacramentum perfectum dominicae passionis, tanquam continens ipsum Christum passum » (3) ; vocatur etiam « memoriale dominicae passionis » (4), et « seorsum sumitur panis ut sacramentum corporis, et vinum ut sacramentum sanguinis » (5).

* * *

Traditionis venerabundus igitur s. Thomas nullum elementum respuit, quod apud antecessores suos tam solerter conservatum reperit ; nihilominus dum eorum vestigia presse sequitur, ideas et definitiones receptas ad meliorem formam tacite redigit, atque ad systema maxime sibi cohaerens reducit.

Inde a s. Isidoro in Schola docebant cum s. Augustino : sacrificium dicitur « quasi sacrum factum » ; ita etiam scribit Aquinas : « In omnibus etiam sacramentis fit aliquid sacrum », « quod, ait, pertinet ad rationem sacrificii » (6) ; sed, quando ex professo agit de sacrificio, scite advertit : « Sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum », nam « hoc ipsum nomen sonat » (7), et intimius adhuc rem exponit : « Quod si aliquid exhibeatur in cultum divinum quasi in aliquod sacrum quod inde fieri debeat consumendum, et oblatio est et sacrificium » (8).

Ita similiter, quod repraesentationem sacrificii cruenti spectat, cum traditione dicere non recusat hanc repraesentationem expli-

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 79, a. 7, ad 3m.

(2) *Ibidem*, q. 80, a. 12, ad 1m ; ita juxta *Conc. Tolet. XII*, cap. 5 (HARDUINUS, *Acta Conc.*, III, 1721 s , Parisiis, 1715 ; cf. etiam HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des conciles*, III, 1, p. 544, Paris, 1909). Textus, quem invocat s. Thomas, prostat pariter apud documentum, quod attribuitur s. Ivo. CARNOT, *Decretum*, II, 114 (PL., CLXI, 191) et item apud GRATIAN., *Decret.*, III, II, II (PL., CLXXXVII, 1736) : « Quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur ? » — Ed. rom. legit : « ubi nec ipse sacrificans esse dignoscitur » ; verum, s. Thomas verisimilius respicit decreta laudata.

(3) *Sum. Theol.*, III, q. 73, a. 5, ad 2m ; cf. etiam a. 6, c. et *Expos. super Jo.*, *VI*, lect. 6 (ed. VIVÈS, XX, p. 47).

(4) *Sum. Theol.*, III, q. 73, a. 5, ad 3m, vide adhuc *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. VIII, q. 1, a 3, sol. III, ad 1m.

(5) *Sum. Theol.*, III, q. 74, a, 1, c. ; cf. *Sum. contra Gent.*, IV, 61.

(6) *Sum. Theol.*, III, q. 73, a. 4, ad 2. *praeterea*.

(7) *Ibidem*, II-II, q. 85, a. 3, ad 3m.

(8) *Ibidem*, q. 86, a. 1, c.

candam esse, tum ex caerimoniis sacris, quum ex effectu hujus sacrificii incruenti, quo participes efficimur fructus dominicae passionis ; postea vero, rem penitius perpendens, sacrificium docet ipsa consecratione absolvi, ideoque « repraesentatio Dominicae passionis agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari » (1), propterea quod « hoc valet ad repraesentandam passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis a corpore » (2).

Nullibi tamen magis apparet necessitas ut testimonium s. Thomae in connexione cum doctrina traditionali examinemus, quam in quaestione ubi requirit utrum Christus in Eucharistia immoletur. Et revera in hac disceptatione ad litteram fere resumit ratiocinium Algeri, scholastici leodiensis, qui expresse docet immolationem Christi in Eucharistia admittendam esse, quoniam ritus Eucharisticus « passionem et mortem (Christi) quadam sua similitudine figurando repraesentat », et etiam quia in eodem ritu quotidie a peccatis nostris emundamur. Eadem asserta apud omnes magistros antiquiores Scholae, et ita notatim apud Petrum Lombardum repetuntur ; nihil mirandum igitur quando eamdem doctrinam apud Aquinatem legimus. Christus, ait, in Eucharistia immolatur, quia celebratio hujus sacramenti est quaedam imago repraesentativa passionis, quae fuit vera ejus immolatio, et insuper, quoniam per hoc sacramentum fructus dominicae passionis participes efficimur. Quantum ad primum modum, addit, poterat dici Christum immolari etiam in figuris VT., sed quod alterum modum spectat, proprium est huic sacramento quod in ejus celebratione Christus immoletur.

Jamautem aliunde docet : « hoc sacramentum... rationem sacrificii habet in quantum offertur » et etiam « in quantum in hoc sacramento repraesentatur passio Christi... habet rationem sacrificii » ; utrumque vero in consecratione obtinet.

His positis, advertimus primo, Angelicum nullibi asserere celebrationem Eucharistiae habere rationem sacrificii, in quantum in eadem meritum passionis nobis applicatur, quamquam proprium dicit huic sacramento, secundum hunc modum applicationis fructuum, quod in ejus celebratione Dominus immoletur ; quinimmo, in eadem quaestione, in qua docet : « in quantum in hoc sacramento repraesentatur passio Christi... habet rationem sacrificii », manifeste distinguit effectum ab ipsa oblatione : « sic ergo, prosequitur, hoc sacramentum sumentibus quidem prodest et per modum sacramenti

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 80, a. 12, ad 3m.
(2) *Ibidem*, q. 76, a. 2, ad 1m.

et per modum sacrificii, quia pro omnibus sumentibus offertur... Sed aliis qui non sumunt, prodest per modum sacrificii, in quantum pro salute eorum offertur ». — Prodest... in quantum offertur, sed nullatenus offertur in quantum prodest.

Secundo, quod primam partem prioris testimonii attinet, dici potest, secundum Aquinatem, Christum immolari in figuris VT., quia sacrificia veteris legis praefigurabant immolationem cruentam crucis ; sed haec sacrificia antiqua non erant vera sacrificia, quia praefigurabant passionem. Atqui, ita pronuntiat s. Thomas : ea ratione, qua oblationes istae antiquae praefigurabant sacrificium cruentum crucis, qua igitur Christus in iis immolari dici poterat, nempe in figura et imagine, eadem ratione sub nova lege celebratio Eucharistiae dici potest immolatio Christi, quia Dominus in ea immolatus repraesentatur.

Si comparationem et ipsum textum urgere vellemus, concludere oporteret sacrificium Eucharisticum non esse sacrificium verum, sed imago quaedam sacrificii quondam peracti, adeoque patescit necessitas ut hunc priorem locum ex traditione Scholae assumptum, ex aliis testimoniis intimius intelligamus.

Affirmat autem s. Thomas, quando proprie loquitur : celebrationem Eucharistiae habere rationem sacrificii in quantum in eadem celebratione Christus offertur, et in quantum in eodem ritu sacro passio et mors Christi repraesentantur. Haec celebratio igitur non est mera imago immolationis Christi, immolationis scilicet cruentae, sed vere in eodem ritu offertur Dominus et immolatur non in seipso, seu in specie propria, uti ipse discernit Aquinas, sed in sacramento et in specie aliena ; eodem autem ritu sacro repraesentatur passio Christi, quae fuit vera ejus immolatio, scilicet cruenta.

* * *

Sufficiat autem nunc ipsum s. Thomam audiisse ; doctrinam ejus in conclusione hujus sectionis breviter recapitulabimur, sed in fine hujus inquisitionis adhuc opinionem J. D. Scoti adjicere placet, ne ullum auctorem scholasticum magni nominis praetermittamus.

Verum offerri sacrificium in celebratione Eucharistiae indubie tenet doctor subtilis, et hoc idem cruentae oblationis commemorativum pariter profitetur (1). Quod relationem communionis ad sacri-

(1) J. Duns Scotus (+ 1308), *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. VIII, q. 3, n. 4 (in t. VIII, p. 460, Lugduni, 1639) ; *Quaest. quodlib.* XX, 2 et 22 (ed. lugd., XII, p. 515 et p. 529).

ficium spectat, « quotiescumque, ait, sacerdos corpus et sanguinem immolat, toties perceptionis corporis et sanguinis participem se praebeat » (1) ; haec praecepit Dominus et postulat integritas sacramenti, et ita fideliter traditionem sequitur. Ab eadem autem recedit, quum affirmat : « Christus, etsi hic offeratur ut contentus in sacrificio, non tamen hic immediate offert sacrificium » (2) ; sacerdos nihilominus, addit, non offert in persona propria, sed magis in persona Ecclesiae, cujus existit minister, quia « nemo dicit in ipsa consecratione : offero, sed offerimus, quasi ex persona Ecclesiae » (3).

* * *

Haec satis erunt de doctrina Scholae, quam his verbis resumimus :

Traditionis depositum fideliter conservaverunt auctores, qui scripserunt inde ab aevo patristico exeunte ad incipientem magnam aetatem scholasticam, licet etiam in attribuendis textibus patristicis tali talive s. doctori, plerique erraverint. Testimonia eorum, per summas lineas, in hoc capite III consignavimus, ut videremus

(1) *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. VIII, q. 3, n. 4 (ed. lugd., VIII, p. 460).

(2) *Quaest. quodlib.* XX, 22 (ed. lugd., XII, p. 529).

(3) Haec sunt verba P. Lombardi, *Lib. IV Sent.*, dist. XIII, 1 (ed. crit., IV, p. 300, 1), quae Scotus plane acceptat, sed illa magis explicat, et in hac explicatione a recta traditione deflectere videtur; docet nihilominus Christum ut summum sacerdotem Eucharistiam offere ; ita *Quaest. quodlib.* XX, 2 (ed. lugd., XII, p. 515). — In commentario ad hunc textum Magistri addit doctor subtilis (ed. lugd., VIII, p. 811) : « Oblatio non pertinet ad rationem consecrationis, nec necessario requiritur, quod offeratur : offertur enim hostia non consecrata, et tunc est sacrificium non sacramentum : sicut Eucharistia conservata in pyxide est sacramentum, licet non ut ibi sit sacrificium, nisi aptitudinaliter ». Ex his verbis concludit Vasquezius, *o. c.*, disp. 222, cap. I, n. 2, essentiam sacrificii, secundum opinionem Scoti, perfici oblatione verbali, quam profert sacerdos post consecrationem; at vero ut recte intelligatur textus doctoris subtilis oportet eum conferre cum verbis Hispalensis, qui praeter definitionem propriam sacrificio Eucharistico, adhuc aliam proponit notionem sacrificii generice sumpti hisce terminis : « Sacrificium autem est victima et quaecumque cremantur in ara seu ponuntur » (*Etym.*, VI, xix, 30). Indubium nimirum videtur, etiam juxta Scotum, celebrationem Eucharistiae essentialiter consecratione absolvi, uti constat ex verbis supra laudatis, ad dist. VIII, q. 3, n. 4 (ed. lugd., VIII, p. 460); consecratio, ex textu et contextu Scoti, manifeste audit sacrationem sive sacramenti confectionem, adeoque ad illam formaliter sumptam, secundum distinctionem sacramentum inter et sacrificium, quam nitide proponit Angelicus, reapse non pertinet oblatio ; quando Scotus contendit ad sacrificium sufficere oblationem, sive haec ante consecrationem, sive post consecrationem obtineat, tunc definitionem Hispalensis prae oculis habuisse videtur, uti modo animadvertimus.

quomodo principia solutionis praeparaverint, quae apud s. Thomam Aquinatem legimus.

Duplex erat difficultas : prima, quomodo in celebratione Eucharistiae *verum habeatur sacrificium; secunda, quomodo* hoc idem sacrificium sit *essentialiter relativum* ad sacrificium crucis, imo unum atque idem sacrificium cum oblatione cruenta, uti explicite professus est s. Jo. Chrysostomus, in interpretatione textus epistolae ad Hebraeos. Ad has difficultates enodandas parum contulerunt scriptores prioris partis hujus periodi ; responderunt plerumque cum ipsis testimoniis s. Augustini et s. J. Chrysostomi, et commemorationem passionis in caerimoniis sacris, potius quam in ipsa oblatione sacrificii et in consecratione reposuerunt. Distinctam autem consecrationem hac ratione explicuere, quod hominem integrum, qui corpore constat et anima, redemptum fuisse in eadem signatur, aut quod cibum et potum supersubstantialem christianis subministrari oportet. Hinc inde apparuit quoddam conamen solutionis, praesertim ut priorem difficultatem expenderent, et revera apud Algerum quamdam explicationem sat dilucidam obviavimus.

Quoad alteram difficultatem, cum testimonio s. Chrysostomi semper replicant, atque ad Halensem pervenimus, priusquam memoriam passionis in distincta consecratione requirendam esse audiamus; hanc affirmationem quasi per transennam adhuc affert Alexander Halensis, itaque ad s. Thomam properamus, qui prima vice rem systematice proponit, quamvis ex professo solummodo de sacramento Eucharistico scribat.

Angelicus primo,ipsam definitionem sacrificii dilucide enucleat, et ab oblatione stricte sumpta discernit ; Eucharistia autem, ait, offertur ut sacrificium. *Offeruntur nimirum corpus* et *sanguis Christi per sacerdotes, qui vice funguntur Domini, in cujus verbis et virtute ad consecrandum procedunt ;* offertur ipse Christus et *immolatur mystice, non in seipso, sed in sacramento*, (secundum formulam s.Augustini), sed *verum nihilominus est sacrificium;* quinimmo, celebratio Eucharistiae est sacrificium, *in quantum Christus in hoc ritu sacro offertur.* Quid sit offerri, et offerri ut sacrificium, ex Summa Theologica, in II-II, perspicue novimus, itaque nullum dubium subesse potest, quin definitionem sacrificii, in II-II propositam, Eucharistiae applicandam esse censeat.

Attamen celebratio Eucharistiae adhuc *rationem habet sacrificii, scilicet relativi, in quantum* in eodem ritu sacro *mors et passio Christi repraesentantur.* Haec autem repraesentatio obtinetur *in eadem consecratione*, qua sacrificium vere offertur, *quando videlicet corpus et sanguis Christi seorsim consecrantur.*

His rite perpensis, et attenta insuper Traditione, de qua supra diximus, cum authentica declaratione Ecclesiae, de qua statim disputabimus, haud difficili negotio quaestionem de essentia sacrificii dirimere licebit.

Ex intento praetermisimus rationes et argumenta, quae a Renz (1) et Goetzmann (2) congesta fuere, ut opinionem convivii sacrificalis aut sententiam immutationis perfectivae ex auctoritate Scholae comprobarent. Scholastici quaestionem nostram de essentia sacrificii Missae revera per transennam tantummodo tractaverunt; tempus itaque et oleum deperdunt auctores, qui unam alteramve ex diversis sententiis, inde a Concilio Tridentino disputatis, *expositam ex professo* in doctrina Scholae reperire cupiunt; suam enim theoriam potius in textus introducunt, et postquam doctores Scholae in suas partes attraxerint, eosdem sequi gloriantur.

Sectio IV.

Doctrina Concilii Tridentini.

In hac sectione dicemus de definitione Ecclesiae in Concilio Tridentino prolata, atque, quum non parum importet adjuncta historica prae oculis habere, in quibus doctrina authentica statuitur, simul disputationes praevias examinabimus; supponimus adhuc nota haec reformatorum placita, quae in parte prooemiali succincte delineavimus. In articulo primo tractabimus de praeparatione definitionis a. 1551-1552; in articulo secundo agemus de textu approbato et definito a. 1562, et ejus sensum intimiorem determinabimus.

Art. 1. — Disputationes praeviae a. 1551-1552.

Doctrina catholica de ss. Missae sacrificio, quae in sessione XXII, die 17 Septembris 1562, sub Pio IV, fuit definita, jam post sessionem XIV, sive IV sub Julio III, a. 1551, theologis proposita fuerat examinanda in decem articulis, quorum primum, secundum et tertium, quae materiam nostram magis spectant, transcribere juvat.

In his articulis resumebantur placita reformatorum, qui asseverabant :

(1) Renz, *Geschichte*, I, p. 621 s.

(2) Goetzmann, *Das Eucharistische Opfer nach der Lehre der älteren Scholastik*, p. 21 s., Freiburg in B., 1901. — Hic auctor quaedam solummodo testimonia affert, et saepe suam theoriam potius quam textum legit.

1. « Missam non esse sacrificium, nec oblationem pro peccatis ; sed tantum commemorationem sacrificii in cruce peracti ; vocari autem a patribus translato nomine sacrificium ; at vere et proprie non esse, sed tantum testamentum et promissionem remissionis peccatorum ».

2. « Missam non esse ex evangelio, neque a Christo institutam ; sed inventam ab hominibus ; neque eam esse opus bonum aut meritorium ; imo in ea committi manifestam et multiplicem idololatriam ».

3. « Blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto si quis credat Dei Filium denuo a sacerdotibus in Missa Deo Patri offerri ; Christumque pro nobis mystice immolari et offerri, non aliud esse, quam illum nobis ad manducandum dari. Et Christum illis verbis : Hoc facite in meam commemorationem, non ordinasse ut apostoli offerrent corpus et sanguinem ejus in sacrificio Missae » (1).

* * *

In prima congregatione theologorum, die 7 Decembris, istos articulos examini subjecit J. Laynes (2), orator pontificius. « Quoad primum (articulum) probavit Eucharistiam in Missa esse sacrificium, primo ex Malachia », et permulta in eamdem sententiam adduxit Patrum testimonia, quae nosmetipsi in capite praecedenti satis indicavimus. Deinde verba I Cor., V, 7 : « Expurgate vetus fermentum... Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus », de Eucharistia interpretatus, hanc statuit conclusionem : « At in cruce immolatum Christum non edimus ; ergo immolatum in Eucharistia ». Eadem ratione arguit ad textum I Cor., X, 14 s. : « Si immolata in lege reponebantur in altari suo, et immolata idolis a gentibus edebantur ; ergo et corpus Domini, quod est in mensa sacra, id est in altari ». Testimonium epistolae ad Hebraeos, XIII, 10, dixit Eucharistiam respicere, et ad textum s. Lc., XXII, 20, in

(1) A. Theiner, *Acta genuina ss. oecumenici Concilli Tridentini, sub Paulo III, Julio III et Pio IV PP. MM., ab Angelo Massarello, episcopo thelesino, ejusdem Concilii secretario, conscripta*, I, p.602, Zagrabiae (Croatiae), 1874.— Infra pluries invocabimus : J. Le Plat, *Monumentorum ad historiam Concilii Tridentini amplissima collectio*, I-VII (speciatim IV et V), Lovanii, 1781-1787 ; P. S. Pallavicini, *Vera Concilii Tridentini historia* (trad. J. B. Giattino), Antverpiae, 1673 ; item F. Paolo Sarpi, *Histoire du Concile de Trente* (trad. P. F. Le Courayer), Amsterdam, 1736.— Historia Pallavicini concinnata fuit adversus falsam Petri Suavis Polani narrationem ; ita, uti notum, impetitur historia, quam sub hoc nomine conscripsit F. P. Sarpi.

(2) Cf. Theiner, *o. c.*, I, p. 603 s.

tempore praesenti legendum voluit : « qui effunditur », itaque per hanc ipsam formulam jam sacrificium actu oblatum signari professus est.

Multis modis, ait Laynes, repraesentatur immolatio cruenta, quae in cruce obtinuit, per hanc incruentam, quae in altari perficitur, neque tamen haec illi derogat, nam « hoc sacrificium ab illo vim habet et est praemium illius », quandoquidem per illud « satisfit justitiae Dei, et per hoc illa Christi mors nobis applicatur ».

* * *

Altera die de eadem materia disputavit Ruardus Tapper (1), decanus et cancellarius lovaniensis, qui ab exordio orationis suae ad nodum totius controversiae accedens, quoniam, inquit, « adversarii a decennio scripserunt volumina de sacrificio Missae, et non definierunt sacrificium quid sit, ideo nos id quid sit primum definiamus » (2).

Definitione s. Augustini assumpta : « Verum sacrificium est omne opus quod agitur ut sancta societate inhaereamus Deo », haud arduo negotio demonstravit Missam esse sacrificium secundum hanc definiendi rationem ; attamen rem altius prosecutus, oblationem sacrificam in consecratione reponendam asseveravit (3) : « Christus igitur seipsum, hoc est corpus et sanguinem suum consecrando, sanctificavit et Patri obtulit, ut sanctificaret et conjungeret sibi apostolos esu et potu sacramenti ad Patris gloriam et reverentiam, quid enim magis ad Patris cultum et reverentiam fieri potuit, quam quod ex Patris mandato et obedientia esset sub vili tegumento specierum panis et vini ad pascendum electos a Patre, et in pretium usque finem mundi pro eis et eorum peccatis offeratur praesentandum hic a suis ministris Patri in memoriam mortis suae ; et in hac consecratione sacrae Eucharistiae proprie consistebat sacrificium Christi... et etiam oblatio sine qua non potest fieri sacrificium, cum omne sacrificium sit oblatio, ut idem dicit (s. Thomas) », cujus auctoritatem modo jam invocavit Tapper, ut sacrificium in consecratione reponeret (4).

(1) Integra oratio prostat apud Le Plat, *o. c.*, IV, p. 337 s. ; cf. H. De Jongh, *L'Ancienne Faculté de Théologie de Louvain au premier siècle de son existence (1432-1540)*, p. 180, Louvain, 1911.

(2) Le Plat, *o. c.*, IV, p. 339.

(3) *Ibidem*, p. 340.

(4) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 3, ad 3m (non ad 2m, uti indicatur apud Le Plat, *o. c.*, IV, p. 340) ; Tapper etiam invocat *Sum. Theol.*, III, q. 82, a. 4, ad 1m et q. 80, a. 12, ad 3m (non autem a. 11, uti legitur apud Le Plat, *l. c.*).

« Texit enim (Christus) », ita Ruardus paulo infra, « suam immolationem sub sacramento, quam in cruce consummavit, tota tamen ejus vita perpetua fuerat sui immolatio in Patris gloriam pro nostris peccatis, et bonis impetrandis, nec solum consecrando et sacrificando obtulit, sed post consecrationem, quamdiu sub speciebus mansit se Patri offerebat, magis animi destinatione quam externa aliqua caeremonia. Est igitur Christus in sacra Eucharistia sacrificium ut in ea est, et proprie sacrificium, quod fit, quando id quod offertur afficitur intrinsecus aliqua qualitate vel nova dispositione : nam in hoc sacrificio non solum panis et vinum tanquam verum sacrificium transeunt in corpus et sanguinem Christi, sed et Christus accipit ibi novum esse sacramentale, quale in coelis non habetur, et fit quod prius erat panis et vinum » (1).

Hoc sacrificium institutum est quando Christus praecepit : « ut faceremus ex pane corpus, quod datur, hoc est offertur formali locutione... Quando igitur Christus seipsum Patri in coena obtulit sub sacramento, in hoc implens functionem sacerdotii secundum ordinem Melchisedech,... ac ipse jussit ut faceremus quod fecerat ipse, sequitur quod ex ejus instituto debemus et nos sacrificare et offerre in memoriam mortis ejus » (2).

« Quod autem habet primus articulus : Missam esse tantum commemorationem sacrificii in cruce peracti, vocari autem a patribus translato nomine sacrificium, verum esset, nisi adderetur particula « tantum », est enim vere commemoratio, vel potius juxta verba Domini in commemorationem mortis Domini et sacrificii in cruce peracti. Est tamen vere sacrificium in altari, et in dexteris Patris sedens, sed commemoratum sacrificii in cruce peracti, sicut agnus paschalis et sacrificia legis vere sacrificia erant, et figurabant

(1) Le Plat, *o. c.*, IV, p. 341 ; eamdem doctrinam ad litteram plerumque, legimus apud *Explicationis articulorum venerandae Facultatis Sacrae Theologiae generalis studii Lovaniensis circa dogmata Ecclesiastica ab annis triginta quatuor controversa, una cum responsione adversariorum*, tom. II, p. 400 s., ad articulum XVI, Lovanii, 1557 ; tomus I prodiit a 1555. — In praefatione ad t. I editionis anni 1555, circa finem, exponit Tapper quemadmodum « imperitus quispiam auditor, qui ea excipiebat quae suo sapiebant palato, idque confuse admodum, aliis, quae potiora erant, omissis », praelectiones suiipsius Ruardi typis excudi curaverit ; prodiit reapse *Declaratio articulorum a veneranda Facultate Theologiae Lovaniensis adversus nostri temporis haereses, simul et eorumdem approbatio* per eruditissimum virum s. Paginae professorem D. Ruardum Tappaert, ab Encusia, ecclesiae collegiatae S. Petri Lovan. decanum, necnon florentissimae Academiae cancellarium, de religione christiana optime meritum, Lugduni, 1554 ; cf. De Jongh, *o. c.*, p. 184.

(2) Le Plat, *o. c.*, IV, p. 341.

tanquam prognostica sacrificium crucis et sacrificium Missae » (1). « Sed non solum translato nomine Patres dicunt Eucharistiam esse sacrificium, sed etiam proprie, quod ipsi adversarii non diffitentur... Ex dictis patet falsitas primae partis secundi articuli, si intelligamus nomine Missae substantialia ejus, quae sunt consecratio Eucharistiae sub duabus speciebus, oblatio et oblati sumptio : haec enim tria Christus ordinavit et fieri praecepit, quamvis de sumptione doctores quidam dubitant, scilicet an sit juris divini, quod sacerdos celebrans utramque speciem in Missa sumat » (2).

*
* *

Post Ruardum, dixit Melchior Cano, qui pariter a definitione sacrificii coepit. « Proprie sacrificium est, ait, cum res sacra offertur, et res ipsa efficitur et sacerdos efficit cum ceremonia sacra » (3). Cum apud Theiner sententiam Cani succincte contractam tantum habeamus, praestat adhuc inspicere dissertationem hujus de Locis theologicis, in qua non pauca argumenta quae in Concilio proposuit, resumuntur, et latius evolvuntur.

Iisdem praemissis principiis ita scribit : « Non itaque quodcumque opus sacrum, quicumqueve religionis ritus est sacrificium », sed illa « specialis religionis ceremonia, in qua res Deo sacra vel per sanguinem, vel per ignem, vel alio quovis modo conficitur » ; postulatur insuper ut res sacra Deo offeratur ; quamquam etenim « in sacrificio hostiam esse oportet quae Deo immoletur,... tunc vero primum hostia nuncupatur, cum offertur » (4).

(1) Le Plat, *o. c.*, IV, p. 343.

(2) *Ibidem*, p. 343 s. — Quamvis Ruardus inhaesitanter profiteatur : « Christus igitur seipsum, hoc est corpus et sanguinem suum consecrando, sanctificavit et Patri obtulit », qua doctrina cum Angelico plane consentit, nihilominus videtur adhuc distinctam aliquam agnoscere oblationem ad verba : « Unde et memores, nos servi tui... offerimus praeclarae majestati tuae » ; hanc oblationem comparat cum oblatione quae fiebat a summo pontifice sub vetere Testamento, quando « in die expiationis cum sanguine intrabat sancta sanctorum et aspergebat contra propitiatorium septies de sanguine vituli et etiam hirci, qui prius immolati erant et occisi circa altare holocaustorum » ; cf. Le Plat, *o. c.*, IV, p. 342 et *Explic.*, II, p. 411. — Attamen Ruardus certo certius hinc inde oblationem audit sensu etymologico, ita vg. *Explic.*, II, 409 et clarius adhuc in oratione, quae legitur apud Le Plat, *o. c.*, IV, 340, itaque forsitan cum hac explicatione quasdam considerationes Tapperi audire oportebit, ut puta, quae dicit de oblatione, quae tamdiu perdurat, quamdiu species in altari perseverant.

(3) Cf. Theiner, *o. c.*, I, p. 607 s.

(4) Melchior Cano, *De locis theol.*, XII, 12, p. 404, Bassani, 1746. — Paulo infra, p. 405, haec addit : « Scite ergo, et praeclare s. Thomas

Cano praeterea duplex distinguit sacrificium in Missa : « externum scilicet seu specierum panis et vini », et « sacrificium interius corporis et sanguinis Christi, quod Deo Patri sub speciebus illis potissimum offerimus » ; et ita quattuor partes sacrificii enumerare potest « unam consecrationem corporis et sanguinis », qua res sacra conficitur ; « alteram oblationem », qua majestati divinae offerimus hostiam puram, sanctam et immaculatam ; « tertiam fractionem », quae tam necessaria videtur ut « ante fractionem nondum expletum sit sacrificium », quandoquidem ad integritatem externi sacrificii facit ; ac « postremo consumptionem », quae sacrificium perficere debet (1).

Passio Domini commemoratur pariter in fractione specierum et in communione ; attamen magis repraesentatur immolatio Christi in ipsa consecratione, quae hac repraesentatione nihilominus non absolvitur ; et revera « in separatione sanguinis a corpore mors significari potest, non autem proprie significatur hostia, nisi corpus, quod moritur, offeratur » (2).

Juxta verbum Domini, qui in tempore praesenti locutus : « Hoc est, inquit, corpus meum... quod pro vobis datur ;... hic est sanguis.... qui pro vobis effunditur », admittendum est non « sacramentum (seu species) quidem solum, sed verum etiam corpus Christi sacerdotum manibus frangi », itaque corpus incruente immolari et sanguinem mystice effundi tenere oportet. Haec immolatio, quamquam incruenta, mortem tamen involvit, quam Cano mysticam appellat : « Quale fuerit sacrificium, talis est requirenda mors, ut si illud cruentum est, haec etiam sit cruenta : sin illud incruentum erit, mors quoque erit mystica et incruenta, id est, effectus mortis, ceu nunc praesens adesset. Satis est enim ut vere et proprie sit

admonuit, in eo sitam esse rationem sacrificii si circa rem Deo oblatam quicquam fieret, quo res ipsa sacra quodammodo conficeretur » ; hoc « sacrum facere » vario modo obtineri potest, ut puta, ait : « si (sacerdos) animalis fundebat sanguinem, si thus ardere faciebat, si conterebat frumentum, si oleo similam conspersam frigebat in sartagine : tum demum vere sacrificium faciebat ».

(1) *De locis theol.*, XII, 12, p. 407, p. 410, p. 421, p. 423 et p. 430 ; uti de fractione agit, Angelicum in suam partem attrahere conatur, at quum Aquinas aperte doceat (*Sum. Theol.*, III, q. 83, a. 6, ad 6m) sacrificium ante fractionem perfectum esse, testimonium invocat Cano ex *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 3, ad 3m : « Sicut panis frangitur... », quo loco, uti advertimus, supra, p. 382. minus constat utrum necne s. Thomas ibidem Eucharistiam respiciat.

(2) *Ibidem*, XII, 12, p. 410.

sacrificium, quod ita nunc ad peccati remissionem applicetur, ac si nunc Christus ipse moreretur » (1).

* * *

Omnium theologorum ad unum, qui de eisdem articulis, ad nostram materiam pertinentibus, dixerunt, sententiam inserere non juvat (2), quoniam eadem argumenta saepius repetunt, licet alii magis sacrificium verum, alii potius relationem ejusdem ad cruentam crucis mactationem defendant. Multi ex I Cor., X, 14 s. arguunt, et omnes, si unum excipimus, verba « qui effunditur » ad sacrificium actu in coena oblatum referunt. Hoc fuit sacrificium secundum ordinem Melchisedech ; verum Pascha, quod omnes oblationes antiquas abolevit ; secundum Malachiae prophetiam offertur hoc idem sacrificium quotidie, et in ipso, ait Judocus Ravensteyn (3), omni die in mysterio patitur et frangitur, quoties commemoratio mactationis cruentae celebratur. Unum tamen est hoc sacrificium incruentum, pergit Tiletanus, « cum illo quod in cruce oblatum est ; offertur enim utrobique Christi mors et passio,... sive idem ipse Christus, et tantum in modo offerendi (indicari potest) differentia ». — Sacerdos ceterum « non suo nomine..., sed Ecclesiae, imo non tam Ecclesiae nomine, quam ipsius Christi vice et loco offert ».

Ultima theologorum congregatio fuit die 29 Decembris, et quamvis multi adhuc theologi dicere debuissent, instante die

(1) *De locis theol.*, XII, 12, p. 419 ; vide etiam p. 410 et p. 431 s. — Ita et s. Thomam audivimus docentem : Christus in Eucharistia immolatur «quantum ad effectum passionis,..- quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicae passionis » (*Sum. Theol.*, III, q. 83, a. 1, c.). — Has assertiones Melchioris Cani eo scopo tantum referimus, ut intimius mentem theologorum penetremus, qui in Concilio Tridentino judicia sua protulerunt, nec inquirimus quidnam in iis elucubrationibus verum, quidnam minus adaequatum videatur. Uti autem prima fronte patescit, Canus, analysi notionis sacrificii sat accurate instituta, in synthesi mox nimis insistit in oblatione, dum Aquinas e contra sedulo sacrificium ad oblationem, tanquam speciem ad genus, refert ; in applicatione definitionis ad Eucharistiam apud Canum haud pauca claudicant, ita puta quae de fractione specierum addit ; tales autem deductiones ex necessitate ad objectiones respondendi partim intelliguntur. Cf. Theiner, *o. c.*, I, p. 609 s.

(2) Cf. Theiner, *o. c.*, I, p. 610 s.

(3) Integrum judicium Tiletani refertur apud Le Plat, *o. c.*, IV, 350 s. — Apud Theiner, *o. c.*, I, p. 612 s., videsis orationem breviter contractam, quam habuit Sonnius (Fr. Vande Velde seu a Campo), die 10 Dec.— Judocus Ravensteyn, Tiletanus, dixit die 11 ejusdem mensis ; de his auctoribus cf. De Jongh, *o. c.*, p. 267 ; p. 57*, n. 1 et p. 61*, n. 5.

sessionis praefixa, finis impositus est « examinationi praescriptorum articulorum quoad ipsos theologos : praesertim cum jam satis abunde ab iis, qui hactenus locuti sunt, articuli ipsi fuerunt discussi, enucleati atque examinati » (1).

*
* *

His absolutis a. 1551 exeunte, jam ineunte a. 1552, doctrina de sacrificio Missae, adjectis censuris per theologos in examinatione articulorum factis, Patribus communicata erat, ut insequentibus diebus, in congregatione generali, crisi subjiceretur (2).

Patres porro nihil novi argumentis vel explicationibus theologorum addiderunt (3), sed quam plurimi institerunt ut idem proclamaretur sacrificium Eucharisticum cum illo crucis, quippe quum illud ab hoc tantum differat modo (4). Episcopus feltrendis petivit ut argumentum ex I Cor., X, 14 s. et Hebr., XIII, 10, in doctrinam insereretur (5) ; alii vero rationem ex oblatione Melchisedech, uti dubiam aut ineptam, omittendam voluerunt (6). Idem antistes feltrensis quinimmo nihil ex vaticinio Malachiae arguendum esse propugnavit, itaque doctrinam, cum additis canonibus, reformandam tradiderunt quibusdam inter Patres, qui capite primo emendato, hanc formam ss. oecumenicae Synodo definiendam atque comprobandam proposuerunt :

Post praefationem, in qua explicatur cur sacrificium tractatum fuerit non cum sacramento Eucharistiae, sed potius cum sacerdotio, quocum intime connexum apparet, in capite I exponitur Missam esse verum ac proprie dictum sacrificium a Christo Domino institutum ; argumenta proferuntur imprimis ex figura sacerdotii Melchisedech atque ex prophetia Malachiae, ac deinde textus ita prosequitur (7) : « Paulus quoque ad Corinthios scribens : Videte,

(1) Theiner, *o. c.*, I, p. 634.

(2) *Ibidem*, p. 635 ; vide etiam Le Plat, *o. c.*, IV, p. 359.

(3) Theiner, *o. c.*, I, p. 636 s. Inauditam opinionem proposuit episc. bituntinus, qui Christum prima vice in cruce, et nullatenus in coena sacrificasse voluit ; hanc sententiam impugnaverunt praeprimis antistites clodiensis et tudensis ; haec theoria in disputationibus ad sessionem XXII praeparatoriis rursus proposita fuit.

(4) Ita praesules granatensis, calaritanus et alii quam plurimi ; cf. Theiner, *o. c.*, I, p. 638.

(5) Cf. Theiner, *o. c.*, I, p. 638 s.

(6) Ita antistites zagabriensis, granatensis et feltrensis ; vide Theiner, *l. c.*

(7) Cf. Theiner, *o. c.*, I, p. 645 et Le Plat, *o. c.*, IV, p. 385, qui hoc praemittit monitum ad lectorem : « Doctrinam de sacrificio Missae Patribus Tridentinis a. 1552 propositam, sistunt Raynaldus et Psalmeus, quorum

aït, Israel secundum carnem : nonne qui edunt hostias participes sunt altaris ?... Quibus verbis dum manifeste connumerat inter victimas Israelis et immolatas daemoniis Eucharistiam, colligitur illam esse sacrificium, erga quod ea semper veterum Patrum pietas et religio fuit, ut certatim praeclaris et magnificentissimis elogiis augustissimam ejus dignitatem commendarent, et suam erga ipsum reverentiam et devotionem declararent... Ad haec cum constet rem externam mystica sacerdotis operatione consecratam ac Deo oblatam sacrificium esse proprie dictum, nihil causae dici potest quin Eucharistia, quam sacerdotes Christi sacra benedictione, quae verbis fit, quibus catholica Ecclesia utitur, tanquam forma sacramenti, conficiunt atque Deo offerunt, verum ac proprium sacrificium dici debeat ».

« Instituit autem Christus Dominus pro sua divina sapientia hoc mirabile sacrificium, cum in novissima coena verus ipse secundum ordinem Melchisedech sacerdos, panem et vinum in suum corpus et sanguinem convertens, aeterno suo Patri sub panis vinique speciebus obtulit, suisque se discipulis sub earumdum rerum symbolis communicavit, praecipiens illis : Hoc facite in meam commemorationem ; quibus verbis Ecclesia sancta Dei praeceptum esse sacerdotibus intellexit, ut sacrificium in Christi memoriam offerrent. Proinde in sacro Canone Missae eos dicere voluit : Unde et nos memores nos Domine servi tui offerimus praeclarae majestati tuae, hostiam puram... ».

« Eo autem tempore cum novum ipse Dominus sacerdotium suis apostolis contulit, tum partes illas quae ad perfectum et consummatum Missae sacrificium pertinent, consecrationem videlicet, oblationem et communionem instituit, quemadmodum veteres Ecclesiae Patres magno consensu tradunt : nam quod nonnullos movere

prior eam hausit ex codicibus Vaticanis, alter Concilio interfuit. Deprehendi tamen illos variis in locis differre. Itaque ut quivis lector de tota re facilius judicare possit, monumentum ex Psalmeo describendum judicavi ita, ut varia ex illo suppleverim. Ast iis in locis, in quibus nimia utrumque inter occurrit varietas, textum ex Raynaldo haustum minori charactere subjiciendum curavi, eoque modo effeci, ut sine ulla verborum repetitione idem monumentum ex utroque scriptore integrum proponam ». De diario Psalmei cf. Merkle, *Conc. Trid. Diariorum* P. I. (ed. Soc. Goerresianae), p. XXXV Frib. Brisg., 1901, et de textu Raynaldi, p. LXV s. — *Collectio Actorum et Decretorum ss. oecum. Conc. Trid.*, auctore Nicolao Psalmaeo, canonico Praem., abbate S. Pauli, et Virdunensi episcopo, ejusque Concilii secretario et canonum redactore, omissis iis partibus, quae in aliis tomis prostant, refertur apud Le Plat, *o. c.*, VII, 2, p. 69-135.

solet, Eucharistiam donum Dei esse sumique solere, commemorationem denique et signum existere salutaris illius sacrificii, quod semel a Christo Domino in cruce peractum est, veram sacrificii rationem Eucharistiae non ademit. Constat enim etiam illum Judaeorum immolatitium agnum donum fuisse Dei edique solitum, ipsumque a Judaeis in memoriam exitus ab Aegypto immolari consuevisse. Nec vero quod sanguis in Missa consecratus testamentum a Domino vocetur, ideo minus ad sacrificium pertinet. Ob id enim sanguinem suum Dominus testamentum vocat, quod per eum novum Testamentum confirmetur, quemadmodum sanguine animalium vetus olim confirmabatur » (1).

In capite II de necessitate sacrificii Missae et de convenientia ejus cum sacrificio crucis agitur : per illud sacrificium meritum hujus oblationis ad universam Ecclesiam applicatur, et revera « ut olim Patres ante Christi adventum sacrificia habuerunt, quibus spem in suis animis excitabant, futuri illius magni sacrificii, quod aliquando per ipsum mundi Servatorem erat offerendum, et fiducia in eo per fidem defixa, admirabili quadam anticipatione ejus in se fructum, antequam offerretur, transferebant, ita sancta Synodus docet, hanc omnium sanctorum Patrum fidem defuisse, Christianos sacrificium in Missa habere, longe quidem illud efficacius et sublimius omnibus antiquis hostiis, atque ejusmodi quod expectationem futuri Christi sacrificii nequaquam affert, sed memoriam renovat jam peracti, nec illud figura tantum, quemadmodum vetera, sed rem ipsam in se comprehendit. Eamdem etenim corporis et sanguinis Christi hostiam in Missa offerri, quae fuit in cruce immolata, eumdem agnum, non alium, et unum ubique Christum sacrificari, unum etiam eumdemque praecipue utrobique esse pontificem, qui simul hostia, simul sacerdos est. Nam christianos sacerdotes ministros dumtaxat Christi esse, atque ipsius, cum Eucharistiam conficiunt et offerunt, personam sustinere, discrimen autem in varia tantum ratione offerendi constitutum esse. Quod nimirum in cruce seipsum Christus absque ullius hominis ministerio, secundum corporalem existendi rationem morte intercedente semel immolaverit,

(1) Cf. Le Plat, *o. c.*, IV, p. 388, ubi in nota prostat textus Raynaldi : « Nec vero quod sanguis in Missa consecratus sacramentum a Domino vocetur, ideo minus ad sacrificium pertinet : Dominus siquidem sanguinem suum novum testamentum eo sensu vocavit, quod pactum remissionis peccatorum, quae novo Testamento promittitur, per illum immolatum et in Eucharistia contentum non aliter sanciretur, quam sanguine vitulorum immolato vetus dedicatum fuit ».

in Missa autem, quotidie sacerdotum ministerio secundum existentiam sacramentalem in commemorationem mortis se offerat » (1).

In capite III exponuntur fructus Missae, et docemur quemadmodum quadruplicem finem, quem intendebant varia sacrificia sub vetere Testamento, hoc unum sacrificium novum perfecte exprimat; in capite IV ritus ac caerimoniae, in celebratione Eucharistiae usurpata, contra reformatores vindicantur.

Huic doctrinae addebantur tredecim canones, quorum primus sic enuntiabatur :

« Si quis dixerit, in Missa non esse sacrificium nec oblationem pro peccatis, sed tantum commemorationem sacrificii in cruce peracti, aut vocari translato nomine sacrificium, at vere et proprie non esse ; anathema sit ».

Canon quartus affirmare vetabat derogari sacrificio crucis per Missam ; quintus, qui magis quaestionem nostram spectat, hic erat :

« Si quis dixerit, Christum pro nobis mystice in Missa immolari et offerri, non aliud esse quam nobis ad manducandum dari, aut illis verbis : Hoc facite in meam commemorationem, non ordinasse ut apostoli et alii sacerdotes offerant corpus et sanguinem ejus ; anathema sit » (2).

Hujus dissertationis munus non est temporum adumbrare infelicia adjuncta, in quibus ss. Synodi suspensio declarata fuit (3) ; eadem quaestio de sacrificio Eucharistico, sub Pio IV, a. 1562, rursum examinata, in sessione XXII definita fuit.

Art. 2. — Disputationes praeparatoriae et definitio a. 1562.

Quamvis quibusdam Patribus videretur, statim a doctrina et canonibus de Missae sacrificio incipiendum esse, quoniam jam satis in sessione XIV de iisdem disceptatum fuerat, nihilominus tredecim articuli theologis denuo propositi fuere, die 19 Julii a. 1562, quia,

(1) Textus Raynaldi, apud Le Plat, *o. c.*, IV, p. 388 s., in nota, sic sonat : « Nam si ante Christi adventum per ea sacrificia, quae futuram redemptionem praesignabant, Patrum per fidem in ipsum Redemptorem spes excitabatur, qua quidem erecti utilitatem passionis ejus, veluti eam sibi ipsis vellent praeveniendo applicare, in se traducere potuerunt, multo quidem magis decuit hoc Missae sacrificium, quod non offerendum, sed oblatum in cruce Dominum significat atque comprehendit, beneficium mortis ejus christianis omnibus posse conferre. Eadem enim hostia, idem ipse Christus, qui in cruce seipsum obtulit, in hoc sacrificio Patri offertur et immolatur, sola tamen diversa offerendi ratione ».

(2) Cf. Le Plat, *o. c.*, IV, p. 395 s.

(3) Cf. Theiner, *o. c.*, I, p. 657 ; Pallavicini, *o. c.*, in parte II, lib. 13, cap. 3, p. 140 s. ; F. P. Sarpi, *o. c.*, P. I, l. IV, p. 691 s.

uti arguit, secundus Concilii praesidens, « cum examinati fuerunt ipsi canones et doctrina in hoc Concilio, aderant tantum LXX Patres, et ex his vix tres aut quatuor modo in Concilio (in quo sunt impraesentiarum CLXXX) adsunt : propterea visum est, ut theologi iterum audiantur » (1).

Congregationes theologorum coeperunt die 21 Julii, et protractae fuerunt usque ad finem mensis. Eadem argumenta, quae saepius jam audivimus, multa vi et eloquentia rursus proposuerunt et quasi unanimi consensu approbaverunt rationes deductas ex I Cor., X, 14 s. ; ex textu institutionis, praesertim ex forma praesenti : « qui effunditur » ; ex Hebr., XIII, 10 ; ex sacrificio Melchisedech et ex prophetia Malachiae. Unus tantummodo doctor extra chorum cecinit et argumenta ex textu sacro, ex oblatione Melchisedech et ex vaticinio Malachiae respuenda esse voluit, ut sacrificium Eucharisticum ex sola traditione patristica comprobaret. Haec autem placita gnave impugnata fuere a theologis, qui deinceps dixerunt, itaque pluries denuo easdem considerationes attulerunt.

Interim vero Patres ad hoc deputati (2) confecerant doctrinam atque canones, quae, absolutis theologorum congregationibus, die 6 Augusti, Patribus Concilii communicata fuerunt.

*
* *

Doctrina constabat quatuor capitibus, sicut illa in sessione XIV elaborata, et primum proponebat verum sacrificium in Missa offerendum, quod « Christum Dominum instituisse tenendum est, cum in novissima coena panem et vinum in suum corpus et sanguinem convertens, sub earumdem rerum symbolis seipsum sumendum ac offerendum apostolis tradidit et praecepit, dicens, hoc facite in meam commemorationem, quibus verbis semper Ecclesia praeceptum esse sacerdotibus intellexit, ut sacrificium hoc in Christi memoriam offerant » (3).

Hoc est autem sacrificium secundum ordinem Melchisedech, a Malachia praedictum, verum ac proprie dictum sacrificium quod Apostolus merito victimis judaicis ac idolothytis opponit. « Quod vero sit Dei donum, sicut et in Canone confitetur

(1) Theiner, *o. c.*, II, p. 60 s.

(2) Cf. Theiner, *o. c.*, II, p. 59 ; deputati fuerant : archiepiscopi granatensis et lancianensis ; episcopi litterensis, interamnensis, leriensis, vaurensis, almeriensis et veronensis ; necnon Generalis ordinis Min. de Observantia.

(3) *Ibidem*, II, p. 74.

Ecclesia, cum ait se offerre Deo sua dona, sua munera, de tuis donis ac datis, non solum sacrificii rationem non tollit, sed confirmat. Nihil enim est, quod ab ipso non acceperimus, et pro quo non illi gratias agere teneamur » (1).

In capite II explicata erat necessitas hujus novi sacrificii et relatio ejusdem ad crucem. Et enim in sacrificio Eucharistico meritum passionis nobis applicatur, et jure quidem quia « eadem hostia, idem ipse Christus, qui in cruce seipsum obtulit, in hoc sacrificio Patri offertur et immolatur, sola tamen diversa offerendi ratione. Nam et si vere Apostolus dixit, Dominum unica oblatione consummasse in aeternum sanctificatos, ea tamen oblatio sanguinis effusione peracta est ; haec vero hostia incruento modo singulis diebus consecratur, offertur et sumitur, ut cruentae illius memoria fiat, et particeps unusquisque effici valeat praemii et fructuum, quos ipse Redemptor noster sua in cruce oblatione promeruit » (2).

In capite III dicebatur de fructibus Missae ; in capite IV de caerimoniis. Duodecim canones cum hac doctrina proponebantur ; tres priores et etiam canon quintus magis nostram materiam spectant :

1. « Si quis dixerit Missam non esse sacrificium, sed commemorationem tantum sacrificii in cruce peracti ; aut vocari translato nomine sacrificium, vere tamen et proprie non esse : anathema sit ».

2. « Si quis dixerit Missam tantum esse sacrificium laudis et gratiarum actionis ; non autem propitiatorium tam pro vivis quam pro defunctis : anathema sit ».

3. « Si quis dixerit blasphemiam irrogari ss. Christi sacrificio in cruce peracto per Missae sacrificium, aut vero illi per hoc derogari : anathema sit ».

5. « Si quis dixerit sacrificium Missae solum prodesse sumenti... ; aut quod offerri non sit aliud, quam nobis ad manducandum dari : anathema sit ».

* * *

Quaestio de celebratione ipsius coenae a Christo Domino magnam suscitavit inter Patres controversiam, et statim ab initio

(1) Reformatores dicebant Eucharistiam esse solummodo donum Dei ; nos autem Deo nihil donare posse. — Concilium respondet sacrificium Missae revera est donum Dei, sed non dicit sacrificium nostrum esse donum Deo, ita ut oblatio cum donatione convertenda foret.

(2) Theiner, *o. c.*, II, p. 74 s.

congregationis generalis, habitae die 11 Augusti, Cardinalis Madrutius, episcopus tridentinus, enixe rogavit ut doctrinae rursum insereretur, quod in illa, sub Julio III elaborata, jam additum fuerat, Christum nempe in ipsa coena obtulisse, et quidem sacrificium secundum ordinem Melchisedech, ita ut, quod ipse fecerat, apostolis ac deinceps sacerdotibus faciendum mandaverit (1).

Cum Card. Madrutio statim consensit archiepiscopus hidruntinus : « Dicatur, ait, Christum in coena obtulisse ut erat in doctrina concepta sub Julio III et sancti Patres tradunt... Si enim Christus non obtulit, neque id aliis praecepit faciendum... Et si Christus non obtulerit, neque figuram Melchisedech adimplevisset » (2). Plerique Patres huic sententiae adstipulandum declararunt.

Archiepiscopus granatensis, quamvis uni potius quam alteri faveret opinioni, se non curare dixit ut poneretur vel omitteretur haec assertio ; archiepiscopus autem bracharensis Christum in coena obtulisse professus est, sed hoc fuisse sacrificium laudis ac gratiarum actionis acriter propugnavit : « An autem (Christus) se obtulerit sacrificium expiatorium pro peccatis in coena dubium est ; quia alias hostia cruenta non fuisset prima, cum jam redempti fuissemus ». Missa tamen, inquit, est sacrificium expiatorium, et quidem ex institutione Christi, quamvis ipse illud non obtulerit in coena ; itaque argumenta ex textu evangelico et ex I Cor. tollenda sunt, et praeceptum faciendi quod ipse Dominus fecerat, ita audiendum erit : « Sacrificate corpus quod immolandum est ». In eumdem sensum verba fecit archiepiscopus lancianensis, qui fuit inter deputatos ad doctrinam formandam, et qui hac de causa assertionem, in prima redactione positam, nunc omissam fuisse palam agnovit : « quia id non habetur in Scriptura, neque in Traditione, neque verba : hoc facite, arguunt, Christum se obtulisse ; sed intelligi debent : hoc facite, corpus, quod jam immolandum erat in cruce » (3).

His rationibus responderunt inter alios, in congregatione diei 13 Augusti, episcopus justinopolitanus et antistes litterensis ; prior vero longa oratione cuncta rememoravit argumenta saepius adstructa, eadem s. Thomae auctoritate corroboravit et ad difficultatem episcopi lancianensis replicuit : « Sicut sacramenta instituta sunt ante passionem, et vim nihilominus habent ex passione, ita illud (sacrificium) in coena est idem cum illo crucis, et vim ab eo habet ».

(1) Theiner, *o. c.*, II, p. 75. — « Ea de re nihil in paratis decretis habebatur ; propterea quod illis formandis praeerat Seripandus (unus e cardinalibus legatis), cui nunquam visum est operae pretium esse, hujusmodi definitionem assumere », ait Pallavicini, *o. c.*, in parte III, lib. 18, c. l, 1, n. 10, p. 38.

(2) Cf. Theiner, *o. c.*, II, p. 77.

(3) *Ibidem*, II, p. 79 s.

« Missam esse sacrificium a Christo institutum », asseruit etiam episcopus litterensis, « nam Christus in ultima coena instituit sacramentum, sacrificium et sacerdotium, his verbis : Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Verba enim, quod pro vobis traditur, notant, quod apostoli facerent corpus, non solum ut sacramentum, sed ut sacrificium, scilicet facerent corpus ea ratione, qua immolandum erat in cruce : quibus verbis etiam nos in Missa corpus Christi offerimus ex institutione Christi » (1).

Sententiae, quam defendit archiepiscopus bracharensis, adstipulatus adhuc est episcopus brugnatensis in congregatione diei 17 Augusti : « Christus... in coena non obtulit... Si (enim) obtulit, expiative, superflua fuisset oblatio in cruce : et respondit ad rationes et auctoritates contrarium tenentium, intelligi debere de consecratione, non sacrificatione : neque potuit in coena sanguis Christi in cruce oblati participari, quia non erat effusus, neque de effundendo virtus esse poterat, prout non erat sacrificiis antiquae legis, quae januam paradisi etiam in virtute effundendi sanguinis in cruce aperire non poterant, antequam enim effunderetur, non erat communicabilis ». Christus tamen, etiam si non sacrificaverit in coena, mandare potuit ut sacrificarent ejus discipuli, cum ipse in cruce sacrificaverit, « et ad doctores contrarium tenentes respondit intelligi (sacrificium coenae) de oblatione laudis et gratiarum actionis », quin tamen sacrificium proprie dictum fuerit (2).

Huic opinioni acriter obstiterunt episcopus parisiensis ac antistes leriensis, in congregationibus diei 18 et 20 Augusti ; ita mox et alii plures praesules, adeo ut longe major pars Concilii firmissime tenuerit Christum in coena reapse sacrificium obtulisse ; attamen sententiae neganti etiam accesserunt quidam Patres ; tertia series oratorum, ut controversiam vitarent, in doctrina profitendum voluerunt Christum in coena obtulisse, quin modus, sive expiatorius, sive non expiatorius, pressius determinaretur (3) ; pauci tandem antistites novas solutiones excogitaverunt (4).

* * *

Post has omnes disputationes, novam elaboraverunt formam doctrinae, quae capita novem et totidem canones complectebatur ;

(1) Cf. Theiner, *o. c.*, II, p. 80.

(2) *Ibidem*, p. 81 s.

(3) Ita v. g. antistes quinqueecclesiensis ; vide Theiner, *o. c.*, II, p. 89 ; cf. etiam Le Plat, *o. c.*, V, p. 428 ; Pallavicini, *o. c.*, in parte III, lib. 18, c. 2, n. 1 s., p. 38 s.

(4) Ita episcopus senogalliensis, qui sacrificium, in coena oblatum, voluit esse expiatorium « inchoative », seu « habitudine, non autem actualiter » ; cf. Theiner, *o. c.*, II, p. 86.

proposita die 5 Septembris, examinari coepta est die 7 ejusdem mensis. Post prooemium, in capite I, de institutione sacrificii Eucharistici ita dicebatur (1) :

« Quoniam sub priori Testamento, teste apostolo Paulo, propter levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur ; quia tamen per mortem sacerdotium ejus exstinguendum non erat, ut se sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in aeternum constitutum ostenderet (2), et dilectae suae sponsae Ecclesiae visibile (ut hominum natura exigit) relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; in coena novissima, qua nocte tradebatur (3), corpus et sanguinem suum sub speciebus panis, et vini

(1) THEINER, *o. c.*, II, p. 117.

(2) In textu, apud DENZIGER-BANNWART, *Enchiridion*, n. 938, hîc ponuntur verba : « in coena novissima, qua nocte tradebatur », quae infra occurrunt in doctrina, prout apud THEINER, *l. c.*, prostat. DENZIGER-BANNWART, in nota ad doctrinam et mox item ad canones, sequentes fontes suos praecipuos indicat : RCHT (RICHTER, *Canones et Decreta Conc. Trid.*, ex editione romana anni 1834), 124 s. et 127 ; MSI (MANSI, *Sacrorum Conc. nova et amplissima collectio*), XXXIII, 128 D s. et 131 c s. ; HRD (HARDUINI, *Conc. Collectio regia maxima* (LABBEI et COSSARTII) sive *Acta Conc. et Epistolae Decretales ac Constitutiones Sum. Pont.*), X, 126 B s. et 129 A. — Inspeximus nosmetipsi *Coll. Conc. gener. et prov.*, ed. Pariens. reg., XXXV, 541 s. et 545 s. ; ed. HARDUINI, *Conc. Coll. regia max.*, X, 126 s. et 129, Parisiis, 1714, ac tandem *Sacrosancta Concilia ad regiam ed. exacta,* quae olim quarta parte prodiit auctior, studio PH. LABBEI et GAB. COSSARTII, ... nunc vero integre insertis STEPH. BALUZII et J. HARDUINI additamentis... curante NIC. COLETI, XX, 128 s. et 131 s., Venetiis, 1793 ; ubique doctrinam et canones deprehendimus concordes omnino cum textu, prout apud Enchiridion prostat ; hunc textum igitur, ubi Theiner ab illo differt, in nota subnectimus. De variis autem illis editionibus, earumque valore, lege, quae breviter de illis habet HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles,* I, 1, p. 97 s. Paris, 1907, juxta principia praesertim, uti, p. 97, in nota, dicitur, quae posuit D. H. QUENTIN, *J. D. Mansi et les grandes collections conciliaires,* Paris, 1900.

(3) DENZIGER-BANNWART, *Enchiridion*, n. 939, haec verba, quae supra in ipsius textu occurrunt, hîc omittit, et addit, quae ibidem non inseruit : « sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans ».

Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent, praecepit per haec verba : Hoc facite in meam commemorationem ; uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit. Nam consummato (1) veteri Pasche, quod in memoriam exitus de Aegypto, multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum videlicet (2) ab Ecclesia per sacerdotes immolandum (3) in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit ; et haec illa (4) munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest : quam etiam (5) Dominus per Malachiam nomini suo (6), quod magnum futurum erat (7) in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit, et quam innuit (8) apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit, non posse eos, qui participatione mensae daemoniorum polluti sint, mensae Domini participes fieri, per mensam altare utrobique intelligens. Haec denique illa est, quae per tot (9) sacrificiorum naturae et legis tempore similitudinem (10) figurabatur, utpote quae omnia per illa significata veluti illorum omnium consummatio et perfectio complectitur ».

In capite II statuitur relatio inter utrumque sacrificium cruentum et incruentum (11) :

« Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet s. Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero

(1) Denziger-Bannwart, *o. c.*, n. 939 : « Nam celebrato ».

(2) *Enchiridion*, n. 939, non habet hoc « videlicet ».

(3) Post « sacerdotes », inseritur apud Denziger-Bannwart, *Enchiridion*, n. 938 : « sub signis visibilibus ».

(4) *Enchiridion*, n. 939, addit « quidem » ; ita nimirum : « Et haec quidem ».

(5) Omittitur « etiam » a Denziger-Bannwart, *o. c.*, n. 939.

(6) *Enchiridion*, n. 939, legit : « nomini suo » ; Theiner autem, cujus editio hinc inde certe est mendosa, ponit : « nomine suo ».

(7) Denziger-Bannwart, *o. c.*, n. 939 : « esset ».

(8) *Ibidem*, « et quam *non obscure* innuit »; adduntur igitur verba : « non obscure ».

(9) *Enchiridion*, n. 939, legit : « quae per varias sacrificiorum ».

(10) Inde Denziger-Bannwart, *o. c.*, n. 939 habent : « similitudines ».

(11) Cf. Theiner, *o. c.*, II, p. 117 ; illa doctrinae capita tantum referimus, quae magis ad argumenta nostra faciunt.

corde et plenitudine fidei (1), cum metu et reverentia contriti, ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, gratiam donat et gloriam (2) : una enim eademque est hostia, idem nunc offerens, sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola ratione offerendi diversa, cujus quidem oblationis (cruentae, inquam) (3) fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur. Tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare pro fidelibus non solum vivis, sed et defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite (juxta apostolorum traditionem) offertur pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus » (4).

In primo canone deinde anathema pronuntiatur : « Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium ; aut quod offerre non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, vel tantum prodesse sumenti ».

Canon secundus, qui apud Denziger ponitur tertius, ita sonat : « Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, non autem propitiatorium ; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis et poenis, et aliis necessitatibus offerri debere : anathema sit ».

Tertius canon, nunc secundus, vetat ut dicatur : « Illis verbis : Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse apostolos sacerdotes ; aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem ejus ».

In canone vero quarto anathema statuitur : « Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per Missae sacrificium ; aut illi per hoc derogari : anathema sit » (5).

* * *

Cardinalis Madrutius statim postulavit ut ad verba : « corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini obtulit », in doctrina

(1) *Enchiridion*, n. 940 : « et recta fide ».

(2) Apud Denziger-Bannwart, *c. c.*, n. 940 : « Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit ».

(3) Supprimitur parenthesis apud *Enchiridion*, n. 940.

(4) *Ibidem* : « Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite juxta apostolorum traditionem offertur ».

(5) Cf. Theiner, *o. c.*, II, p. 118 ; *Enchiridion*, n. 948-951 ; canon 3, qui est 2 apud Theiner, ita sonat apud Denziger-Bannwart, *o. c.*, n. 950 :

adderetur : « verum sacrificium », et ut paulo infra, ad vocem « innuit », ubi testimonium ex I Cor., X, affertur, res magis affirmativo modo proponeretur. Archiepiscopus granatensis et praesertim bracharensis e contra enixe rogaverunt, ut tolleretur assertio de oblatione Christi in coena. Antistes denique segobiensis rem insolutam remanere petiit, ita ut nullatenus dirimeretur, quodnam sacrificium Dominus in coena obtulerit (1).

Inter Patres, qui in congregatione hujus diei 7 Septembris, orationem habuere, plerique, propositis hinc inde mutationibus minoris momenti, doctrinae propositae simpliciter adhaeserunt; episcopus mutinensis autem opinatus est cum archiepiscopo bracharensi; antistes colimbriensis cum episcopo segobiensi concinuit, itaque septuaginta et tres Patres, una cum tribus abbatibus et tribus ordinum Generalibus responderunt : placent simpliciter ; quindecim vero Patres in votum Cardinalis Madrutii consenserunt ; quatuor adstipulati sunt archiepiscopo bracharensi ; octodecim tandem antistiti segobiensi accesserunt.

Die tamen 16 Septembris, pridie sessionis XXII, cum Patres materiam de sumptione Eucharistiae a laicis sub duplici specie absolvissent, controversiam sopitam renovavit archiepiscopus granatensis, cui statim assensit rursum archiepiscopus bracharensis, « quod grave admodum atque indecens et indignum visum est Patribus ». Ideo Cardinalis Varmiensis, ut tumultum sedaret, denuo praestitit solutionem difficultatum, quas moverat antistes granatensis, atque Patres rogati sunt, ut per verbum « placet », aut « non placet », sententiam suam pronuntiarent (2). Pauci oratores adhuc verba fecerunt, ut unam alteramve solutionem defenderent, sed plerique Patres, numero centum et viginti unus, simpliciter doctrinae et canonibus propositis annuerunt ; duo solummodo negative responderunt et quindecim denique petierunt ut disputatio adhuc differretur. Post haec statutum est ut in doctrina et in canonibus nihil prorsus immutaretur (3).

« Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere : anathema sit »; ad canonem 2, qui est 3 apud THEINER, rectius legit *Enchiridion* : « offerrent corpus et sanguinem suum ».

(1) THEINER, *o. c.*, II, p. 118 s.

(2) *Ibidem*, p. 129.

(3) Cf. THEINER, *l. c.* et etiam TORELLUM PHOLAM DE PUGGIO, *Diarium Actorum ss. Conc. Trid. sub Pio IV Pontifice*, apud LE PLAT, *o. c.*, VII, 2, p. 197 ; J. B. FICLERUM, *Diarium*, apud LE PLAT, *o. c.*, VII, 2, p. 337 ; PALLAVICINI, *o. c.*, in parte III, lib. 18, c. 8, nn. 11 et 12, p. 57.

Sequenti die, 17 Septembris, archiepiscopus hidruntinus ex ambone legit decreta in hac sessione XXII publicanda, et primo doctrinam et canones de ss. Missae sacrificio; haec omnia nunc quasi unanimi consensu Patres approbaverunt, paucis exceptis, qui in cedulis reclamarunt (1).

* * *

Uti ex disputationibus praeviis, et ex ipsa doctrina ad canones addita, luce clarius apparet, *Scripturae sacrae ac Traditioni presse inhaeret ss. Synodus*, ut verum profiteatur sacrificium, simul intrinsece relativum, et eisdem considerationibus reipsa innititur, quae in examinanda sacra Scriptura et Traditione proposuimus.

Quaedam argumenta sane omittuntur in doctrina Concilii, neque hoc quispiam mirabitur, si attenderit controversiam in ipso Concilio exortam; noluerunt enim Patres ullam afferre rationem, quae ansam praebere potuisset reformatoribus, ut dogma jam inconcussum novis ratiociniis labefactarent.

Desideratur itaque comprobatio ex ipso textu institutionis, quam plerique tamen Patres ac theologi praestiterunt; omittitur pariter argumentum ex epistola ad Hebraeos, XIII, 10, saepius invocatum, sed auctoritate s. Thomae non munitum, quippe cum Angelicus hunc locum potius de cruce sive de ipso Christo immolato interpretatus sit. Haec ambo argumenta, utpote non omnibus probata et hodiedum usque in discrimen vocata, prudenter tacuit ss. Synodus; rationem vel imo ex I Cor., X, 14 s. eruendam, ut suasoriam magis quam ut decretoriam tradidit, quamquam nihilominus determinativum « haud obscure » ad verbum « innuit » rem non ita dubiam relinquit. Patres autem tacere noluerunt oblationem ipsius Christi in coena peractam; ad hanc porro quaestionem, acriter postea controversatam, praesertim adducta fuerunt argumenta ex narratione institutionis.

Traditionem penitus rimati, Patres Concilii *integram reapse theologiam latinam et graecam breviori formula feliciter contraxerunt*:

A s. Augustino enimvero expressionem mutuaverunt, quam ad taedium usque apud scholasticos repetitam, et paulatim magis enucleatam, reperimus: *Christus in seipso semel immolatus, in sacramento seu in sacro signo quotidie a sacerdotibus immolatur*;

(1) Cf. THEINER, *o. c.*, II, p. 131 s. et *Catechismum Concilii Trid., Pii V P. M. jussu promulgatum*, in parte II, de Sacr. Euch., LXXV, p. 297, Parisiis, 1906.

dicit enim Concilium Christum seipsum in coena obtulisse sub speciebus panis et vini, et ipsum quoque, ordinasse ut per sacerdotes quotidie sub signis visibilibus immolaretur.

A s. J. Chrysostomo Concilium explicationem assumpsit, a Schola sub nomine plerumque s. Ambrosii transmissam, qua *unum atque idem proclamatur sacrificium*, tum in cruce oblatum, quum in Missa offerendum, quia *una est et eadem hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, ita ut sola offerendi ratio utrimque differat ;* illud fuit cruentum, hoc autem est incruentum, uti saepius audivimus, praesertim in variis liturgiis, quarum terminologiam ss. Synodus hîc acceptat.

Dubitari nequit hanc oblationem, licet incruentam, *ad normam sacrificii antiqui esse concipiendam*, et hoc revera luce clarius constat ex ipso tenore doctrinae, prout a ss. Synodo proponitur. Et enim cum primitiva Traditione, cum Didachè et fidei testibus ex primo saeculo oriundis, cum Patribus secundi et tertii saeculi, qui omnes presse sacrae Paginae inhaerent, aperte dicit hanc oblationem Eucharisticam implevisse prophetiam Malachiae ; hoc est etiam novum Pascha ; hoc est sacrificium secundum ordinem Melchisedech, quod ipse Dominus prius obtulit et quod per manus sacerdotum, in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, omni die instaurandum voluit.

Re quidem vera Patres authentice non explicant quomodo hanc definitionem genericam sacrificio Eucharistico applicare debeamus ; non exponunt quomodo, quanam formali ratione, sacrificium Eucharisticum, licet verum, essentialiter adhuc sit relativum, imo unum sacrificium cum sacrificio cruento, cui nihil itaque derogat. Haec in tertia parte praestanda et comprobanda nobis remanent.

Conclusio II Partis.

Cum ss. Concilium Tridentinum totam Traditionem egregie contraxerit, specialem conclusionem hujus tertii capitis conscribere non juvat, sed paucis verbis hanc secundam partem resumimus :

In capite primo demonstravimus ex ipso textu sacro, celebrationem Eucharistiae involvere *sacrificium proprie dictum, quod ad normam sacrificii antiqui foederis concipiamus oportet* ; ex sacra Pagina adhuc comprobavimus hoc sacrificium esse *essentialiter et intrinsece relativum* ad oblationem cruentam Christi, quae in cruce obtinuit. In examinanda doctrina epistolae ad Hebraeos, comperimus non dari sacrificium coeleste proprii nominis, quod sacrificium Eucharisticum explicare aut elucidare queat, sed ex eadem epistola

adhuc novimus *unum esse tantummodo sacrificium sub nova lege*, adeo ut sacrificium Eucharisticum, licet verum, sacrificio cruento nullatenus derogare possit.

In capite secundo et tertio, eamdem fidem, primum in Traditione trium priorum saeculorum, deinde apud omnes Patres ecclesiae orientalis et occidentalis, inde a quarto saeculo ad usque finem aevi patristici, postea apud doctores Scholae, tandem in definitione Concilii Tridentini legimus.

*
* *

In ipsa Scriptura sacra jam edocemur commemorationem passionis requirendam esse in hoc ipso ritu sacro, in quo verum offertur sacrificium et sumitur pariter Eucharistia.

Tria priora saecula explicationi hujusce dogmatis de essentia Missae sacrificii parum contulerunt ; attamen ex sacra Pagina simul ac ex primitiva Traditione invicte constat, theorias a Renz et Wieland elucubratas prorsus esse respuendas, utpote alienas a sensu obvio et traditionali horum documentorum ; indirecte porro hac ratione confutavimus placita protestantium praesertim modernorum, qui revera profitentur sacrificium Eucharisticum doceri in primitivis illis monumentis, quinimmo etiam in ipsa sacra Pagina, uti quidam inter eos jam annuunt, sed sacrificium intelligunt ipsius panis et vini, quae cum quadam benedictione consecrantur et cum gratiarum actione consummantur.

At vero ipse Christus offertur, corpus scilicet et sanguis ejus, et haec doctrina, quae ex verbis ipsius Domini, in textu sacro conservatis, luce clarius patescit, per apostolos primum, deinde per discupulos apostolorum, in mundum universum propagata fuit, neque ulla fuit evolutio in ipso dogmate, uti inepte affirmavit Wieland cum protestantibus, sed eadem fuit semper fides, quae paulatim magis enucleate et magis explicite proposita fuit.

*
* *

Et re quidem vera jam saeculo tertio exeunte, sed magis inde a saeculo quarto, reperimus est explicationes et formulas, tum apud Patres linguae graecae, quum apud Patres linguae latinae, quae formulae licet adhuc succincte, jam signatim nihilominus, ipsum dogma de essentia Missae sacrificii proponunt. Quinimmo, hinc inde jam quoddam conamen obviavimus, ut explicarent quomodo sacrificium proprie dictum in Eucharistia habeamus ; satis erit in memoriam revocare praeclara dicta s. Gregorii, episcopi nysseni et s. Gregorii magni inter Patres, deinde Algeri inter doctores Scholae.

Attamen rem systematice contractam primum legimus apud s. Thomam : celebratio Eucharistiae *rationem habet sacrificii, in quantum offertur ;* offertur enim ut sacrificium proprie dictum ; sacrificium Eucharisticum *simul rationem habet sacrificii, scilicet relativi, in quantum in eodem ritu sacro, passio et mors Domini repraesentantur.* — Offertur sacrificium *in ipsa consecratione,* quando nimirum sacerdos in persona Christi verba consecratoria super panem et vinum pronuntiat ; *immolatur* itaque Christus *vere,* licet incruente, et in sacramento, seu in mysterio, et *eadem consecratione distincta,* qua corpus et sanguis Domini offeruntur, adhuc *mactatio cruenta re praesens sistitur.*

Hanc eamdem doctrinam, uti modo audivimus, pulchre contraxit ss. Concilium Tridentinum et auctoritate sua munivit.

Pars tertia.

Resumuntur quaestiones hucusque disputatae, et definitur problema in hac tertia parte solvendum.

In prima parte statuimus definitionem sacrificii generice sumpti, et determinavimus, in capite primo, post descriptionem sacrificii praesertim juxta rituale VT., elementa quae omni sacrificio essentialia videntur.

Haec elementa sunt : res sensibilis, quae in sacrificium offertur; actio sacrifica, quae est destructio hujus rei oblatae ; finis intentus, qui hanc destructionem in honorem divinum ordinat ; minister legitimus tandem, qui est sacerdos, deputatus a Deo, ubi religio est institutionis positivae et divinae, quique per se, aut per alium sibimet subrogatum, hanc mactationem peragit et in cultum Deo debitum refert.

Demonstravimus actionem sacrificam necessario involvere destructionem, sive ipsius vitae humanae, si hanc in sacrificium offerre liceret, sive rei cujusdam sensibilis, quae humanae vitae substituitur ; comprobavimus pariter hanc destructionem esse centrum totius ritus sacri, itaque elementis sacrificii positis et vindicatis, synthetice hanc definitionem sacrificii proposuimus : sacrificium est oblatio soli Deo facta a sacerdote, in ordine ad supremum Dei dominium agnoscendum, per destructionem ipsius vitae humanae, aut rei sensibilis, quae vitam humanam repraesentat eique substituitur.

In hac definitione rem oblatam nuncupavimus materiam ; destructionem demonstravimus esse formam physicam sacrificii ; finem intentum, sive significationem, diximus formam metaphysicam; ministrum sacrificii denominavimus causam efficientem, quandoquidem sacerdos rem sacram facit per destructionem, et totam actionem in honorem divinum et in cultum Deo debitum ordinat.

In capite secundo refutavimus sententiam immutationis perfectivae a Suarezio propugnatam, quam Scheeben, multis argumentis ex ipso rituali VT. depromptis, corroborare frustra conatus est; rejecimus adhuc theoriam ab ill. Bellord excogitatam, quae, connexa cum placitis a W. R. Smith et Wellhausen allatis, centrum actionis sacrificae in epulis reponit. Deinde ostendimus in oblatione sacrificii non admittendam esse donationem stricte dictam, et animadvertimus formale sacrificii non esse in oblatione quadam physica, uti non pauci theologi opinati sunt, neque etiam in sola significatione, uti Vasquezius ex necessitate causae conficere voluit.

Secundam partem modo contraximus, itaque attenta doctrina Scripturae sacrae ac Traditionis, authentica declaratione Ecclesiae illustrata, cum principiis a s. Thoma positis, in hac tertia parte successive, in duplici capite, examinabimus primo, quomodo in celebratione Eucharistiae habeatur verum sacrificium; secundo, quomodo hoc sacrificium sit essentialiter relativum, imo unum et idem sacrificium cum oblatione cruenta, quae semel in die passionis peracta fuit.

CAPUT I.

QUOMODO CELEBRATIO EUCHARISTIAE SIT VERUM SACRIFICIUM.

Disquisitionem primam, quomodo in celebratione Eucharistiae verum offeratur sacrificium, quadruplici sectione absolvemus, juxta quattuor elementa, quae omni sacrificio essentialia esse denuntiavimus.

In sectione prima tractabimus de actione sacrifica, quam formam physicam sacrificii vocavimus ; in secunda sectione dicemus de materia sacrificii Eucharistici ; in tertia de fine et significatione propria hujus oblationis ; in quarta denique sectione agemus de offerente hoc sacrificium, et in specie de relatione ministerii sacerdotum ad Christum, quippe quum integra Traditio ipsum Dominum hoc sacrificium offerre profiteatur.

Non eodem ordine igitur ac in prima parte, elementa sacrificii considerabimus : disputabimus primo loco de actione sacrifica, quoniam praecipua difficultas consistit in hac actione enucleanda. Illa autem rite soluta, haud paucae evanescunt objectiones, quae in tribus aliis sectionibus afferri possent, itaque, tali methodo, incommodum vitabimus, ne eadem argumenta pluries adstruamus.

SECTIO I.

De actione sacrifica in sacrificio Missae.

Haec prima sectio triplici articulo constabit : in articulo primo dicemus de illa actione in celebratione Eucharistiae exercita, qua sacrificium offertur ; in articulo secundo exponemus quanam ratione sacrificium in hac actione perficiatur ; in articulo tandem tertio varias alias sententias examinabimus, quae in hac formali ratione errare nobis videntur.

ART. 1. — IN QUANAM ACTIONE IN MISSA EXERCITA ABSOLVATUR SACRIFICIUM.

Eadem methodo, qua hucusque in hac inquisitione semper usi sumus, adhuc utendum arbitramur, quare ipsam institutionem sacrificii Eucharistici, interpretatione manifesta totius traditionis

et authentica declaratione Ecclesiae illustratam, perscrutabimur ut actionem definiamus, qua sacrificium Eucharisticum peragitur.

§ 1. — *Actio sacrifica in Missa essentialiter ad consecrationem specierum perficitur.*

In coena ultima Christus, sacerdos secundum ordinem Melchisedech, panem et vinum dum consecravit, « corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit » ; deinde « Apostolis ut sumerent, tradidit, et eisdem ut offerrent, praecepit per haec verba : Hoc facite in meam commemorationem » (1).

Uti ad interpretationem textus sacri adnotavimus, disputatur inter auctores num Dominus ipse corpus et sanguinem suum sumpserit ; comprobavimus autem mandatum Christi ut discipuli facerent quod ipse fecerat, totam respicere actionem, itaque novimus ipsis praeceptum fuisse ut offerrent corpus et sanguinem Christi et eadem sumerent, quin ulterius ex sacra Pagina determinari possit, quanam ratione consecratio et sumptio ad ritum sacrificalem pertineant. Jamautem, solam consecrationem ad essentiam, communionem vero ad integritatem spectare, ex traditione patristica et theologica, et speciatim ex s. Thoma (2) addidicimus ; hanc solutionem nunc, quae magis congruit cum declaratione ss. Tridentinae Synodi, argumentis, in eadem traditione innixis, luculenter demonstrare fas est (3).

Et enim sacrificium Eucharisticum offertur in persona Christi ; atqui, sola consecratio fit nomine Domini ; ergo sola constituit essentiam sacrificii, dum ipsa sumptio potius ad utilitatem propriam celebrantis ordinatur.

Dicimus igitur communionem nullatenus ad essentiam altissimi Missae sacrificii spectare ; attamen statim declaramus eamdem integrare oblationem sacrificam, quamobrem cum oblatione conjungi debet ex natura rei : consecratio, uti in articulo sequenti expone-

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 1, (*Enchiridion*, n. 938).

(2) *Sum. Theol.*, III, q. 80, a. 12, ad 1m.

(3) Perfectum est igitur sacrificium antequam ad epiclesin perveniatur ; de hac quaestione cf. SALAVILLE, *art. citatis*, apud *Dict. de Théol. Cath.*, V, 194-300, spec. c. 197 s. et apud *Dict. Apol.*, 1585-1597 ; in fine prioris articuli laudati, litteraturam circa controversiam de epiclesi reperies ; cf. adhuc RAUSCHEN, *Euch. und Buszsakr.*, p. 111 s.; THALHOFER-EISENHOFER, *Handbuch der Kath. Liturgik*, II, p. 16,19 et 145, Freiburg in B., 1912 ; de assumptione hujus ritus in Canonem primitivum disserit D. CAGIN, *o. c.*, p. 182 s., Paris, 1912 ; lege etiam BATIFFOL, *Leçons sur la Messe*, p. 270 s., Paris, 1919².

mus, ponit victimam divinam sub speciebus panis et vini in statu immolationis, qui inde apparet quod corpus Christi manducari et sanguis ejus potari potest, itaque ipsa consecratio oblativa « ordinem dicit ad sumptionem uti ad complementum sacrosancti illius commercii quod sacrificantes habemus cum Deo » (1). Eadem ratione, in definienda notione generica sacrificii, reperimus convivium in quibusdam sacrificiis VT., in pacificis nimirum, intime connecti cum oblatione ipsa, ut complementum videlicet extrinsecum, quo significatio specialis harum oblationum penitius exprimeretur; attamen hoc epulum nullo titulo ad essentiam sacrificii qua talis pertinebat.

* * *

Ex his sufficienter intelligitur obligatio gravis, qua, ex Rubricarum praescriptione, communionem celebrantis semper addere oportet consecrationi, ita vel imo ut, deficiente celebrante, alius sacerdos, etiam non jejunus, Missam perficere debeat; sumptio enimvero, quamquam non est pars intrinsece constitutiva sacrificii qua talis, sacrificium nihilominus extrinsece complet et ad perfectionem adducit (2).

Haec doctrina nitide confirmatur ex Concilio Toletano XII, quod sacerdotes vituperat eo quod soleant « non tot vicibus communionis gratiam sumere, quot sacrificia in uno die videntur offerre; sed, si uno die plurima per se offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a communione suspendant, et a sola tantum extrema sacrificii oblatione communionis sanctae gratiam sumant » (3).

(1) Billot, *De Ecclesiae Sacramentis*, I, p. 618, Romae, 1915[5].

(2) Disputat Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. V, n. 16, utrum sumptio pertineat ad sacrificium Eucharisticum, ut pars completiva ex lege divina, an potius ex lege ecclesiastica cum fundamento in jure divino. Testimonium *Conc. Trid.*, sess. XIII, *Decretum de ss. Euch.*, cap. 8 (*Enchiridion*, n. 881), ubi ss. Synodus in Ecclesia semper morem fuisse docet ut « sacerdotes celebrantes se ipsos communicarent, qui mos tanquam ex traditione apostolica descendens jure ac merito retineri debet », rem non dirimit; Concilium ibidem tantummodo declarat sacerdotem non ab alio debere communionem accipere, sed se ipsum communicare. Si interpretationis textus sacri meminisse lubet, quam in capite primo partis secundae instituimus, dicendum videtur, et ita quam plurimi annuunt doctores, obligationem celebrantis ad sumendam Eucharistiam esse juris divini; haec autem solutio, uti patet, rem intactam relinquit, utrum necne communio ad essentiam sacrificii spectet.

(3) *Conc. Tolet. XII*, cap. 5 (Harduinus, *Acta Conciliorum*, III, 1721 s., Parisiis, 1715); cf. etiam s. Ivo. Carnot., *Decretum*, II, 114 (PL., CLXI, 192) et Grat., *Decretum*, III, II, 11 (PL., CLXXXVII, 1736): « Quale erit sacrificium... »; ad haec verba provocat s. Thomas, *l. c.*

Alias considerationes in eumdem sensum evolvere liceret, sed easdem nunc praetermittere praestat, ne argumenta infra adducenda praeoccupare videamur ; advertere tamen lubet, cum Card. Billot, quemadmodum in liturgia romana ante et post consecrationem omnia oblationem oleant, dum « ubi ... devenitur ad ea quae sumptionem praecedunt ac praeparant, de oblatione jam nihil, sed pax annuntiatur et petitur et datur, quia ad mensam Dei admittitur homo, in consortium divinorum assumptus et in Dei societatem adscitus » (1).

*
* *

Praecipua, imo unica difficultas seria contra hanc sententiam ex textu desumitur s. Pauli, in I Cor., XI, 26 : « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis : mortem Domini annuntiabitis (annuntiatis) donec veniat ». Docet igitur Apostolus per sumptionem annuntiari mortem Domini ; at vero, haec praecipue constituunt sacrificium Eucharisticum, quod est verum sacrificium, sed essentialiter etiam relativum ; ad minus ergo concedendum erit communionem pariter ad sacrificium pertinere.

Replicamus ad hanc objectionem cum interpretatione textus sacri, quam supra praestitimus, et advertimus ex testimonio s. Pauli revera patescere sumptionem ad integrum ritum spectare, sed utrum necne ad ipsam rationem sacrificii pertineat, ex hoc loco non constat. Jamautem, communio qua talis et in se considerata, mortem Domini annuntiare non nata est ; attamen, optime intelligitur christianos passionem commemorare in communione, quando victimam participant, quae in memoriam Domini immolata est. Ita etiam s. Thomas : « Ideo in hoc sacramento, quod est memoriale dominicae passionis seorsum sumitur panis ut sacramentum corporis, et vinum ut sacramentum sanguinis » (2). Quando sumitur, jam est sacramentum corporis et sanguinis ; adeoque sumptio mortem Christi commemorat, non qua talis, sed quoniam sumuntur corpus et sanguis in consecratione mystice immolata, per quam immolationem incruentam illa cruenta crucis oblatio repraesentatur.

(1) Billot, *o. c.*, I, p. 621.

(2) *Sum. Theol.*, III, q. 74, a. 1, c.; cf. adhuc *Sum. contra Gentes*, IV, 61 et Billuart, *Summa s. Thomae hodiernis Academiarum moribus accommodata sive Cursus theologicus*, in parte III, t. IV, Tract. de Euch., diss. VIII, a. 2, p. 474, Leodii, 1750 ; ita etiam *Conc. Trid.*, sess. XIII, *Decretum de ss. Euch.*, cap. 2 (*Enchiridion*, n. 875) : « Salvator noster ..., in illius (sacramenti) sumptione colere nos sui memoriam praecepit ».

§ 2. — *Refutantur argumenta eorum, qui communionem pariter ad essentiam sacrificii Eucharistici spectare autumant.*

Haud pauci theologi communionem simul cum consecratione ad essentiam sacrificii Eucharistici necessariam dicunt (1) ; eorum argumenta, quae thesim nostram impugnant, nunc audiamus oportet (2).

Ita primo arguit Bellarminus : « Neque obstat, quod ista sumptio non videatur fieri in persona Christi, qui tamen est primarius sacerdos. Nam Christus quidem non se ipse manducat, neque immediate consumit sacramentum : tamen ipse dici potest consumere, quia ad consummandum tradit. Quemadmodum enim in sacrificio crucis, Christus vere se ipsum sacrificavit, quia occidendum obtulit, licet non se ipse occiderit. Nam etiam in Testamento veteri de ratione holocausti erat combustio, quae tamen immediate non a sacerdote, sed ab igne fiebat : sed vere dicebatur sacerdos cremare victimam quando ignem illi sufficiebat » (3).

Si quis explicationis meminisse velit, quam in prima parte ad sacrificium holocausti tradidimus, rationem ex comparatione additam omnino claudicare statim ipsi apparebit. Combustio etenim hostiae in holocausto significationem propriam hujus sacrificii

(1) Ita Bellarminus, *De Missa*, I, c. 27, et Card. de Lugo, *o.c.*, disp. XIX, sect. V, n. 64 s. et sect. VI, n. 83 ; cf. etiam s. Alphonsum, *Theol. mor.*, lib. VI, n. 305 (ed. Gaudé), qui hanc theoriam probabiliorem vocat, sed nostram dicit communiorem, eique adhaeret in lib. III, n. 310 ; antiquiores patronos theoriae, de qua nunc disputamus, indicatos habebis apud s. Alphonsum, *in priore loco* ; cum cl. Desmet, apud period. *Coll. Brugen.*, XVII, p. 702, n. 4, 1912, citamus inter recentiores fautores hujus sententiae : Aertnys, *Theol. mor.*, II, n. 109, quaer. 1º, Tornaci, 1890 et Herrmann, *Instit. dogm.*, II, n. 1699, Romae, 1908 ; ita adhuc Marc, *Instit. mor. alph*, II, n. 1589, Romae, 1886 et L.D.R(idder), apud period. *Nouv. Revue Theol.*, XXXV, p. 440, 1903 ; hi ambo ultimi auctores tamen minus assertive loquuntur.

(2) Agitur controversia de sumptione Eucharistiae a celebrante ; frustra objiciunt Protestantes verba Christi : « Hoc facite », siquidem ex iis verbis constat revera Christum demandasse Apostolis ut offerrent Eucharistiam et eam sumerent, sed primo, inde non inferendum est sumptionem ad ipsam essentiam sacrificii pertinere, uti statim adnotabimus, et secundo, minus adhuc concludendum distributionem Eucharistiae laicis cum eodem ritu in ratione sacrificii cohaerere. Novimus insuper Missam in primitiva Ecclesia, celebratam fuisse, quin quivis ex adstantibus communicaret, quod plane conficiunt querelae putas . J. Chrysostomi, *In Eph. hom.* III, 4 (PG., LXII, 29) et *In Hebr. hom.* XVII, 4 (PG., LXIII, 131 s.) ; catholicis autem dirempta est quaestio ex doctrina *Trid. Synodi*, sess. XXII, *De sacrificio missae*, can. 8 et ex constitutione Pii vi, *Auctorem fidei* (*Enchiridion*, n. 955 et n. 1528).

(3) Bellarminus, *De Missa*, I, c. 27.

expressiore modo inculcabat, et ideo, quia ratione intimiore materiam seu objectum sacrificii destructioni devovebat, unum quid physicum cum mactatione efficiebat ; at vero, haec combustio, uti ibidem pariter demonstravimus, ad essentiam sacrificii stricte sumptam non pertinebat ; deinde etiam, si fatendum esset hanc combustionem ad essentiam sacrificii spectare, adhuc claudicaret comparatio, quum sacerdos victimam holocausti in ignem traderet ut eamdem intimius destrueret ; manducatio autem Eucharistiae, uti mox ad aliam objectionem adnotabimus, nullatenus ad destructionem sacrificalem ordinatur.

Attamen ipsum argumentum a Bellarmino allatum in se labile videtur : et enim primo, aliis rem tradere ad consumendum non idem dicit ac rem per alium consumere ; secundo, collatio cum sacrificio cruento crucis, quam em. auctor in confirmationem et explanationem adducit, sententiam ipsius magis obnubilat eamque potius infirmat. Dicitur revera Christum semetipsum in cruce sacrificasse, sed non ideo quia sese tortoribus suis occidendum obtulit ; hoc est enim victimae, non sacerdotis ; hac de causa porro se ipsum in sacrificium obtulisse pronuntiatur, quod in prima parte etiam comprobavimus, quoniam animam suam potestative deposuit, quando cum ingenti clamore obiit, et hoc actu externo sese libere mortem suam admittere et in summum Dei honorem ordinare luculenter ostendit (1).

Alterum argumentum adversus nostram sententiam desumitur ex Rubrica, qua, etiam post consecrationem, Ecclesia fructum sacrificii applicare videtur, in commemoratione videlicet pro defunctis ; ex hac autem praescriptione sacrificium nondum perfecte absolutum esse statim inferunt. Verum, ad hanc objectionem confutandam animadvertere sufficit ipsam Rubricam satis innuere, post consecrationem, celebranti non remanere nisi applicationem impetrationis ex opere operantis sacerdotis, qui tum in persona Ecclesiae, tum item in persona propria, preces fundere rogatur pro defunctis illis « pro quibus orare intendit » (2).

Tertiam difficultatem movet Bellarminus (3) ex ipsa definitione sacrificii, quoniam, ait, in tota actione Missae, nulla alia est destructio realis victimae, praeter istam, quae in communione obtinet. Haec difficultas potius ad articulum sequentem spectat, in

(1) Cf. Card. Billot, *o.c.*, I, p. 620.

(2) Cf. Suarezium, *o.c.*, disp. 75, sect. V, n. 15 et Card. Billot, *o.c.*, I, p. 622.

(3) Bellarminus, *De Missa*, I, cap. 27 ; cf. etiam Card. de Lugo, *o.c.*, disp. XIX, sect. III, n. 48.

quo palam faciemus quemadmodum in sola consecratione ratio veri sacrificii salvari possit. Notare interim juvat, quovis respectu consideretur communio, sive in ipso actu sumptionis, sive in actione digestiva, quae hanc sumptionem excipit, nullo pacto in eadem inveniri actionem sacrificam, quae ipsam victimam afficiat (1).

Cum hac sententia nobis adversa, connexa sunt placita quorumdam auctorum inter modernos, qui sacrificium tamdiu perseverare putant, quamdiu durant species sacramentales (2). Haec opinio vero eisdem argumentis modo allatis satis refutatur, et ex mox dicendis de ipsa actione sacrifica adhuc penitius contundetur.

*
* *

Card. de Lugo advocat (3) in favorem sententiae, quae communionem simul ac consecrationem ad essentiam sacrificii Eucharistii facere propugnat, praeprimis auctoritatem divi Thomae, et revera docet Angelicus (4) sacerdotem in Missa corpus et sanguinem Domini sumere in persona omnium. Verum, uti statim apparet, Aquinas praesertim inculcat cur fideles sacramentum non sub

(1) Cf. Vasquezium, *o.c.*, disp. 222, cap. IV, n. 23; Desmet, apud *Coll. Brugen.*, XVII, p. 702 s., 1912. — Hanc assertionem impugnat Lugo, *o.c.*, disp. XIX, sect. VI, n. 78 quoniam, ait, ad sacrificium non postulatur « quod destruatur quaelibet pars rei oblatae : satis est destrui totum, ut singulae etiam partes dicantur oblatae » ; atqui, « res oblata est panis coelestis, constans ex corpore Christi, et speciebus, qui destruitur per sumptionem ». In sectione sequenti demonstrabimus non offerri in Eucharistia Christum cum speciebus, sed Christum sub speciebus, itaque enervabitur haec difficultas. — Contra eamdem theoriam adhuc objicit Vasquezius, *o. c.*, disp. 222, cap. IV, n. 25 et 26, communionem laici tunc etiam fore sacrificium, sed hanc animadversionem facile refellit Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. VI, n. 79, replicando non sufficere qualemcumque sumptionem, sed talem, quae fit a legitimo minstro. — Attamen ex concessis ibidem a Lugone magis apparet falsitas opinionis ipsius : admittit nimirum sacerdotem quoties communicat de manu etiam alterius, dummodo intentionem habeat, posse sacrificare « non complete, sed incomplete eo modo, quo sacrificat in feria sexta in Parasceve : ad hoc enim parum refert propria, vel aliena manu communicari : ceterum peccaret graviter sacerdos, qui talem animum haberet »; tales enim deductiones opinionem minime commendant. — Renz, *Geschichte*, II, p. 500 s., explicite dicit communionem, etiam a laico et extra Missam susceptam, habere characterem sacrificalem ; haec autem assertio, cum ejus placitis de essentia sacrificii Eucharistici connexa, satis confutatur ex his, quae directe adversus hanc theoriam disputavimus.

(2) Ita v. g. Pell, *o. c.*, p. 43; Lepin, *o. c.*, p. 219 s. et p. 224.

(3) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. III, n. 50.

(4) *Sum. Theol.*, III, q. 82, a. 12, ad 3m.

utraque specie accipere debeant, et nullatenus celebrantem in persona Christi Eucharistiam sumere declarat.

Pronuntiat adhuc s. doctor, ubi Rubricam Missalis interpretatur, quodsi contigerit species vini consecratas sumi non posse propter aliquem casum, tunc munus incumbere sacerdoti ut aliud vinum apponat, consecret et sumat, « ne sacramentum remaneat imperfectum », quoniam « sacrificium perficere » oportet (1). Quis autem non videt haec praescripta Missalis sat superque explicari in sententia, quam supra cum auctoribus fere omnibus defendimus? Haec adhuc clarius patescent quando, absoluta utraque quaestione, prima scilicet in quanam actione Missae, secunda quanam formali ratione in ea reperiatur essentia sacrificii, relationem communionis ad consecrationem pressius determinabimus. Quod testimonium s. Thomae attinet, sacrificium per communionem in ratione essentiae complendum aut perficiendum nullibi affirmat.

Arguit deinde em. auctor ex quibusdam verbis s. doctoris, qui dicit feria sexta in Parasceve, sacerdotem sumere corpus Christi praeconsecratum « ne Ecclesia ea etiam die sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibito » (2); videtur igitur Aquinas, ita Lugo : « sentire per ipsam sumptionem communicari fructum hujus sacrificii, non solum sumenti, sed Ecclesiae, cujus nomine sumit; ergo illa sumptio non est sumptio utcumque, sed oblatio sacrificii » (3). Fatemur ingenue nos vim hujus argumenti non percipere : et enim, etiam si annuere oporteret hanc sumptionem non esse qualemcumque, non intelligimus quomodo exinde eam esse oblationem sacrificii asseverari possit. Supervacaneum deinde ducimus confirmationem convellere quam em. doctor ex iis verbis depromit, ubi s. Thomas pronuntiat : « quod sacrificia proprie dicuntur quando circa res Deo oblatas aliquid fit : sicut quando animalia occidebantur (et comburebantur), quod panis frangitur et comeditur et benedicitur » (4); de hoc testimonio ex professo diximus, ubi de doctrina Angelici tractavimus (5).

Addatur haud arduum esse alia s. doctoris testimonia afferre, eaque non ambigua, in quibus Aquinas sacrificium ad solam consecrationem manifeste coarctat et sumptionem potius ad sacramentum adnectit. Ita nimirum docet, uti in exponenda ipsius doctrina latius rimati sumus : « Hoc sacramentum simul est sacrificium et sacra-

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 83, a. 6, ad 3m.
(2) *Ibidem*, a. 2, ad 2m.
(3) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. III, n. 50.
(4) *Sum. Theol.*, II-II, q. 85, a. 3, ad 3m.
(5) Vide supra in secunda parte, cap. III, p. 382, n. 2.

mentum ; rationem sacrificii habet, in quantum offertur ; rationem autem sacramenti, in quantum sumitur » (1), sed « sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiae, in qua sacrificium offertur » (2).

§ 3. — *Refellitur sententia quae essentiam sacrificii Eucharistici in sola communione reponit.*

Alia tandem est sententia, quae magis a Scriptura sacra et Traditione recedit, et essentiam sacrificii Eucharistici in sola communione reponendam affirmat, argumentis praesertim a priori, ex ipsa definitione nimirum sacrificii deductis (3).

Cum hac opinione affinis statim apparet theoria convivii sacrificalis qualis a Renz propugnata fuit. Cl. hic auctor reipsa consecrationem a sacrificio non excludit sed eamdem ut meram praeparationem cibi sacrificalis considerat. Quum rationes suas praecipue ex Traditione desumat, argumenta ipsius in II parte potius diluimus. Quod sententiam spectat a Bellord elucubratam, eamdem pariter superius, in prima parte confutavimus, quoniam ill. auctor praeprimis arguit ex definitione generica sacrificii, quam ex religionibus iisque primitivis adstruere conatur. Refelluntur insuper ejus placita ex iis, quae de Scriptura sacra et Traditione disputavimus, adeoque hoc loco hujus sententiae meminisse sufficiat.

*
* *

Quaedam ex considerationibus, quae nunc examinandae veniunt, invocantur etiam in favorem illius sententiae, quae communionem simul cum consecratione ad essentiam sacrificii Eucharistici pertinere contendit ; haec igitur argumenta convellentes, utramque theoriam attingimus.

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 79, a. 5, c.

(2) *Ibidem*, q. 82, a. 10, ad 1m ; cf. etiam in c. ejusdem art., et q. 82, a. 4, ad 2m ; q. 83, a. 4, c.

(3) Unum auctorem hujus sententiae novit VASQUEZIUS, *o. c.*, disp. 222, cap. III, n. 16, scil. LEDESMAM, P. IV, q. 23, a. 4. — ILL. LAMBRECHT, *o. c.*, p. 189, refert adhuc Albertum Magnum, in opere hujus de Sacrif. Missae, sed ulterius non determinat locum; nos autem hanc sententiam ibidem non legimus; advertimus ceteroquin apud eos auctores scholasticos non statim arguendum ex una alterave locutione, quum rem per transennam tangant et saepissime non nisi textum aliquem traditionalem referant. — Apud ALB. MAG., *Com. in IV Sent.*, dist. XIII, a. 23, quaedam verba reperiuntur, quae in talem sententiam forsitan attrahi possent, sed immerito in hunc sensum adducerentur, uti supra exposuimus, quando ex professo de sententia beati doctoris diximus.

Ita prima proponitur consideratio : omne sacrificium supponit victimam ; atqui, in sacrificio Eucharistico nulla habetur hostia, priusquam per consecrationem Christus praesens in altari sistatur ; per consecrationem igitur non immolatur victima, sed quasi praeparatur ut modo sacrificali in communione destruatur.

Nemo non videt hoc ratiocinium praesertim peccare vitio methodi, siquidem, ad definiendum in quonam sit essentia oblationis Eucharisticae, non ipsam institutionem sacrificii Eucharistici, authentice explicatam per Traditionem attendit, sed a priori statuit in quanam actione destructio sacrificalis, adeoque sacrificium, reperiri debeat. Satis igitur esset ad ea remittere, quae hucusque disputavimus : comprobavimus autem sacrificium Eucharisticum ad consecrationem eamque solam coarctandum, et quod quaestionem attinet quemadmodum in eadem habeatur destructio sacrificalis, haec in articulo sequenti ex professo tractabitur.

Ad rationem allatam, victimam nempe ad sacrificium supponi, respondemus, cum Angelico, duplicem in eadem consecratione respectum discernendo, confectionem videlicet sacramenti et oblationem sacrificii (1) : eadem consecratio, quamquam sub diversa ratione, est praesentatio et adductio victimae, non aliunde, sed per transsubstantiationem, simul ac oblatio et immolatio hostiae : « consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur » (2), et « sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiae, in qua sacrificium Deo offertur » (3).

*
* *

Secunda consideratio ita enuntiatur : sacrificium Eucharisticum non est in consecratione reperiendum, quoniam actio consecrativa

(1) Cum eadem difficultate connexa est objectio a Bellarmino, *De Missa*, I, cap. 27, ita proposita : « Si per consecrationem vera, et realis immolatio fieret, ea tamen non fieret in altari, sed in coelo. Nam immolatio ibi fieri dicitur, ubi animal vivum occiditur ». Difficultas dirigitur contra eos, qui realem aliquam destructionem in Missa, id est, destructionem ipsius rei oblatae, sive ipsius Christi quoad substantiam, adstruere vellent, sed generaliori ratione urgeri posset, et eadem distinctione dissolveretur, quam in textu invocavimus.

(2) *Sum. Theol.*, III, q. 82, a. 10, c. ; cf. etiam q. 78, a. 1, c.

(3) *Ibidem*, q. 82, a. 10, ad 1m. — Minus placet responsio Card. Billot, *o.c.*, I, p. 623 : « Evidens ratio disparitatis est, quia victima in specie propria oblata non potest immolari nisi per actionem quae primo ad ipsam terminetur : quo fit ut praesupponi debeat ipsius victimae praesentia. Sed si offeratur in sacramento, jam mutantur conditiones, quia tunc victima immolatur per actionem primo terminatam ad id quod in ipsam transsubstantiatur ; adeoque eadem actio est, qua sub manentibus speciebus fit praesens, et qua sub

et transsubstantiativa non procedit a ministro, et ne quidem a Christo-sacerdote, sed ab ipso Deo, qui solus, sua omnipotentia, elementa transsubstantiare et panem atque vinum in corpus ac sanguinem Christi convertere potest.

Quum ministri in persona Christi sacrificium Eucharisticum offerant, Christo-sacerdoti oblationem sacrificii vindicare nunc satis erit ; de relatione sacerdotis-ministri ad Christum-sacerdotem in sectione quarta explicite disputabitur.

Facile autem vindicatur, ubi quis attenderit, primo, consecrationem, licet sit a Deo tanquam causa principali, etiam esse a Christo, Deo-homine, tanquam a causa instrumentali, eadem ratione, qua miracula, durante vita Christi terrena patrata, quamquam virtute divina perficiebantur, uti pulchre exponit s. Thomas (1), nihilominus ipsi Domino attribuenda erant, quia « anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas » (2). — « Dicendum (igitur) quod opera miraculosa nulla creatura potest facere quasi agens principale ; potest tamen ea facere instrumentaliter... Et per hunc modum verba Christi convertunt panem in corpus Christi » (3). — Christus in coena per verba consecratoria sacramentum confecit et sacrificium obtulit, et nunc absque intermissu in persona ac virtute ejus consecratur et offertur Eucharistia, nec ullum dubium adeo subesse potest quin ipse Christus Eucharistiam conficiat et sacrificium offerat.

Jamautem secundo, Christus, Deus-homo, causa est, eaque propria ac totalis, ordinationis intentionalis, sive formae metaphysicae, per quam actio sacrifica, forma physica sacrificii, ad debitum Deo cultum persolvendum refertur. Cultus enim est « exhibitio reverentiae seu actus submissionis ad agnitam excellentiam alterius » (4);

iisdem in habitu mactationis constituitur ». — Opponi enim posset, per hanc considerationem aliquantisper explicari transsubstantiationem, sed nihil demonstrari, itaque intimius perscrutanda manet difficultas, et dicendum est terminum ad quem ipsius actionis sacrificae in Eucharistia esse Christum sub specie immolatum, dum in sacrificiis cruentis VT., terminum ad quem proprie dictum nullum indicare licet, quum res offerenda in iis sacrificiis, puta animal, quoad substantiam destrueretur ; terminus a quo in sacrificiis VL. erat ipsa victima immolanda ; in sacrificio Eucharistico, terminus a quo consecrationis, in qua sacrificium perficitur, est panis, sed alia et alia ratione dicitur terminus a quo, in utroque casu, uti infra latius rimabimur.

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 13, a. 2, c.

(2) *Ibidem*; cf. adhuc q. 43, a. 2, c.; a. 3, ad 2m ; a. 4, c. et q. 44, a. 3, ad 3m.

(3) *Ibidem*, q. 78, a. 4, ad 2m.

(4) Dignant, *Tractatus de Virtute Religionis*, p. 1, Brugis, 1901².

verum, homo Deo cultum exhibere cogitur « quo protestatur divinam excellentiam et subjectionem sui ad Deum » (1), sed Deus sibimetipsi cultum praestare nequit. — « In Missa (proin) nihil obstat quod actio transsubstantiativa sit materialiter a solo Deo tanquam causa principali ; nam si consideretur formaliter ut testificativa adorationis hominum, non amplius est a sacerdote ut a mero instrumento, sed ut ab eo qui ex propriis operatur, colit, adorat, et reveretur Deum » (2).

Duplici animadversione difficultatem ergo expendimus : primo, actio transsubstantiativa, quamvis potestati divinae ut causa principali tribuenda, adhuc Christo adscribenda venit, tanquam causae instrumentali ; secundo, ordinatio intentionalis sive forma sacrificii metaphysica Christo-sacerdoti attribui debet, tanquam causae propriae et totali, itaque ipsum Christum sacrificium offere dicendum erit.

*
* *

Tertia consideratio in confirmationem hujus sententiae, sacrificium Eucharisticum coarctantis ad communionem, adducitur ex liturgia Missae Praesanctificatorum, in qua Deus rogatur ut acceptum habeat sacrificium ; cum vero nulla sit consecratio in Parasceve, palam patescit, aiunt, consecrationem ad Missam non pertinere, siquidem in hac saltem die, sacrificium est sine consecratione.

Ex hac autem ratione, theoria potius infirmatur quam roboratur, quum auctores fere communiter atque merito admittant non sacrificari in eo die (3), et ea praecipue de causa quia nulla fit consecratio hostiae ; in consecratione enim passio Domini repraesentatur, ideoque, inquit s. Thomas, « in die quo passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus sacramenti » (4), qua consecratione simul verum sacrificium offertur. Mentio tandem sacrificii, quae in liturgia Praesanctifica torum occurrit, non ad sacrificium quoddam actu nunc oblatum, sed ad sacrificium diei praecedentis alludit.

(1) *Sum. Theol.*, II-II, q. 81, a. 3, ad 2m.

(2) Billot, *o. c.*, I, p. 624. — Adverte in eadem consecratione confici sacramentum et offerri sacrificium ; consecratio est confectio sacramenti, quatenus conversiva substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini, sed est oblatio sacrificii, quatenus inductiva formae immolatitiae, et sub hoc altero respectu, quo ad sacrificium facit, ad Deum ordinatur.

(3) Cf. *Conc. Tolet. XVI*, cap 8 (Harduinus, *Acta Conc.*, III, 1798), quo capite statuitur nullatenus licere hac die, in feria VI Parasceves, « Missarum solemnia celebrare ».

(4) *Sum. Theol.*, III, q. 83, a. 2, ad 2m.

§ 4. — *Actio sacrifica in Missa nullatenus in oblatione quadam distincta a consecratione, neque in fractione specierum reponi potest.*

Pauca tantum addenda manent de aliis quibusdam sententiis, quae essentiam sacrificii Eucharistici etiam in oblatione verbali cum elevatione, quae ante consecrationem ad Offertorium obtinet, aut in oblatione verbali, quae post consecrationem in Anamnesi occurrit, aut tandem in fractione specierum reponendam dicunt.

Tales theoriae, hodie communiter et merito derelictae, sunt potius conamina solutionis, quae ex eodem explanantur vitio methodi saepius indigitato : non in ipsa institutione Eucharistiae aut in traditione authentica, textum sacrum interpretante, innituntur, sed a priori construuntur, hac nimirum via : statuitur prius definitio quaedam sacrificii, perperam insuper plerumque intellecta, ac deinde praetermissa ex integro ipsa narratione institutionis Eucharistiae, statim quaeritur in quanam actione seu in quonam ritu, in liturgia hodierna usurpato, talis definitio verificari possit.

Ita procul dubio enata est theoria, quae essentiam sacrificii Eucharistici reponit in oblatione verbali cum elevatione, sive haec ante consecrationem (1), sive post consecrationem (2) reperiantur. Haec sententia enim primo, fundatur in erronea notione oblationis, quam improbavimus in I parte, ubi ostendimus nullam oblationem

(1) Pro hac sententia citatur a Vasquezio, *o. c.*, disp. 222, cap. I, n. 3, J.D. Scotus, *Comm. in IV Lib. Sent.*, dist. XIII, q. 2, sed dubium circa hanc assertionem jam movimus, quando supra doctrinam Scoti exposuimus.

(2) Haec sententia rursus a Vasquezio, *l. c.*, attribuitur J.D, Scoto ; ita etiam a Suarezio, *o. c.*, disp. 75, sect. III, n. 2, sed fortasse immerito, uti diximus. Dubium etiam nobis est utrum hanc sententiam tenuerit Ruardus Tapperus, quem in hunc sensum interpretantur. Cf. Suarezium, *o. c.*, disp. 75, sect. III, n. 2 et ea quae supra ad doctrinam Tapperi advertimus. — In hanc opinionem, quam nunc oppugnamus, inclinatur Eckius, *Enchiridion locorum communium adv. Lutherum*, art. 17, p. 170 s., Parisiis, 1562 ; referuntur adhuc pro eadem opinione Gab. Biel, *In IV Sent.*, dist. XIII, q. 1, a. 3, dub. 2 et Alph. de Castro, *Contra haer.*, lib. 10, verbo Missae, haer. 2 ; cf. Stentrup, *o. c.*, II, p. 467. Eamdem nunc adhuc propugnare videtur Johnston, apud *Eccl. Review*, XXXIII, p. 519, 1905, qui in nota : *On Bishop Bellord's view of sacrifice*, ita scribit : « First of all, the priest has a participation in the divine power which, through the words of consecration, brings down upon earth the sacred Body and Blood of Christ. Secondly, the priest, holding that Body and Blood, offers It as Christ offered It, and does offer It now, in most perfect adoration of God, and as a propitiation for the sins of men. This offering, which we call perhaps the essence of the Mass, is developed strongly and beautiful in the prayers following the Consecration » ; ita certo Grivet, *o. c.*, p. 37, uti in parte nostra prooemiali , p. 20, adnotavimus.

physicam, et multo minus adhuc oblationem verbalem, ad essentiam sacrificii pertinere, quoniam hostia offertur, et quidem ut sacrificium, eo ipso et quatenus sacrificatur. Secundo, nullam talem oblationem in institutione Eucharistiae indicare fas est, et quae disserit Bellarminus (1) de oblatione a Christo ante consecrationem peracta, quando oculos ad coelum elevavit et gratias egit, haec gratuito asseruntur et in nullo fundamento traditionali innituntur ; quae vero de oblatione post consecrationem proponuntur, haec manifeste sacrae Paginae contradicunt, quandoquidem Christus statim post consecrationem corpus et sanguinem suum discipulis manducandum et libendum porrexit. Ex historia liturgiae praeterea constat oblationem ante consecrationem non semper fuisse usitatam (2) ; quod oblationem post consecrationem attinet, haec revera in forma primitiva Canonis reperitur (3), sed ad ipsam coenam novissimam certo defuit.

* * *

Quaenam sit significatio illius caerimoniae, quam Ecclesia ad Offertorium praescribit, et cui tantum insistit ut haec oblatio semper sit facienda, saltem mentaliter, satis apparet ex ipsa prece, quae statim post hanc oblationem recitatur : « Veni sanctificator omnipotens, aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum ». Haec oblatio est igitur praeparatio sacrificii, sed quia in pane et vino tanquam in materia, ut termino a quo, incipit consecratio, in qua sacrificium perficitur, ideo jure et merito, « in oblatione panis et vini jam considerat s. Liturgia sacrificium tanquam totum, quod licet nondum sit perfectum, tamen vere paratur et incipit per hanc oblationem materiae; loquitur proin non de sacrificio quod nunc in pane et vino partim absolvatur, sed quod mox in consecratione panis et vini perficietur » (4).

* * *

In favorem hujus opinionis, quae oblationem aliquam ad essentiam sacrificii pertinere affirmat, frustra provocatur ad

(1) Bellarminus, *De Missa*, I, cap. 27 ; ipse Bellarminus hanc oblationem, non dicit partem essentialem sed integralem ; idem sentit de oblatione post consecrationem.

(2) Cf. Thalhofer-Eisenhofer, *o. c.*, II, p. 126.

(3) Cf. D. Cagin, *o. c.*, p. 295 ; vide textum Const. Apost., quem in capite tertio partis secundae transcripsimus.

(4) Ill ac rev. Waffelaert, *Scholia de ss. Missae sacrificio*, apud *Coll. Brugen.*, XII, p. 741 s., 1907.

testimonium ss. Tridentinae Synodi, quae, aiunt, potestatem consecrandi et offerendi signanter distinxit, et anathema pronuntiavit contra eos, qui « non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini » (1) profitentur. Ipsum ss. Concilium etenim sufficienter suam mentem pandit, quando ad verba Christi : « Hoc facite in meam commemorationem », hanc addit explicationem : « Is igitur Deus et Dominus noster . . . corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc NT. sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba : Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia catholica intellexit et docuit » (2).

In hac sessione XXIII, ubi ex professo de institutione sacerdotii novae legis disputabatur, quoniam quidam protestantes sacerdotibus potestatem denegabant non consecrandi, sed offerendi, claritatis gratia utramque potestatem vindicavit Ecclesia, sed haec utraque potestas in eadem consecratione exercetur, in qua, uti saepius jam cum Angelico adnotavimus, sacramentum consecratur simul ac sacrificium offertur. In confirmationem explicationis nostrae, advertere praestabit quemadmodum in ritu ordinationis sacerdotum de sola potestate offerendi agatur.

*
* *

Quod tandem spectat fractionem hostiae, quam quidam theologi ad essentiam sacrificii Eucharistici pertinere opinati sunt (3), eamdem nulla pacto intrinsece ad sacrificium esse referendam, ex institutione Eucharistiae patenter rursus constat. Verba enim : « corpus, quod pro vobis frangitur », manifeste ad rem non faciunt ; fractio autem ab ipso Christo in coena usurpata, quando benedixit, fregit deditque discipulis suis, unice ad distributionem ordinaba-

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXIII, *De sacramento ordinis*, can. 1 (*Enchiridion*, n. 961).

(2) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 1 (*Enchiridion*, n. 938).

(3) Ita censet Melchior Cano, *De locis theol.*, lib. XII, cap. 12, p. 421 s., uti jam exposuimus ; citantur adhuc Valentia, disp. 6, q. 11, parag. 2 et Estius, *In IV Sent.*, dist. XIII, parag. 12 ; cf. Stentrup, *o. c.*, II, p. 470. — Bellarminus eamdem fractionem ad integritatem spectare autumat, *l. c.*, sed indebite in hunc sensum advocatur divus Thomas, uti loco suo notavimus.— De mixtione specierum, quam quidam auctores cum hac fractione ad sacrificium pertinere opinati sunt, lege Suarezium, *o. c.*, disp. 75, sect. II, n. 5.

batur, uti luce clarius ex intima conjunctione inter « fregit » « deditque » patescit. Haec ipsa fractio deinde in Missa non in persona Christi peragitur, et juxta Rubricam Missalis omitti potest, ubi hostiam ante fractionem in calicem decidere contingat.

*
* *

Harum opinionum meminisse juvat ut confirmationem habeamus non tantum sententiae nostrae in hoc articulo propositae, sed etiam totius methodi, quam in parte prooemiali vindicavimus, ubi de via in hac disquisitione de essentia Missae sacrificii ineunda, fuse disputavimus. Paucis hisce verbis jam integrum articulum primum contrahimus : *essentia sacrificii Eucharistici reperienda est in consecratione et ipsa sumptio Eucharistiae non ad essentiam sed ad integritatem facit* (1) ; quomodo actio sacrifica in consecratione habeatur, in articulo sequenti perscrutabimur, et ibidem melius apparebit quonam intimo nexu communionem cum consecratione conjungamus oporteat.

Art. 2. — De formali ratione qua in consecratione sacrificium offertur.

Ad ipsum nodum quaestionis de essentia Missae sacrificii pervenimus in hoc articulo secundo, in quo de ipsa formali ratione disputabimus, qua sacrificium in consecratione Eucharistiae perficitur (2). Advertatur autem sedulo sacrificium Eucharisticum esse verum sacrificium, quod intrinseca relatione ad cruentam crucis

(1) Ita docent Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. V, n. 11; Vasquezius, *o.c.*, disp. 222, cap. V, n. 31 s.; Lessius, *o. c.*, lib. XII, cap. 13, n. 94 et plerique moderni uti Franzelin, *o. c.*, thes. XVI, p. 390 s.; Ill. Lambrecht, *o. c.*, p. 190 s.; Ill. ac rev. Waffelaert, apud *Coll. brugen.*, XII, p. 737 ; Card. Billot, *o. c.*, I, p. 620 et alii quam plurimi, quos approbando refert cl. Desmet, apud *Coll. Brugen.*, XVII, p. 704, n. 2, 1912.

(2) Agitur in hoc articulo de formali ratione, qua in consecratione Eucharistiae verificatur sacrificium, seu de forma physica sacrificii Eucharistici ; requirimus nimirum quanam ratione obtineatur, in hoc ritu sacro, destructio sacrifica, quam necessariam ad omne sacrificium demonstravimus. Minus recte loquuntur plerique auctores de « formali » ipsius sacrificii, quia sacrificium habet revera formam physicam et metaphysicam, et ex hac omissa distinctione inter utramque formam, praecipue enata est theoria Vasquezii, qui « formale sacrificii » in sola significatione reposuit. De his vide I partem, ubi hanc sententiam latius confutavimus. — Quidam auctores, ita Einig, *o. c.*, p. 130, Oeniponte, 1888 et Pohle, *Dogmatik*, III, p. 376 s., distinguunt inter essentiam physicam Missae, uti aiunt, et

immolationem refertur, quamquam Missa non constituitur in ratione sacrificii formaliter et reduplicative per ipsam relationem quam habet ad sacrificium cruentum crucis ; « considerandum enim est », uti scite adnotat Card. Billot, « quod *esse repraesentativum* est quoddam relativum *secundum dici*, importans rem absolutam quam consequitur quaedam habitudo. Cum ergo dicimus Missam ex eodem habere ut sit absolute sacrificium, a quo habet ut sit passionis repraesentativa, sensus est, eam in esse sacrificii constitui per illud ipsum quod fundat relationem crucis tanquam ad rem repraesentatam » (1).

Duplicem igitur respectum in eadem consecratione reperire licet, adeoque statim intelligitur, quemadmodum, in explicanda essentia sacrificii Eucharistici, utramque rationem seorsim et successive definire fas sit, quin eo ipso separatio inducatur ac divisio in una eademque actione, in qua respectus hic uterque verificatur. In fine ceteroquin hujus partis tertiae, rem synthetice perpendentes, requiremus quonam sensu ac quonam modo sacrificium Eucharisticum, essentialiter relativum ad sacrificium crucis, unum atque idem sacrificium cum oblatione cruenta dici possit atque debeat.

In hoc articulo de sola ratione formali tractabimus, qua sacrificium Eucharisticum verum est sacrificium ; hanc disquisitionem eadem methodo a posteriori praestabimus, quam hucusque in tota nostra dissertatione adhibuimus, ne elementum quodlibet aprioristicum in interpretationem inseramus. In paragrapho prima, proponemus sententiam, quam omnino tenendam ducimus ex doctrina Scripturae sacrae et Traditionis, authentica declaratione Ecclesiae illustrata ; in paragrapho secunda, diluemus difficultates, quae adversus hanc theoriam afferuntur.

essentiam ipsius metaphysicam. Essentia physica sunt ipsa elementa, quae Missam constituunt, actio scilicet consecrativa et relatio ad sacrificium crucis; ad essentiam metaphysicam, seu ad quaestionem metaphysicam, (uti etiam loquitur Pohle, *l. c.*), spectat disquisitio de formali ratione, qua in consecratione verum obtineatur sacrificium, simul essentialiter relativum. Eamdem divisionem profitetur Michael, *o. c.*, p. 3, sed essentia physica Missae, ad mentem ipsius, constituitur illis elementis ad essentiam Missae necessariis, quae sub sensu cadunt, et quae non sola ratione aut fide percipiuntur; essentia autem metaphysica, ait, non cadit sub sensu, sed ratione intelligitur, et ratione quidem fide illustrata, ubi res supernaturalis agitur. — Istas distinctiones et divisiones in dissertationem nostram invehere inutile duximus, quia, minus accuratae quum sint, parum claritatis afferunt, et potius difficultates novas parant. — Cum s. Thoma, *Sum. Theol.*, I, q. 29, a. 2, ad 3m, profitemur : « essentia proprie id est quod significatur per definitionem », et cum hac notione rem dirimere satis erit.

(1) Billot, *o. c.*, I, p. 619, n. 1 ; cf. etiam cl. Desmet, apud period. *Coll. Brugen.*, XVII, p. 699 s., 1912.

§ 1. — *Exponitur sententia, quam omnino tenendam autumamus.*

Sacrificium Eucharisticum in textu sacro ita proponitur : « Accepto pane (Christus) gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur (τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον)... Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens : Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur (τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον) » (1).

Ex hac narratione constat corpus et sanguinem Christi offerri in sacrificium proprie dictum, quod eadem ratione concipiamus oportet qua sacrificia legis antiquae, eo vel magis quod juxta vaticinium Malachiae, in quo explicando praeprimis immorata sunt tria priora saecula aevi christiani, novum hoc sacrificium omnibus illis substituitur hostiis, quae sub VT. indesinenter oblatae, accedentes ad Deum perfectos facere nunquam potuerunt (2).

Celebrationem hujus ritus Eucharistici esse immolationem Christi incruentam et mysticam jam ipsi Patres et liturgiae primitivae profitebantur : in eo nempe ritu Christus immolatur in mysterio, uti pronuntiatur in theologia graeca, et haec immolatio opponitur, non immolationi verae et objectivae, quasi ipsa non esset vera et objectiva, sed immolationi cruentae, qua Dominus noster quondam « in se ipso », ad crucem, immolatus fuit ; haec mactatio cruenta diu transiit et iterari nequit, quoniam « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur » (3) ; illa autem incruenta quotidie in altari instauratur.

Valde notandum est « mactationem mysticam » non idem dicere ac « mactationem in sacramentali separatione corporis Christi a sanguine » ; haec enim formula, quae jam diu apud non paucos theologos (4) tanquam synonyma habetur illius prioris

(1) *Lc.*, XXII, 19-20 ; cf. locos parallelos apud *Mt.*, XXVI, 26-28 ; *Mc.*, XIV, 22-24 ; *I Cor.*, XI, 24-25.

(2) Cf. *Hebr.*, X, 1.

(3) *Rom.*, VI, 9.

(4) Ita v. g. BELLARMINUS, *De Missa*, I, cap. 27 et praeprimis SUAREZIUS, *o. c.*, disp. 75, sect. VI, n. 1, quem innumeri auctores secuti sunt. Quod textum spectat s. GREGORII NAZ., *Epist.* CLXXI (PG., XXXVII, 280 s.) : « O Dei cultor sanctissime, ne cuncteris et orare et legatione fungi pro nobis, quando verbo Verbum attraxeris, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem Dominicum, vocem adhibens pro gladio », ex his verbis revera constat Christum in Eucharistia immolari, sed theoria quaedam theologica huic testimonio inseritur, quando ex his verbis ulterius infertur corpus et sanguinem secari, quatenus in specie sacramentali corpus a sanguine separatur. — Advertatur alioquin omnes auctores hanc formulam in suum sensum interpretari ; ita etiam v. g. VASQUEZIUS, *o. c.*, disp. 222, cap. VII, n. 57 :

locutionis, revera unum tantummodo respectum attendit, scil. respectum repraesentativum, quem etiam in oblatione Eucharistica reperimus ; illa autem expressio, quae praeprimis in theologia graeca occurrit (Christus mystice mactatur), aequivalet formulae, quae a theologia latina derivatur : « Christus in sacramento immolatur ». In hac locutione igitur (Christus in sacramento immolatur) nihil minus, sed etiam nihil plus asseveratur quam in illa : « Christus mystice seu in mysterio immolatur », itaque si quis contendat immolationem per « separationem sacramentalem » idem dicere ac « immolationem in mysterio sive in sacramento », reipsa suam explicationem de essentia Missae sacrificii jam in formulam traditionalem inserit, potius quam ipsam doctrinam Traditionis sequitur.

Dicimus ergo : si probari posset sacrificium Eucharisticum esse verum sacrificium per « separationem sacramentalem », haec separatio re quidem vera vocari posset « mactatio mystica », sed nefas est a priori aequiparare « mactationem in sacramentali separatione » cum immolatione mystica aut « immolatione in sacramento » ; atqui, in art. sequenti demonstrabimus separationem sacramentalem non sufficere ad verum sacrificium fundandum.

* * *

His rite perspectis, obvia videtur sententia quam de formali ratione, qua Eucharistia est sacrificium, teneamus necesse est, si sacrae Paginae et Traditioni presse inhaerere velimus.

Ex una parte novimus modum, quo sacrificium Eucharisticum peragendum venit : prolatis verbis consecratoriis a sacerdote, qui in persona Christi consecrat et offert, panis et vinum in corpus et sanguinem Domini convertuntur, « manentibus dumtaxat speciebus » (1), ita ut sub specie panis corpus Christi manducari et sub specie vini sanguis Christi potari valeat.

Ex alia parte scimus verum offerri sacrificium in hac eadem consecratione, qua simul conficitur sacramentum ; verum sacrificium autem veram supponit destructionem, sive realem, ubi ipsa res oblata quoad substantiam destruitur, sive aequivalentem, ubi destructio potius modum essendi externum rei sacrificatae attingit, secundum definitionem et distinctionem, quas in prima parte vindicavimus.

sacrificium Eucharisticum non offertur cruento modo, sed « mystico, hoc est, secundum repraesentationem ».

(1) *Conc. Trid.*, sess. XIII, *De ss. Eucharistia*, can. 2 (*Enchiridion*, n. 884).

Jamautem, victima in sacrificio Eucharistico est ipse Christus, qui jam non in se ipso et cruento modo immolatur, sed « immolatur mystice », « immolatur in mysterio seu in sacramento », uti dicit Traditio ; immolatur incruente, sub specie aut « sub signis visibilibus », uti ss. Tridentina Synodus authentice pronuntiat (1).

Haec immolatio incruenta et mystica, qua Christus ipse vere sacrificatur, non in se ipso seu in specie propria, sed in sacramento aut in specie aliena, ea ipsa est quam declarant verba institutionis : *in consecratione nimirum Christus induit statum immolatitium, qui inde apparet quod corpus ejus manducari et sanguis ejus potari potest.* Consecratio igitur respectum habet sacrificum sub hac formali ratione, quod, uti docte proponit ILL. AC REV. WAFFELAERT (2), « inducit Christum sub forma victimae aequivalenter immolatae, siquidem Christum adducit et ponit in eo statu ut corpus ejus vere sit mandibile sub specie panis, tanquam victimae animalis immolatae, et sanguis ejus vere fiat potus, sub specie vini, ac si esset effusus ».

Non dicimus rationem formalem sacrificii Eucharistici in eo reponi quod Christus sistitur praesens sub specie panis et vini, neque affirmamus rationem sacrificii in eo esse, quod Christus redigitur ad statum cibi et potus ; haec enim pertinent ad rationem formalem sacramenti, non sacrificii ; sed rationem formalem, qua sacrificium Eucharisticum in consecratione perficitur, in hoc reperiendam asseveramus, *quod Christus, sub speciebus sacramenti, in quodam habitu externo mortis et destructionis ponitur, qui inde apparet quod corpus ejus manducari et sanguis ejus potari valet.*

Ne dicatur igitur : quando Christus est in statu cibi et potus, quando in statu existit sacramentali, tanquam victima mandibilis et potabilis, jam perfectum est sacrificium. — Sane ! Sed non reponimus sacrificium in hoc, quod Christus sit in statu sacramentali, et ne quidem formaliter in hoc quod ad statum cibi et potus redigatur, sed ideo verum offerri sacrificium in consecratione Eucharistiae proclamamus, quoniam *Christus actu induit statum immolatitium et actu sistitur in statu victimae, ad instar occisi, qui status inde apparet quod corpus ejus vere manducari et sanguis ejus vere potari potest.* — Sacrificium non perdurat tamdiu, quamdiu species in sacramento perseverant, uti quidem opinati sunt : sacrificium est

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. I (*Enchiridion*, n. 938).

(2) ILL. AC REV. WAFFELAERT, episc. brugen., *Scholia de ss. Missae sacrificio*, apud period. *Coll. Brugen.*, XII, p. 737, 1907.

actus, non status quidam aut habitus, et voluntas continua Christi sese in sacrificium offerendi non sufficit, etiam cum tali statu conjuncta, ut verum sacrificium constituat.

* * *

Haec ex ipso ritu VT. pulchre illustrare et corroborare licet. Sacrificare et mactare victimam materialiter, quidem est eam redigere ad statum cibi : corpora animalium sub VT., post oblationem sacrificii, manducari poterant et sanguis, si licitum fuisset, potari potuisset, sed sacrificium formaliter sumptum non erat in hac praeparatione cibi, uti ad taedium usque adversus Renz animadvertimus, sed erat in destruenda vita hostiae in honorem divinum. Apparebat tamen hostia mactata et immolata, quando corpus ejus manducari et sanguis ejus potari poterat. Eadem ratione nunc in sacrificio novae legis, Christus mactatur et immolatur, non formali ratione quatenus ad statum cibi et potus redigitur, sed quoniam statum induit immolatitium, quoniam, uti egregie docet ill. ac rev. Waffelaert, vere ponitur « in statu victimae et ad instar occisi » (1), qui status inde apparet, sicuti sub vetere lege, ita rursus sub nova, quod corpus victimae manducari et sanguis ejus potari potest. Materialiter igitur, sub vetere et sub nova oeconomia, hostia in sacrificio ad statum cibi redigitur, sed sacrificium formaliter est in ipsa destructione, quae in honorem divinum ordinatur.

Statim autem apparet difficultas, omni ceteroquin sententiae communis, quae destructionem ad sacrificium essentialiter pertinere affirmat. Non videtur enim quomodo doceri possit Christum in Missa destrui, destructione sacrificali, quum Dominus noster nunc sit impassibilis, et nulla immutatio, nedum destructio, ipsum attingere possit.

Ad hanc difficultatem solvendam, institutionem Eucharistiae, traditione patristica illustratam et authentica explicatione Ecclesiae declaratam, rursum adire satis erit.

Christus revera est impassibilis; denuo non moritur nec patitur, ideoque in Eucharistia non mactatur in specie propria, et cruento modo, sed immolatur in specie aliena et incruenta ratione, immolatur mystice et in sacramento ; attamen immolatur vere et objective, quoniam vere induit statum immolatitium, vere ponitur

(1) *Art. cit.*, apud *Coll. Brugen.*, XII, p. 738.

in statu victimae, vere sistitur in altari ad instar occisi, siquidem verus omnino et realis est status sacramentalis.

* * *

Nunc agnoscimus quam accurate, totam quaestionem perscrutatus, scripserit Angelicus : « in consecratione hujus sacramenti offertur sacrificium » (1) ; et « hoc sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiae, in qua sacrificium Deo offertur » (2).

Consecratio igitur primo, respectum habet sacramenti : sacramentum in eadem conficitur, in quantum materia, id est panis et vinum, in corpus et sanguinem Christi consecrantur, per realem « conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus » (3); « sacramentum Eucharistiae perficitur in ipsa consecratione materiae ; alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materiae ad hominem sanctificandum » (4).

Attamen secundo, consecratio Eucharistiae alium adhuc habet respectum, qui nobis innotescit ex ipsis verbis institutionis : « Hoc est corpus meum quod datur... Hic est sanguis meus qui effunditur ». — Hoc corpus, hic sanguis non tantum sistuntur praesentia, sub specie panis et vini, sed insuper offeruntur vere, non realiter, id est, cruento modo, sed aequivalenter, id est, incruenta ratione, quoniam Christus, licet sit vivus et gloriosus in coelis, ad verba consecrationis, in altari vere induit modum immolatitium, et vere sistitur in statu victimae ad instar occisi ; ipse Christus ergo immolatur et destruitur, non realiter, id est, quoad substantiam, siquidem est impassibilis, sed *aequivalenter*, id est, *quoad modum*, et actio sacrifica ipsum afficit, quamquam simul vivus et gloriosus in coelis existit. *Novum modum enim accipit Christus*, quem prius, ante consecrationem, non habebat. Non immolatur in quantum accipit hunc modum sacramentalem, nam hoc ad sacramentum pertinet, uti saepius animadvertimus, sed in eo modo sacramentali accipiendo, *simul, sed sub alia ratione, a respectu sacramentali diversa, modum induit immolatitium,* sistitur in statu victimae, aequivalenter immolatur et destruitur, adeoque Missa est verum sacrificium, juxta definitionem, quam in prima parte vindicavimus.

(1) *Sum. Theol.,* III, q. 82, a. 10. c.
(2) *Ibidem,* ad 1m.
(3) *Conc. Trid.,* sess. XIII, *De ss. Eucharistia,* can. 2 (*Enchiridion,* n. 884).
(4) *Sum. Theol.,* III, q. 73, a. 1, ad 3m.

Si quis autem hanc distinctionem inter utrumque respectum, etiam ob necessitatem causae adinventam esse censeat, meminisse velit difficultatis, quam superius dissolvimus (1).

Et revera, fide certum est verum offerri sacrificium in celebratione Eucharistiae; certum est, ex Scriptura sacra et Traditione, hoc sacrificium offerri in ipsa consecratione. Ergo, cum Deus sibimetipsi sacrificium offerre non possit, oportet in celebratione Eucharistiae rationem seu respectum assignare, quo ipsa consecratio, in qua reipsa sacrificium offertur, ad Christum, Deum-hominem, tanquam causam propriam et totalem, referri queat.

*
* *

Favet tamen hanc explicationem intimius adhuc perpendere. Et enim verum sacrificium postulat veram destructionem; atqui, dicet quis, mactatio mystica, mactatio in mysterio seu in sacramento, modo explicata, non est vera destructio; ergo Missa, juxta theoriam propositam, non est verum sacrificium.

Respondetur distinguendo : verum sacrificium postulat veram destructionem, eamque realem, quae ipsam substantiam rei oblatae afficiat, nego; verum sacrificium postulat veram destructionem, saltem aequivalentem, qua res oblata destruatur quoad modum, concedo.

Atqui mactatio mystica, modo explicata, non est vera destructio; contradistinguo minorem : mactatio mystica non est vera destructio *realis*, seu rei quoad substantiam, concedo; non est vera destructio *aequivalens*, seu ipsius rei quoad modum, nego. Ergo Missa non est verum sacrificium; nego consequens et consequentiam.

Hanc vocem « aequivalenter » audire oportet igitur *in oppositione* ad « realiter », et *in appositione* ad verbum destrui aut immolari, nam destructio aequivalens non fundat sacrificium aequivalens, quod non esset verum sacrificium, sed solummodo aequivaleret sacrificio vero; in prima parte ostendimus enim quemadmodum destructio aequivalens ad verum sacrificium constituendum prorsus sufficiat. Mutari posset haec terminologia, ne locus praebeatur aequivocationi, et posset quis *immolationem aequivalentem* nuncupare *realem quoad modum*, sed non est cur a modo loquendi

(1) Vide supra, in priore art. hujus sectionis, p. 425 s.

communiter jam recepto recedamus, quia nullam difficultatem facit, dummodo recte intelligatur.

Instabunt tamen adhuc : id quod est mysticum opponitur ei quod est reale ; si in Missa habetur immolatio mystica, ergo Missa est sacrificium mysticum sed non est sacrificium reale.

Respondetur autem cum eadem distinctione modo explicata : non habetur revera in Missa sacrificium *reale*, id est sacrificium oblatum per rei oblatae destructionem *quoad substantiam*, sed habetur nihilominus sacrificium *verum*, quoniam Christus aequivalenter, id est *quoad modum*, et *tamen vere*, immolatur in mysterio seu in sacramento, uti integra traditio christiana incunctanter et constanter professa est.

Nefas est etiam hoc modo arguere : Christus nihilominus manet gloriosus in coelis ; ergo actio sacrifica ipsum nihil immutat et ad ipsum non terminatur.

Responimus enim statim : Christus, *quatenus manet gloriosus* in coelis non immolatur, nec ipsa actio sacrifica ipsum afficit, concedo ; idem Christus, licet impassibilis in coelis, nihilominus *hisce in terris, statum sacramentalem dum accipit, simul statum induit immolatitium*, et *hac formali ratione* non immolatur, aut actio sacrifica ipsum reipsa non afficit, nego. — Repetimus, quod jam ex professo adnotavimus : non immolatur in quantum accipit hunc statum sacramentalem, quod revera ad sacramentum pertinet, sed in eo modo sacramentali accipiendo, simul, sed sub alia ratione, a respectu sacramentali diversa, vere statum induit immolatitium, quem Christus ante consecrationem non habebat.

Quatenus igitur in altari statum induit immolatitium, revera immolatur Christus, et simili ratione affirmare non dubitavit s. Paulus de ipso Filio Dei : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo » (1). — Dominus igitur in celebratione Eucharistiae vere induit modum immolatitium, quando formam sacramentalem sub specie panis et vini accipit, adeoque asseverare fas est eum aequivalenti modo destrui, quoties, ad verba ipsius Christi in consecratione prolata, « proposita (scilicet panis et vinum) efficiuntur, uti ait s. Joannes Chrysostomus (2), corpus et sanguis Christi ; .... et haec vox semel prolata in Ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum usque tempus et

(1) *Philipp.*, II, 6-7.
(2) S. J. Chrys., *De prod. Judae hom.* I, 6 (PG., XLIX, 380).

usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit : ... Revereare hujus oblationis argumentum, occisus jacet Christus ».

* * *

Necessarium non erit multa testimonia ex Patribus afferre, quia integra nostra disquisitio hucusque Traditioni innixa fuit. Juvat tamen nitidam hanc declarationem adnotare s. Gregorii, episcopi nysseni, in oratione sua prima in resurrectionem Domini : « Qui potestate sua cuncta disponit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Judaeorum quasi praedonum impetum, non iniquam Pilati sententiam exspectat, ut eorum malitia sit communis hominum salutis principium et causa ; sed consilio suo antevertit et arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert, et victimam immolat, sacerdos simul exsistens et Agnus Dei ille qui mundi peccatum tollit. Quando id praestitit ? Cum corpus suum discipulis edendum, et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit agni sacrificium jam esse perfectum. Nam victimae corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum, et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana et non aspectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat » (1).

Praeclarum etiam hoc testimonium ex homilia s. Gregorii magni rursum transcribere lubet : « Debemus itaque... quotidianas carnis ejus et sanguinis hostias immolare. Haec namque singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur » (2).

Hinc inde in traditione Scholae reperimus quaedam conamina ad explanandum quomodo concipienda sit haec oblatio in mysterio, ad quam consequitur ut corpus Christi manducari et sanguis ejus in ora fidelium effundi possit; sufficiat doctrinam revocare Paschasii

(1) S. Greg. nyss., *Oratio in Christi resurrectionem*, I (PG., XLVI, 611 s.).
(2) S. Greg. magn., *Dial.*, IV, 58 (PL., LXXVII, 425 s.).

Radberti (1) et quaedam verba Algeri, scholastici leodiensis (2); manet nunc ut quasdam considerationes in confirmationem adducamus.

* *

Cum hac theoria optime cohaeret primo, opinio ab omnibus auctoribus dogmaticis communi fere ratione admissa, quae communionem ad sacrificium Eucharisticum, ut partem integralem, spectare profitetur. Dum enim Christus statum induit victimae, revera sese ponit tanquam cibum animarum; et, quamquam ad essentiam sacrificii non postulatur ut hostia comedatur, cum hac tamen oblatione Eucharistica prorsus convenit ut sacrificium per communionem absolvatur. Stricte adeo obligantur sacerdotes ut sacrificium per sumptionem Eucharistiae compleant; ideo etiam sumunt sacramentum integrum, id est, sub duplici specie, et « sicut totum consecrant sacramentum, ita etiam toti communicare debent » (3), quia « sacerdos in persona omnium offert et sumit » (4).

Secundo, egregie corroboratur haec sententia ex verbis Christi Eucharistiam promittentis : « Caro mea, vere est cibus, et sanguis meus, vere est potus » (5), deinde ex declaratione Apostoli in epistola ad Corinthios : « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis : mortem Domini annuntiabitis donec veniat » (6). Haec verba revera potius sacramentum quam sacrificium Eucharisticum spectant, sed intimam simul conjunctionem sacramentum inter ac sacrificium luculenter ostendunt, et haud parum itaque sententiam commendant, quae hanc connexionem aptius exponit.

§ 2. — *Vindicatur haec theoria a difficultatibus.*

Non diffitemur difficultatem moveri posse contra hanc theoriam, et prima difficultas quaedam exsurgit ex arcta relatione, qua sacrificium Eucharisticum ad sacrificium crucis colligatur; ad hanc objectionem intimius respondebimus, ubi de relatione ex professo

(1) Paschasius Radbertus, *Lib. de corpore et sanguine Domini*, IX, 2 (PL., CXX, 1294 s); *Epist. ad Frudeg.* (PL., CXX, 1355); *Expos. in Mt.*, XII (PL., CXX, 894).

(2) Algerus leodiensis, *De Sacr.*, I, 7 (PL., CLXXX, 758 s.).

(3) *Sum. Theol.*, III, q. 80, a. 12, ad 1m; eodem modo audienda sunt haec verba s. doctoris, in q. 82, a. 4, c. : « necesse est quod sacerdos, quotiescumque consecrat, sumat integre hoc sacramentum », h. e. sub duplici specie; non postulatur autem ut totum illud sumat, quod consecravit.

(4) *Sum. Theol.*, III, q. 80, a. 12, ad 3m.

(5) *Jo.*, VI, 56.

(6) *I Cor.*, XI, 26.

dicemus; nunc autem jam advertimus cum ill. ac rev. Waffelaert hanc difficultatem nullam esse, quoniam in explicatione proposita, per hoc ipsum, per quod Missa constituitur in ratione sacrificii, per hoc idem apparet sacrificii cruenti commemorativum. Dicimus enim Christum immolari, quatenus statum induit immolatitium sub speciebus panis et vini, quatenus ponitur in habitu quodam externo mortis et destructionis *non autem in habitu qualicumque, sed in habitu externo victimae occisae*, Christus sistitur reipsa in altari « *ad instar occisi* », et status iste inde apparet quod corpus ejus manducari, et sanguis ejus potari potest.

Altera tamen est difficultas, quae ita enuntiatur : « Statim ac consecratur panis, jam est aptus et sacer cibus fidelium, etiam antequam consecretur calix ; ergo jam est victima immolata, quia ante immolationem non est victima apta in cibum, et ideo terminus consecrationis dicitur a Patribus esse Christus immolatus, qui propterea statim incipit esse hostia sancta et immaculata » (1) ; atqui, certissimum est utramque consecrationem ad sacrificium Eucharisticum pertinere ; ergo erronea est sententia, quae talem subministrat sacrificii explicationem, qua sacrificium dici possit perfectum statim ac prior consecratio pronuntiata est.

Haec difficultas non est specialis theoriae, cui adscribendum esse ducimus, nam eamdem objectionem convellendam habuerunt Suarezius primo (2), deinde Vasquezius (3) et Lugo (4), qui communiter docent distinctam consecrationem ad essentiam sacrificii pertinere, saltem ad expressiorem mortis Christi repraesenta-

(1) SUAREZIUS, *o. c.*, disp. 75, sect. VI, n. 1.

(2) *Ibidem*, nn. 1-14. — Ita nimirum contra sententiam Suarezii objicere fas est : per priorem consecrationem jam producitur Christus sub specie panis, ergo cum essentia sacrificii Eucharistici sit in producendo Christo, et hoc sit ipsum immolare, jam immolatus est Christus quando altera consecratio accedit.

(3) VASQUEZIUS, *o. c.*, disp. 223, cap. I-VI, nn. 1-56. — Simili ratione contra Vasquezium arguere licet : vi verborum ponitur corpus Christi sub speciebus panis, adeoque mors inchoative saltem repraesentatur. Difficultatem praevertere satagit VASQUEZIUS, *l. c.*, n. 46, sed instat LUGO, *l. c.*, n. 109 : « si separatio realis praeterita corporis a sanguine repraesentatur ponendo, seu exprimendo in hostia corpus ex vi verborum, et in calice sanguinem, sufficiet etiam exprimere in hostia corpus ex vi verborum, non significato ibi sanguine : jam enim per hanc carentiam sanguinis significati repraesentatur carentia realis, qua in passione mansit absque sanguine ».

(4) LUGO, *o. c.*, disp. XIX, sect. VIII, nn. 100-121. — Contra theoriam Lugonis patet difficultas : per unam consecrationem jam ponitur Christus in statu decliviori.

tionem (1), ita vel imo ut ipsa Ecclesia in hac distincta consecratione dispensare non possit (2).

Ita primum igitur responsum : sacrificium Eucharisticum est verum sacrificium, sed est etiam sacrificium essentialiter relativum ; distincta consecratione autem ad vivum repraesentatur immolatio cruenta crucis, itaque hac ratione cum essentia sacrificii Eucharistici omnino cohaeret ut sub duplici consecratione perficiatur.

Attamen rem penitius examinare praestat, quoniam facillime instabunt adversarii : concesso nimirum, replicabunt, distinctam consecrationem esse necessariam ad passionem et mortem Christi saltem vividius commemoranda, manet adhuc in sententia proposita *verum* salvari sacrificium, etiam si una tantum peragatur consecratio ; minime autem post haec intelligitur gravissima obligatio, quae omnibus sacerdotibus incumbit ut sacrificium, per unam consecrationem inceptum, nunquam incompletum relinquant. Duplex consecratio enim ad essentiam sacrificii Eucharistici certissime spectat : inanis est ergo explicatio sacrificii quae supra proposita fuit.

Ita pressius determinata, difficultas ipsa suum vitium pandit. Undenam habetur duplicem consecrationem ad essentiam sacrificii Eucharistici pertinere ? Ex institutione revera, authentica traditione et declaratione Ecclesiae illustrata. At vero quonam jure statuunt in explicatione nostra, verum salvari sacrificium etiam si prior tantum consecratio peragatur ? Ex nullo alio jure quam ex falsa methodo cui innituntur, quando sic a priori ratiocinantur : ubi sufficiens habetur destructio, statim perfectum est sacrificium proprie dictum ; atqui una consecratione panis, Christus induit statum victimae, qui inde apparet quod corpus ipsius manducari potest ; ergo verum habetur sacrificium.

Talem porro methodum prorsus recusamus : in hac enim disquisitione de sacrificio nihil a priori statuendum, itaque cum ipsi adversarii profiteantur ex institutione sacrificii Eucharistici patescere duplicem consecrationem ad sacrificium Eucharisticum esse necessariam, merito inferimus post primam consecrationem nondum dari sacrificium Eucharisticum, illud nimirum quod Christus de

(1) Ita Suarezius, *l. c.*, n. 6 ; Vasquezius, *l. c.*, cap. IV, n. 31 s ; Lugo, *l. c.*, n. 110.

(2) Vasquezius, *l. c.*, cap. III, n. 12 s. et Lugo, *l. c.*, n. 105 s. — Quidam auctores tenuere unam consecrationem sufficere ad sacrificium, ita v. g. Rohling, *Miscellanea Euch.*, apud period. *Katholik*, II, p. 257 s., 1868 ; eidem opinioni non nihil favet Fr. Schmid, apud period. *ZKT.*, XVI, p. 97 s., 1892 et XXVII, p. 244, 1903 ; Cf. Van Noort, *Tract. de Sacr.*, I, p. 380, n. 1 ; Pohle, *o. c.*, III, p. 386.

facto instituit, quidquid disputari possit de sacrificio quod Christus instituere potuisset. Non satis est igitur ut adsit sufficiens destructio, sed postulatur ut ea habeatur, quam Christus sacrificium instituens, ipse determinavit, et in cultum divinum ordinandam esse definivit.

*
* *

Restat ut argumentum in hoc articulo allatum paucis verbis resumamus.

Ut ratio formalis definiatur, qua sacrificium Eucharisticum est verum sacrificium, praeprimus inspicienda est ipsa institutio hujus sacrificii altissimi ; simul audienda Traditio et declaratio authentica Ecclesiae. Jamvero, ex Scriptura sacra innotescit modus, quo illud sacrificium celebrare oportet ; ex ipsa sacra Pagina et ex Traditione apparet illum ritum esse verum sacrificium, cui definitionem sacrificii generice sumpti applicare debemus. Proponitur haec eadem celebratio Eucharistae in Traditione, ut immolatio incruenta et mystica : Christus in eo ritu sacro denuo immolatur, non in se ipso, quum sit impassibilis, sed in sacramento, in mysterio, in sacro signo seu in specie visibili.

Quaenam est illa immolatio, quae ipsum Christum afficiat, vera sit, quamquam Christus est impassibilis, et doctrinae traditionali satisfaciat ? Haec immolatio quam describit Scriptura sacra in hoc est, quod *Christus sistitur vere in statu victimae ad instar occisi ; corpus quippe ejus manducari et sanguis ejus potari potest.* Talis immolatio ipsum Christum afficit, nam Christus, licet gloriosus in coelis, vere induit ipsum hunc statum, adeoque immolatur, non realiter, id est, quoad substantiam, sed aequivalenter, id est, quoad modum, et tamen vere, juxta definitionem in I parte comprobatam ; immolatur non in se ipso, sed in sacramento, seu in mysterio et in specie aliena et visibili, uti integra Traditio et ipsa ss. Tridentina Synodus luculenter profitetur.

Art. 3. — Crisi subjiciuntur aliae theoriae, quae de ratione formali, qua in consecratione Eucharistiae verum offertur sacrificium, propositae fuerunt.

In parte prooemiali, diversas theorias de ratione formali, qua in consecratione Eucharistiae verum offertur sacrificium, ad triplicem seriem reduximus.

Prima series eas complectitur sententias, quas apud omnes auctores dogmaticos plerumque partim confutatas, partim etiam

admissas reperire fas est : primo theoriam Bellarmini, deinde theorias Suarezii, Vasquezii, Lessii et Lugonis, cum adnotationibus et correctionibus a Card. Franzelin et Card. Billot praesertim allatis, ut easdem ad meliorem formam redigerent.

Altera series constat sententiis a Thalhofer, cui praecipue consensit Simar, a Lepin, Pell et Grivet excogitatis ; in tertia quadam serie reponere licet elucubrationes, quae a Bellord, a Renz et Wieland adstructae fuere.

Hanc tertiam seriem silentio nunc praeterimus, quoniam placita eorum doctorum in praecedentibus satis superque eversa confidimus (1).

§ 1. — *Prima series sententiarum.*

Primum dicimus de opinione Card. Bellarmini (2), qui sacrificium Eucharisticum, tum consecratione, quum sumptione absolvi contendit : in consecratione enim, ait, res quaedam profana fit sacra, dum panis et vinum in corpus et sanguinem Christi convertuntur ; eadem res sacra dein per consecrationem Deo offertur, siquidem in altari ponitur (3), et postea ad veram, realem et externam destructionem per eamdem consecrationem ordinatur ; haec destructio in communione obtinet, ubi Christus suum esse sacramentale amittit.

Paucis tantum verbis haec asserta excludere juvat, quoniam quae affirmat em. auctor de consecratione, nullatenus sufficere ad verum sacrificium constituendum manifestum est : haud satis est ad sacrificium ut res profana fiat sacra, sed postulatur insuper ut fiat

(1) Speciali redargutione etiam non indigent, quae recentius ill. Batiffol, *Leçons sur la Messe*, p. 166 s., Paris, 1919², de essentia Missae disputavit. — Cf. etiam J. Rivière, in recensione hujus operis, apud RCF., XCVIII, p. 452, 1919. — Hanc essentiam requirit ill. auctor in *oblatione*, quam distinguit ab immolatione : offeruntur in Missa corpus et sanguis Christi, quae in cruce immolata fuerunt, sicuti in coena oblata sunt idem corpus et sanguis adhuc immolanda (p. 179 et 189). — Haec satis confutavimus, ubi de theoria diximus, quam excogitavit cl. Renz, quocum ill. Batiffol adhuc concinit, ut multum insistat in mensa, ubi hoc sacrificium offertur (p. 181 s.). Hanc autem mensam, cum ss. Trid. Conc. diximus esse altare ; vide supra, p. 194 s. et p. 324 s. — Non explicat alioquin ill. auctor, quomodo, cum tali explicatione, « offerri » potuerint in coena corpus et sanguis Christi, nondum immolata, et pariter non exponit quomodo haec « oblatio » in Missa obtineat ; lege supra, p. 91 s. et p. 146 s., quae de oblatione fusius disseruimus.

(2) Bellarminus, *De Missa*, I, cap. 27 ; cf. in parte nostra prooemiali, p. 7.

(3) Haec connexa videntur cum definitione ab Isidoro hispalensi, *Etym.*, VI, xix, 28 s., prolata ; cf. supra caput secundum, in parte secunda, p. 362.

sacra per actionem vere sacrificalem ; atqui, haec actio vere sacrificalis non habetur per collocationem rei sacrae in altari, et Bellarminus hanc collocationem in altari immerito prorsus oblationem sacrificalem vocat. Deinde actio vere sacrificalis non obtinetur per meram ordinationem ad veram aliquam ac realem destructionem, in communione requirendam, quia hac ratione Christus revera non in consecratione, sed in communione sacrificabitur.

Manet ergo sacrificium Eucharisticum, juxta Bellarminum, reapse communione absolvi, quod palam contradicit tum institutioni Eucharistiae, quum apertae traditioni Ecclesiae, uti in articulo primo hujus capitis comprobavimus ; ratio insuper, quam assignat em. theologus, ut sacrificium agnoscamus in communione rem non conficit : « In ea (communione), inquit, (Christus) amittit esse sacramentale, et proinde desinit realiter esse in altari, desinit esse cibus sensibilis » (1); verum, quanam ratione, in amissione status sacramentalis, offerri possit sacrificium, non explicatur.

*
* *

Ad Suarezium igitur transimus, qui quaestionem de essentia sacrificii Eucharistici intimius profecto perpendit; rationem autem qua in consecratione verificatur sacrificium, in efficienda victima potius quam in illa destruenda, reperiendam putat : « Hoc singulare et excellens est in hoc sacrificio, quod per se primo potius est propter efficiendum quam propter destruendum », nam, quamquam sacrificia antiqua praesertim erant in immolanda hostia, nihilominus « in nostro sacrificio, quia per actionem supernaturalem et divinam perficitur, licet substantia panis et vini destruatur, tamen, quod potissimum intenditur, est effectio et praesentatio corporis et sanguinis Christi super altare Dei in honorem ejus » (2).

Secundum Suarezium, sacrificium, saltem secundario, est in destructione panis et vini ; primario vero est in productione corporis et sanguinis Christi, ad supremum Dei dominium agnoscendum. De oblatione secundaria panis et vini, quam etiam Lugo professus est (3), disputabimus in sectione secunda, ubi de materia in sacrificio Eucharistico oblata dicemus ; attamen minus recte dicitur panem et vinum destrui (4), nam secundum expressam doctrinam Concilii Tridentini (5), panis et vinum in corpus et

(1) Bellarminus, *De Missa*, I, cap. 27.
(2) Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. V, n. 6.
(3) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. VII, n. 99.
(4) Cf. *Sum. Theol.*, III, q. 75, a. 3, c.
(5) *Conc. Trid.*, sess. XIII, *De ss. Euch.*, can 2 (*Enchiridion*, n. 884).

sanguinem Christi convertuntur; deinde non sufficit panem et vinum destrui ut ad sacrificium pertineant, sed de his latius infra. Quod actionem principalem attinet, productionem nimirum corporis et sanguinis Christi, in prima parte ex professo demonstravimus, talem notionem sacrificii omnino esse inauditam et invectam ex necessitate causae, adeo ut Suarezius, dum principia a s. Thoma luculenter proposita deseruit, respectum sacramentalem et sacrificalem simpliciter confuderit (1).

* * *

Theoriam Suarezii imprimis gnave impetivit Card. de Lugo (2), qui genuina definitione sacrificii generice sumpti recte statuta, destructionem in oblatione Eucharistica in eo sitam esse propugnavit, quod corpus Christi in consecratione « statum accipit decliviorem, et talem, quo reddatur inutile ad usus humanos corporis humani, et aptum ad diversos usus per modum cibi » (3).

Hanc opinionem praesertim excoluit Card. Franzelin, cujus verba etiam audire lubet, quoniam, si omittamus quae in eis vituperanda videntur, explicationem sacrificii Eucharistici in articulo praecedenti adductam, egregie illustrant.

Accurate nimirum notat primo em. auctor Christum per consecrationem induere statum victimae aequivalenter immolatae, quem ipsa verba institutionis aperte declarant (4), sed mox, suae theseos quasi immemor, non aequivalentem sed realem immutationem et destructionem in Eucharistia indicare satagit.

« Jam consideretur, ait, quaeso, status, in quo Christus Dominus summus sacerdos per consecrationem secundum ss. corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini sese ut victimam

(1) Hanc theoriam inter recentiores imprimis amplexus et novis argumentis fulcire conatus est Scheeben, *Mysterien des Christentums*, p. 487, Freiburg i. B., 1865 (in ed. tertia a. 1912, ad parag. 72); *Handbuch der Dogmatik*, III, p. 400 s.; Schanz, *Lehre von den hl. Sakramenten der Kirche*, p. 479 s., Freiburg i. B., 1893; Goetzmann, *Das Euch. Opfer nach der Lehre der älteren Scholastik*, p. 23 s., Freiburg i. B., 1901; eamdem primitus tenuit Lessius, uti in parte prooemiali diximus, cum pluribus antiquioribus, quos indicatos reperies apud plerosque auctores dogmaticos et etiam apud Renz, *Geschichte*, II, p. 315 s.

(2) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. IV, nn. 52-53.

(3) *Ibidem*, sect. V, n. 67.

(4) Franzelin, *o. c.*, thes. XVI, p. 399; non assentimus tamen argumento, quod deducit em. auctor, *o. c.*, thes. XI, p. 361, ex voce κλώμενον, uti latius in secunda parte, cap. I, supra p. 213 s., exposuimus; argumento a Franzelin allato assentiunt Stentrup, *o. c.*, II, p. 440 et Lambrecht, *o. c.*, p. 215.

constituit. Primogenitus omnis creaturae, caput Ecclesiae, in omnibus primatum tenens dat se ipsum Ecclesiae suae per suos ministros sacerdotes constituendum corpore ac sanguine suo in tali modo existendi sub speciebus panis ac vini, ut vere sit in statu cibi ac potus ; ut (formaliter quatenus constituitur sub his speciebus) desinat omnis actus connaturalis vitae corporeae pendens a sensibus ; ut nihil secundum corpus possit agere connaturaliter ; ut corpus ejus ac sanguis, in quantum praesentia ejus alligatur speciebus, permittatur quodammodo arbitrio creaturarum non secus, ac si esset res inanimata » (1).

Immolatur ergo Christus, ad mentem Card. Franzelin, non tantum quoad modum, sed actio sacrifica ad ipsum Dominum in se pertingit : denuo non moritur Dominus, nec vita humana destituitur, sed quatenus constitutus sub specie panis et vini, privatur vita sensibili, privatur motu et quodammodo realiter ad statum rei inanimatae redigitur.

Verum, talis destructio, ex conditione gloriosa corporis Christi, prorsus est impossibilis, itaque statim cogitur auctor sinistra manu reaedificare, quod manu dextera diruit, et novo miraculo communicari Christo exercitium et actus sensuum externorum profitetur.

Recte autem replicat, quando haec inconsequentia ipsi crimini vertitur : « illa communicatio quoad actus vitales sensuum externorum super et praeter existendi modum supernaturalem,... non tollit in corpore et sanguine Christi, quatenus est in sacramento, statum veri cibi et veri potus ; hic vero status abunde sufficit ad rationem victimae » (2) ; et revera, quando explicationem simul adjungimus, quam in articulo praecedenti praestitimus, nihil ad hunc statum est addendum, ut habeamus rationem formalem, qua in celebratione Eucharistiae verum sacrificium perficitur (3).

* * *

Cum theoria Lugonis connecti potest mira quaedam explicatio excogitata a Card. Cienfuegos, qui pressius adhuc hanc destruc-

(1) Franzelin, *o. c.*, thes. XVI, p. 404 s.

(2) *Ibidem*, p. 412.

(3) Huic sententiae adstipulati sunt (praeter antiquiores quos refert Franzelin, *o. c.*, thes. XVI, p. 402) : Lambrecht, *o. c.*, p. 207 ; Einig, *o. c.*, p. 139, ; Stentrup, *o. c.*, II, p. 439 s.; Hurter, *Theol. dogm. compendium*, III, p. 410 s., Œniponte, 1908[12] ; in eamdem magis inclinari videtur Pohle, *Dogm.*, III, p. 399, qui secum assentientem laudat H. Gutberlet, *Dogmatische Theologie*, IX, p. 868, Mainz, 1901 ; cf. etiam Gallagher, *The formal essence of the holy sacrifice of Mass*, apud period. *Eccl. Review*, XLVIII p. 513-530, 1913.

tionem sacrificalem determinare voluit. Ad mentem ejus Christus Dominus statim post prolata verba consecrationis, primum quosdam actus vitae sensitivae exercet, non quidem ex virtute huic statui sacramentali propria, sed ex virtute divina superaddita; deinde hos omnes actus suspendit et ita vitam suam sensitivam sacrificat, ut in commixtione specierum, quae est imago resurrectionis, eosdem actus iterum resumat : « Credimus autem scopum attigisse », ita em. doctor, « per vitam actualem sensitivam, aut a sensibus pendentem, Christi Domini sub speciebus, quam tanto studio promovere conati sumus hac scriptione ; non sane per illam existentem, et perseverantem, ut planum est, sed per ipsam, qua oblatam, aut impeditam postquam extitit actu, subindeque realiter sacrificatam... Hanc, inquam, vitam Christus ipse Dominus, ut supremus sacerdos immolat solus, et simul offert, quatenus actus vitales miraculose productos imperiò suae voluntatis humanae suspendat, sive removeat, decernatque non elicere ulteriorem ullum, sive non uti potentia instrumentaria productiva illorum pro libito ipsius, donec per quasi resurrectionem, et commemorationem resurrectionis simpliciter, in mixtione corporis, et sanguinis ad vivum repraesentatam, et imitatione quadam exercitam, resumat vitam actualem, usumque liberum virtutis instrumentariae » (1).

Istae sententiae, quae non solum destructionem aequivalentem, sed destructionem adhuc aliqualiter realem astruere voluere, nobis enatae videnter ex hoc falso principio, quod refert Bellarminus : « Denique, vel in Missa fit vera, et realis Christi mactatio, et occisio, vel non fit. Si non fit, non est verum, et reale sacrificium, Missa ; sacrificium enim verum, et reale, veram, et realem occisionem exigit, quando in occisione ponitur essentia sacrificii. Si autem fit ; ergo verum est dicere a sacerdotibus christianis vere, et realiter Christum occidi : at hoc sacrilegium, non sacrificium esse videtur » (2). Huic autem assertioni opponere satis erit explicationem, quam in articulo secundo exposuimus : in Eucharistia offertur verum sacrificium non per realem, id est, cruentam immolationem, sed per immolationem incruentam, in mysterio seu in sacramento, uti integra Traditio constanter docuit. Ita praecipuas theorias jam evertimus, quae destructionem sacrificalem potius exaggerant, sed scopum pariter non attingunt auctores qui immolationem mysticam nimis extenuant.

* * *

Inter has sententias celebris prae ceteris est theoria a Vasquezio

(1) Cienfuegos, *o.* et *l. c.*
(2) Bellarminus, *De Missa*, I, cap. 27.

proposita (1); hic enim auctor, uti in prima parte demonstravimus, quoniam destructionem sacrificalem in Eucharistia indicare non potuit, eamdem simpliciter negavit, per subintroductam distinctionem inter sacrificium absolutum, ad cujus essentiam destructio vera postulatur, et sacrificium relativum, in quo talis destructio prorsus desideratur.

Profitetur nihilominus in sacrificio Eucharistico Christum vere et reapse immolari, sed consecratio eatenus tantum est actio immolandi, « quatenus per illam efficitur, ut ipso corpore et sanguine Christi consecrato, et realiter ibi contento, cruentum illius sacrificium quod in cruce oblatum est, repraesentetur » (2). — « Ratio autem sacrificii in significatione omnipotentiae Dei auctoris vitae, et mortis formaliter posita est : ac proinde, si sit oblatio aliqua, per quam absque rei oblatae immutatione vera, et reali Deus auctor vitae, et mortis denotari, et coli possit, vere, et proprie sacrificium dici debet : hujusmodi autem est consecratio corporis, et sanguinis absque reali immutatione ipsius Christi ob solam repraesentationem mortis ejus, illa igitur vere, et proprie sacrificium erit. Porro autem per solam repraesentationem mortis Christi in consecratione, ita significari Deum auctorem vitae, et mortis, sicut per ipsam cruentam mortem Christi manifestum est. Nam commemoratio mortis Christi futurae qualis fuit in consecratione facta ab ipso Christo in postrema coena, aut mortis praeteritae, qualis fit a quolibet sacerdote post mortem Christi consecrante, eo ipso quod mortem Christi repraesentat, et quasi praesentem eam facit, denotat Deum auctorem vitae, et mortis ac si tunc Christus in honorem Dei reipsa occideretur... Est tamem valde observandum, ad sacrificium commemorativum, quod vere, et proprie sacrificium dicitur, non satis esse, si solum sit signum nudum mortis alicujus rei, nullo modo in se continens rem ipsam, cujus mors repraesentatur : sic enim non diceretur res illa, cujus mors repraesentatur, in sacrificium offerri, neque vere commemorativum sacrificium, quin potius signum tantum, et larva sacrificii esset, sed necessario requiri, ut res ipsa, cujus mors repraesentatur, sit signum mortis sui ipsius » (3). — « Cum (autem) ipsemet Christus sit sub specie panis, et vini, et circa illum actio sacerdotis offerentis ipsa, ita versetur, ut ipsemet per species panis et vini ex modo peculiari quo a sacerdote consecratur repraesentet cruentam, et realem mortem sui ipsius, et ea repraesentatione denotet Deum auctorem vitae et

(1) Vasquezius, *o. c.*, disp. 222, cap. VII et cap. VIII.
(2) *Ibidem*, cap. VII, n. 57.
(3) *Ibidem*, cap. VIII, n. 65, n. 66 et n. 67.

mortis, quamvis non dicatur reipsa, et vere, sed in sola figura, et similitudine occidi, et mori, tamen vere, et reipsa immolari et in sacrificium offerri dicitur » (1).

*
* *

Hanc doctrinam, quae non paucos nacta est patronos (2), acriter impugnavit Card. de Lugo (3), praesertim ex hac consideratione : sacrificium commemorativum, etiam si ipsa victima quondam immolata sit praesens, et repraesentatio non verbis solummodo, sed re et ipso ritu sacro fiat, rationem non habet veri sacrificii ; imo, addit « licet ista repraesentatio significet sufficienter sacrificium praeteritum, non tamen significat immediate per hoc praecise id, quod significabat sacrificium illud ; sicut licet repraesentatio thurificationis significet thurificationem illam praeteritam, non tamen est actus adorationis, quia non significat immediate notam submissionis internae, quae non potest significari per repraesentationem thurificationis, sed per thurificationem : ita similiter repraesentatio sacrificii, licet significet ipsum sacrificium, non tamen significat propterea illud, quod ipsum sacrificium significabat : quia est signum quasi reflexum significans illud aliud, quod erat signum directum ; signum autem reflexum non potest ex hoc

(1) Vasquezius, *o. c.*, disp. 222, cap. VIII, n. 67.

(2) Hanc theoriam praesertim defendit Perrone, *o. c.*, VI, nº 250, p. 268 s.; cf. etiam Schwane, *Die Eucharistische Opferhandlung*, p. 25, Freiburg i. B., 1889 et *Dogmengeschichte der neueren Zeit*, p. 398, Freiburg i. B., 1890 ; in eamdem inclinatur Souben, *Nouvelle Théologie dogm.*, VII, *Les Sacraments*, I, p. 134 s., Paris, 1906[2] et eamdem omnino tenendam proclamat Coghlan, *De ss. Eucharistia*, p. 463, Dublini, 1913.

(3) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. IV, nn. 54-60. — Hanc opinionem Vasquezii cum definitione Concilii Tridentini pugnare contendit Card. Cienfuegos, sed talem notam nimiam declarat Card. Franzelin, *o. c.*, thes. XVI, p. 392, quamquam ipse addit : « Est tamen notatu dignum, quod, si Vasquezii sententia vera esset, Lutherani admittentes realem praesentiam et commemorationem ac repraesentationem sacrificii peracti, concedentes etiam, hoc sensu latiori posse Eucharistiam dici sacrificium, viderentur reipsa admittere totum, quod constituit verum ac proprium sacrificium » ; revera assentit Perrone, *l. c.*: « Protestantes ea (essentia sacrificii, juxta doctrinam Vasquezii) semel constituta, nihil amplius habent, quo a doctrina catholica circa hunc articulum admittenda retrahantur. Duo siquidem tantum in hac sententia requiruntur et sufficiunt, ut adstruatur veritas sacrificii Missae, realis scilicet praesentia Christi in Eucharistia,... et repraesentatio sacrificii crucis, quam nec ipsi adversarii infitiari possunt inesse in Eucharistiae celebratione ».

praecise, quod significet aliud signum, participare essentiam illius signi directi, quod per ipsum significatur » (1).

At vero ad omnes difficultates Lugonis replicabit Vasquezius : sacrificium relativum, dummodo res olim oblata rursus sit praesens, et repraesentatio sacrificii peracti fiat re et ipso ritu, et non solis verbis, erit verum sacrificium, non absolutum, sed relativum, quoniam sacrificium repraesentans eamdem significationem habere potest, quam sacrificium repraesentatum ; objectiones allatae, dicet, peremptorie demonstrant hoc sacrificium non fore sacrificium absolutum, sed rem intactam relinquunt, ubi agitur sacrificium relativum, quale in Eucharistia offertur.

Haec est ratio cur Vasquezium jam antea confutaverimus (2) : ostendimus nimirum, in prima parte, ad verum sacrificium postulari formam physicam et formam metaphysicam ; non sufficit ad sacrificium proprie dictum ut actio quaedam denotet supremum Dei dominium, sed necessarium est insuper ut talis significatio per destructionem rei oblatae obtineatur ; in secunda parte, ex institutione Eucharistiae, et authentica declaratione Ecclesiae, palam fecimus celebrationem Eucharistiae, licet sit sacrificium essentialiter relativum, adhuc esse verum sacrificium, cui definitionem sacrificii generice sumpti applicare oporteat.

Dicimus igitur : si in celebratione Eucharistiae nulla esset vera destructio, non esset verum sacrificium, etiam si talis ritus eamdem significationem ac sacrificium crucis prae se ferre posset. Et enim sacrificium non est signum quodcumque, sed est signum determinatum et specificum, quod significat per destructionem ; sacrificium Eucharisticum, in explicatione Vasquezii, posset significare supremum Dei dominium in vitam et mortem, nam haec significatio praecipue ab intentione offerentis dependet, sed hoc non significaret per veram destructionem, adeoque non significaret per modum veri sacrificii, proprie dicti, et non esset verum sacrificium.

*
* *

Hoc incommodum sententiae Vasquezii bene perspexit Lessius, qui rationem veri sacrificii in celebratione Eucharistiae ex hac addita consideratione salvare voluit :

Haec separatio sacramentalis corporis a sanguine, non tantum est repraesentativa sacrificii peracti, uti recte advertit Vasquezius,

(1) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. IV. n. 60.
(2) Vide supra, in prima parte, p. 156 s.

sed insuper verum fundat sacrificium : actio consecrativa de se enim tendit ad veram et realem occisionem, quae solummodo per accidens, ex statu nimirum glorioso Christi, impeditur.

Per consecrationem « Christus mystico quodam modo occiditur, dum per modum hostiae occisae seorsim vi verborum corpus et sanguis in altari exhibentur... Juxta hunc modum, peragitur hoc sacrificium non malleo vel gladio materiali, ut olim vetera sacrificia ; sed gladio verbi Dei, qui est omnipotens. Sicut enim olim fiebat sacrificium, quando gladio occidebatur hostia, nempe agnus vel vitulus, et sanguis separabatur a carne : ita nunc fit sacrificium, quando vi verborum consecrationis, corpus et sanguis Christi ponüntur seorsim tanquam rei occisae et immolatae, corpus sub specie panis, et sanguis sub specie vini. Unde verba consecrationis sunt instar gladii ; corpus Christi, quod nunc est in coelo vivum, est instar hostiae vivae et immolandae ; corpus ut positum sub specie panis, et sanguis sub specie vini se habent ut corpus et sanguis agni nunc immolati. Unde se habent ut terminus immolationis seu actionis sacrificandi... Nec obstat veritati hujus sacrificii, quod non fiat reipsa separatio sanguinis a carne : quia id est quasi per accidens, propter concomitantiam partium. Nam quantum est ex vi verborum fit vera separatio, et sub specie panis solum ponitur corpus, non sanguis : sub specie vini, solus sanguis, non corpus. Et hoc sufficit ad rationem hujus sacrificii : tum ut sit verum sacrificium (fit enim circa hostiam, dum sic ponitur, sufficiens mutatio, qua protestemur Deum habere supremam in omnia potestatem) ; tum ut sit sacrificium commemorativum, repraesentans nobis sacrificium crucis et mortem Domini » (1).

* * *

Lessius igitur admittit quamdam destructionem in Eucharistia vindicandam esse, itaque revera, et hanc suam intentionem palam profitetur, theoriam a Vasquezio prolatam complere atque perficere cupit.

Jamautem, quum auctor hanc necessitatem destructionis concedat, facilius contra ipsum arguere fas est, notatim ex insufficientia talis destructionis ; ita acute Card. de Lugo : « Quantumcumque explicetur « ex vi verborum » illa mactatio, et separatio, re tamen vera non separatur corpus a sanguine, nec ab anima ; sicut si ictu gladii percuteretur ovis in sacrificio, Deus tamen miraculose penetraret gladium cum gutture ovis, ita ut non sequeretur abscisio vel vulneratio, vere non diceretur ovis sacrificata ; quia licet de se ictus

(1) Lessius, *De perfectionibus moribusque divinis*, lib. XII, cap. 13, n. 95 et n. 97.

sufficeret ad occisionem, re tamen vera non fuit secuta occisio » (1).

Manifestum est ergo non sufficere explicationem a Lessio propositam : optime exponit quemadmodum repraesentatio sacrificii cruenti per duplicem consecrationem obtineatur, sed minime commonstrat verum esse sacrificium in Eucharistia, quare solum sacrificium aliquod attentatum explanat.

Adnotat insuper Card. Franzelin : « Non est verum, quod dicitur : « vi verborum fit separatio » ; verba enim : hoc est *corpus meum*, non sunt *excludentia* sanguinem et animam et vitam, sed *significant* quidem corpus tantummodo abstrahendo a statu, in quo realiter est cum suo sanguine et cum anima et vita, attamen *demonstrant* corpus tale, quale tum est, quando verba pronuntiantur, adeoque corpus in sua reali perfectione cum suo sanguine et anima et vita. Secus enim si verba essent excludentia, vel separatio deberet realiter fieri, vel verba non essent vera, quod utrumque absit ut ullus christianus sentiat. Cum igitur verba efficiant quod significant, illa : « hoc est corpus meum », efficiunt praesentiam corporis, quod *explicite significant* ; fit tamen praesens totus Christus, qui per verba « corpus meum » *demonstratur*. Pariter verba altera : « hic est sanguis meus », efficiunt praesentiam sanguinis *explicite significati*, fit tamen pariter praesens totus Christus, qui est objectum *demonstratum* verbis « sanguis meus ». Quod autem vi significationis verborum distincte efficitur praesens corpus ac sanguis sub diversis speciebus, et consequenter per necessariam concomitantiam sub utravis specie totus Christus, id quidem sufficit ad significandam et repraesentandam effusionem sanguinis in cruce ; sed haec distincta positio sub diversis speciebus per se spectata, nisi aliquid addatur, nullam profecto inducit mutationem » (2).

Deficit ergo etiam haec theoria, quae multos habuit et habet patronos (3), in ipsa formali ratione assignanda, qua in ritu Eucharistico verum offertur sacrificium ; ideo his omnibus sententiis eversis, Card. Billot aliam rursum proponit explicationem, quam omnino veram existimat.

*
* *

Reponimus, ait, Card. Billot, « formalem rationem sacrificii absolute sumpti in mystica mactatione secundum se, id est, in

(1) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. IV, n. 61.

(2) Franzelin, *o. c.*, thes. XVI, p. 395 s.; cf. etiam Stentrup, *o. c.*, II, p. 416 s. et Card. Billot, *De Eccl. Sacramentis*, I, p. 625.

(3) Inter antiquiores citantur praesertim Jo. a s. Thoma, Sylvius, Pasqualigo, Gonet, Billuart ; inter recentiores Pesch, *o. c.*, I, p. 420 s. ; cf. etiam Bourceau, *La Messe*, p. 18 s., Paris, 1912² et Hugon. *La Sainte Eucharistie*, p. 324 s., Paris, 1917².

sacramentali separatione sanguinis a corpore, non praecise quia et in quantum repraesentat oblationem crucis, ad sensum Vasquezii, multoque minus quia et in quantum foret ex sese occisiva Christi nisi impediretur per aliam causam, ut dicit Lessius, sed quia et in quantum *sistit Christum sub speciebus sacramenti in quodam externo habitu mortis et destructionis, ac per hoc nata est, non secus ac realis destructio victimae in propria specie, vere et realiter subjectare symbolicam significationem quae sacrificio propria est, juxta explicata superius* » (1).

Fatetur ergo ipse em. auctor intentionem suam ut sententiam Vasquezii, jam a Lessio excultam, ad aptiorem formam redigat; Vasquezius in separatione sacramentali solam repraesentationem attendebat; Lessius in eadem separatione verum adhuc sacrificium reperire volebat, quoniam verba consecrationis, operativa ad instar gladii, corpus Christi et sanguinem sub diversis speciebus sistunt in statu agni immolati; Card. Billot, magis adhuc quam Lessius, formulam a Card. de Lugo mutuatam : « consecratio Christum reponit in habitu externo mortis et destructionis », cum theoria separationis sacramentalis componere satagit.

Advertimus autem rursus « mactationem mysticam » non idem dicere ac « mactationem per separationem sacramentalem », quamquam concedimus illam expressionem, a Traditione derivandam, applicabilem esse « mactationi per separationem sacramentalem », dummodo ostendatur sacrificium Eucharisticum hac separatione sacramentali absolvi; at vero hoc ab em. theologo demonstratum fuisse non opinamur.

* * *

Et revera primo, recte distinguit Card. Billot, in celebratione Eucharistiae, respectum, quo in eodem ritu verum offertur sacrificium, sacrificium scilicet absolute sumptum, et alium respectum, quo repraesentatio sive commemoratio sacrificii quondam peracti habetur. De priore aspectu tantummodo nunc disputatur; de secundo respectu in altero capite dicetur.

Egregie adhuc adnotat em. auctor secundo, ad sacrificium verum et absolutum postulari ut Christus in habitu quodam

(1) Billot, *o. c.*, I, p. 628; eamdem sententiam admittunt Van Noort, *Tract. de Sacr.*, I, p. 374 s., Amstelodami, 1910² et Gihr, *Das hl. Messopfer*, p. 98 s., Freiburg i. B., 1912¹¹⁻¹³; cf. etiam Grimal, *o. c.*, p. 262 s. et ill. Hedley, *o. c.*, p. 206, qui tamen ad Lessium referri posset; ideo non indicamus omnes auctores modernos, quos legimus, quia saepe theorias varias miscent, et difficulter dicitur cuinam sententiae adhaereant, quando ipsi hoc non aperte pronuntiant.

externo mortis ac destructionis sistatur, itaque a Vasquezio recedit et ad Lugonem accedit, uti modo diximus, quamquam etiam Vasquezius alte proclamat Christum reipsa in Eucharistia immolari.

Tota quaestio huc igitur redit utrum necne separatio sacramentalis Christum inducat in habitum quemdam externum mortis ac destructionis, in habitum, *non quemcumque, sed talem, qualis ad sacrificium proprie dictum exigitur*. Patet enim non quemcumque habitum externum satis esse ad verum sacrificium, quod luculenter conficiunt omnes animadversiones, quas ipse Card. Billot contra Lessium congerit ; affirmat autem em. theologus sacramentalem separationem, dummodo rite concipiatur, plane sufficere ad subjectandam symbolicam significationem, quae sacrificio propria est, et ut hanc assertionem muniat, ad explicationem suam praemissam remittit. Hanc igitur examinare oportet.

*
* *

Acute reapse rem perpendit auctor, et jam initio suae disquisitionis de sacrificio Missae, ubi definit sacrificium generice sumptum, ita statuit :

« Atvero si contingeret rem offerri, non in propria, sed in aliena specie, tunc ad rationem sacrificii in quantum hujusmodi nihil aliud posset requiri, nisi ut res illa sub sacramentalibus symbolis in quodam externo habitu mortis praesens sisteretur. Hujus ratio est quia sacrificium est in genere signi, signum autem est aliquid visibile et sensibus subjectum. Porro si res offeratur in specie aliena, (quod esse non potest nisi per transsubstantiationem alterius rei in ipsam), necesse est ut secundum se lateat, et non cadat sub sensu nisi per species in quibus continetur. Quare nihil conferret formalis vel aequivalens destructio ejus in seipsa, sed sola destructio mystica sub specie sacramenti posset exterius apparere : utputa, si absque ulla sui ipsius mutatione res oblata fieret praesens sub duobus distinctis ac separatis symbolis, ita nimirum ut *ex vi sacramenti* solum corpus sensibiliter adesset sub solida specie panis, solus sanguis sub liquida specie vini, atque hoc modo victima praesentaretur Deo in habitu quodam separationis corporis a sanguine, qui est habitus destructionis et mortis. Manifestum enim per se est quod *in ordine ad significandum* invisibile sacrificium aequipolleret mystica illa mactatio mactationi materiali quae antiquitus erat in usu ; quin imo esset imcomparabiliter expressior quam simplex liquoris effusio, quae tamen ex ipsorum adversariorum confessione sufficit ex sese ad verum sacri-

ficium, accedente institutione legitima. — Iterum autem adverte, quomodo dictum sit *in ordine ad significandum ;* nam profecto in ordine ad satisfaciendum, non aequivaleret ; verum ratio satisfactionis non est ipsa sacrificii ratio, licet ei adjungi possit sicut de facto contigit in sacrificio crucis. — Tandem, nullius momenti esse possunt argumenta quae inductione facta per omnia alia cognita sacrificia, in contrarium fierent : quandoquidem ista sunt sacrificia rerum in specie propria, et non magis valet illatio ab uno genere in aliud, ac si conditiones naturalium conversionum velles transferre in mirabilem illam ac singularem conversionem quae transsubstantiatio vocatur » (1).

Adnotamus primum haec asserta potius post demonstrationem et explicationem sacrificii Eucharistici adducenda, quam in disputatione inserenda de sacrificio generice sumpto, ne videatur a priori solutum, quod unice a posteriori dirimendum venit. Sed his transmissis, ad ipsa doctrinam penitius penetrandam accedere praestat.

*
* *

Affirmat igitur Card. Billot quod si contingeret rem quamdam offerri non in propria specie, sed in specie aliena, tunc ad rationem sacrificii in quantum hujusmodi, nihil aliud postulandum quam ut res sub symbolis sacramenti in quodam habitu externo mortis praesens sisteretur. — Cur ? Quia sacrificium est in genere signi ; atqui, si res offerri debet in specie aliena, secundum se latet et non cadit sub sensu nisi per species in quibus continetur ; nihil ergo confert destructio ejusdem rei in seipsa, sed sola destructio mystica, seu destructio in specie sacramenti, exterius apparere potest.

Concedimus, ubi victima offerenda venit, non in specie propria, sed in specie aliena, non immolationem hostiae in seipsa, sed immolationem in sacramento seu in specie aliena esse postulandam ; haec elementa ab ipsa Traditione nobis subministrantur. — Sed quaenam erit illa mactatio mystica ? Ut *verum* habeatur sacrificium, non sufficit ut haec mactatio sit signum submissionis Deo, et eamdem significationem prae se ferre possit quam immolatio realis in specie propria, sed exigitur *ut sit signum per destructionem ipsius rei oblatae*, quoniam *tale signum*, et hoc solum, sacrificium proprie dictum, *forma physica et metaphysica* constantem, constituit.

Atqui immolatio mystica, si reponatur in sola separatione sacramentali corporis a sanguine, non est tale signum ; ergo non explicat sacrificium verum in celebratione Eucharistiae omnino admittendum.

(1) Card. Billot, *o. c.*, I, p. 588.

Et re quidem vera haec separatio sacramentalis non afficit ipsam victimam : vi verborum sub specie panis ponitur corpus Christi, itaque obtinetur *habitus quidam* externus mortis et destructionis, quo optime recolitur sacrificium crucis, in quo fuit realiter sanguis a corpore separatus, sed non obtinetur *talis habitus*, *qualis* ad verum sacrificium postulatur, siquidem sub utraque specie, totalis adest Christus cum corpore et sanguine et anima. Omnes igitur resurgunt difficultates, quas contra Vasquezium et Lessium invocavimus.

* * *

Frustra animadvertit Card. Billot, ubi difficultas, Lessio jam objecta, ipsi proponitur : « Nos nihil horum dicimus, quia omnia haec (de gladio verbi scilicet a Lessio allata) existimamus falsa ; et si vera essent, fatemur quod non sufficerent ad verum sacrificium. Dicimus autem consecrationem esse actionem tendentem ex natura sua ad sistendum Christum in externo habitu mortis per sacramentalem corporis a sanguine separationem ; quem effectum reipsa consequitur, semper et necessario » (1). — Replicamus statim : quidquid sit de tendentia hujus actionis ut ex natura sua Christum sistat in habitu externo mortis per separationem sacramentalem, de facto nihil separat, itaque, si Christum etiam ponat *in habitu quodam* externo mortis et destructionis, revera illum non sistit *in tali habitu, qualis ad verum sacrificium postulatur*, qui nimirum ipsam victimam afficiat, illamque aequivalenter, et in sacramento, destruat.

Affert adhuc ipse em. auctor contra suam opinionem, objectionem a Lugone Vasquezio oppositam : « Si Iphigenia nunc resurgeret, et ipsa adstante repraesentaretur in tragaedia sacrificium olim peractum, non esset verum sacrificium, sed nuda commemoratio sacrificii praeteriti. Atqui sic est in praesenti », et respondet negando minorem : « Objectio, ait, est ad summum contra modum dicendi Vasquezii. Nos autem non reponimus formalem oblationis rationem in qualicumque repraesentatione sacrificii crucis, sed in mactatione de praesenti quae per se solam facit verum sacrificium, tametsi sit simul perfecta quaedam immolationis olim factae imago atque commemoratio » (2).

Obvium patet rursus responsum : optime explicatur quomodo habeatur sacrificium commemorativum, concedo ; quomodo obtineatur sacrificium verum, suo modo absolutum, nego. Et enim separa-

(1) Card. Billet, *o. c.*, I, p. 633.
(2) *Ibidem.*

tio sacramentalis nullatenus ipsam victimam afficit : significatur corpus Christi solum per verba prioris consecrationis ; significatur solus sanguis per alteram consecrationem, et ita nitide significatur sacrificium crucis, quoniam vi verborum sistitur solum corpus sub symbolo panis, solus sanguis sub symbolo vini ; sed, sub utraque specie adest totus Christus, itaque *hic habitus externus* mortis et destructionis *non sufficit* ad verum sacrificium fundandum.

Sed hanc difficultatem etiam praevidit Card. Billot, et eamdem hac ratione praevertere conatur : « Manifestum enim per se est quod *in ordine ad significandum* invisibile sacrificium, aequivaleret mystica illa mactatio mactationi materiali quae antiquitus erat in usu ; quin imo esset incomparabiliter expressior quam simplex liquoris effusio, quae tamen ex ipsorum adversariorum confessione sufficit ad verum sacrificium, accedente institutione legitima » (1).

Respondemus : in ordine ad significandum, transeat ; in ordine ad significandum, *ea ratione, qua verum sacrificium significare debet*, per realem scilicet aut aequivalentem destructionem, juxta explicata superius, nego. Ad comparationem autem additam dicimus : effusio liquoris veram involvit destructionem, non realem quoad substantiam, sed realem quad modum, adeoque aequivalentem ; sed *talem destructionem nullam assignat* em. auctor in celebratione Eucharistiae, quoniam separatio sacramentalis ad solas species seu ad signum terminatur, et ipsam victimam non afficit.

*
* *

In favorem hujus sententiae afferri posset ultima instantia, quam adhuc convellere favet, quoniam totius resumendae disputationis occasionem ita adipiscimur.

(1) Card. Billot, *o. c.*, I, p. 588; ita etiam Van Noort, *o. c.*, I. p. 375 : « Dices haec immolatio non est vera et realis! Concedo, plane; sed quaestio est, num haberi possit moraliter aequivalens. In omni sacrificio finis primarius, propter quem destructio requiritur, est significatio perfectae subjectionis in Deum ; atqui ad hunc finem, np. *ad significandum,* nihil minus valet species externa destructionis quam ipsa realis destructio, sicut v. g. ad symbolizandam justitiam non minus valet bilanx in pariete depicta, ac vera bilanx ». — Respondetur : ad significandum hanc subjectionem sufficit species externa destructionis, concedo ; sed non sufficit ad significandam hanc subjectionem per modum sacrificii. Ex comparatione allata, quae ceteroquin omnino claudicat, patet vitium totius systematis : bilanx depicta sufficit ad significandum ; attamen non est vera bilanx ; ita similiter separatio sacramentalis sufficit ad significandam reverentiam, sed non sufficit ad significandam hanc reverentiam per modum sacrificii, quia eamdem reverentiam non exhibet eo modo quo per verum sacrificium exhiberi debet, npe per veram destructionem.

Ita nempe enuntiari posset : per separationem sacramentalem, Christus non immolatur quoad substantiam, siquidem separatio realis sanguinis a corpore ex statu glorioso Domini prorsus est impossibilis, sed vere ponitur vi verborum corpus Christi sub sola specie panis, et sanguis Christi sub sola specie vini, itaque obtinetur immolatio realis quoad modum ; Christus reapse induit statum immolatitium, qui inde apparet quod corpus Christi sacramentaliter separatur a sanguine, et hoc ad verum fundandum sacrificium sufficit.

Respondetur : non immolatur Christus, quoad substantiam, et denuo non separatur corpus a sanguine, quod manifestum est, sed nec immolatur quoad modum per solam separationem sacramentalem, quoniam separatio sacramentalis non terminatur ad ipsum Christum, *sed terminatar ad solas species*, *ad solum signum*, ita ut sub symbolo panis solum corpus adsit ex significatione prioris consecrationis, et sub symbolo vini solus sanguis ex significatione alterius consecrationis, sed sub utraque specie totus Christus praesens sistatur. Ponitur Christus *in statu quodam externo* mortis ac destructionis, et hoc sensu verum est ipsum induere statum immolatitium, sed *hic status immolatitius insufficiens est* ad verum sacrificium constituendum, quia Christus per hunc statum seu habitum nihil immutatur, adeoque *non* immolatur vere *quoad modum*, *sed apparet solummodo ut immolatus* et immolationem crucis hac ratione ad vivum repraesentat.

Nihil autem juvat theoriam Card. Billot ulterius perficere, per intimiorem adhuc conjunctionem cum principiis a Card. de Lugo statutis, appellando minirum ad moralem aestimationem, qua Christus, apparendo in illo externo apparatu occisi, per sacramentalem separationem, coram oculis hominum, moraliter et tamen vere dici potest subire humiliationem mortis et vitam suam destruere et immolare, non secus ac si reipsa trucidaretur.

Replicatur : apparendo in illo externo apparatu occisi, Christus dici potest subire humiliationem mortis et vitam suam immolare ac destruere *in imagine*, *in repraesentatione*, *in apparentia*, concedo ; dici potest subire humiliationem mortis et vitam suam destruere ac immolare, non sane in seipso seu cruento modo, sed saltem in sacramento, in specie aliena, *si in sola separatione sacramentali sistatur*, nego ; si autem ad ipsum statum sacramentalem, qui est realis, recursus habeatur, tunc necessario ad sententiam devenire oportet, quam ex auctoritate ill. ac rev. Waffelaert, in articulo secundo vindicavimus.

Si quis autem urgeat hanc distinctionem a Card. Franzelin invec-

tam, destructionem physicam inter et destructionem moralem, seu destructionem talem, « quae morali aestimatione aequivaleat destructioni » (1), statim respondebimus : haec distinctio, uti ex ipso contextu apud em. auctorem elucet, reduci potest, ad distinctionem, quam introduximus inter destructionem realem, sive destructionem ipsius rei quoad substantiam, et destructionem aequivalentem, sive destructionem ipsius rei quoad modum ; per separationem sacramentalem vero non obtinetur destructio hostiae quoad modum, adeoque si quis eam separationem sacramentalem morali aestimatione censeret aequivalere verae actioni sacrificali, erraret in aestimatione sua, quoniam sacrificio vero aequivalere nequit actio, quae verum sacrificium fundare non potest.

*
* *

Attamen Card. Billot posset declarare totam nostram arguendi rationem labilem esse, si verum esset, quod incunctanter affirmat : « Tandem, nullius momenti esse possunt argumenta quae inductione facta per omnia alia cognita sacrificia in contrarium fierent : quandoquidem ista sunt sacrificia rerum in specie propria, et non magis valet illatio ab uno genere in aliud, ac si conditiones naturalium conversionum velles transferre in mirabilem illam ac singularem conversionem quae transsubstantiatio vocatur (2).

Verum, cum hac assertione, em. theologus, licet systema a Vasquezio elaboratum explicitis verbis excludat, hoc systema reipsa implicite tuetur. Et enim, si sacrificium Eucharisticum sit verum sacrificium, oportet ipsi applicari possit definitio generica sacrificii, nisi admittere velimus cum Vasquezio, hoc sacrificium Eucharisticum esse unicum sui generis ; ex institutione Eucharistiae porro, et ex traditione authentica Ecclesiae constat, hoc sacrificium esse sacrificium proprii nominis, ad normam sacrificii VT., quare et ipsi definitionem sacrificii genericam adaptare necesse est. Hanc necessitatem sentit alioquin em. doctor, et revera omnia ejus conamina eo spectant ut verum sacrificium, suo modo absolutum, commonstret.

In hac autem demonstratione deficit ejus theoria, et nihil advertere juvat : « si contingeret rem offerri, non in propria, sed in specie aliena, tunc ad rationem sacrificii in quantum hujusmodi nihil aliud posset requiri, nisi ut res illa sub sacramentalibus symbolis in quodam externo habitu mortis praesens sisteretur ».

(1) Franzelin, o. c., thes. XVI, p. 404.
(2) Billot, o. c., I, p. 588.

Nisi rem a priori dirimere velimus, dicemus : semper requiri potest ut vera ratio sacrificii in celebratione Eucharistiae salvetur, etiam si fiat oblatio victimae in specie aliena ; haec ratio salvatur in theoria quam vindicavimus ; in sententia em. theologi non salvatur.

Nihil pariter juvat provocare ad « mirabilem ac singularem conversionem quae transsubstantiatio vocatur ». — Et revera, hac ratione immerito miscentur duo respectus, primus, quo in celebratione Eucharistiae conficitur sacramentum, alter, quo in eadem celebratione offertur sacrificium, et quidem proprie dictum. Certo non licet conditiones naturalium conversionum transferre in conversionem illam mirabilem, quae transsubstantiatio nuncupatur ; sed, quamquam offertur sacrificium Eucharisticum in illa eadem consecratione, qua panis et vinum in corpus et sanguinem Christi transsubstantiantur, *non offertur* tamen sacrificium *in quantum* Christus *statum accipit sacramentalem*, sed *in quantum*, in accipiendo hoc statu, quod ad confectionem sacramenti pertinet, *simul statum induit immolatitium*, qui inde apparet quod corpus ejus vere manducari potest, et sanguis ejus vere potari valet. Atqui, induere statum immolatitium, etiam si hoc fiat in ipsa conversione mirabili, quae est transsubstantiatio, non est quid mirabile, uti ex comparatione cum sacrificiis VT., quam in explananda nostra theoria praestitimus, sat superque constare confidimus ; omnino re quidem vera parallela est haec immolatio incruenta et mystica, quam in celebratione Eucharistiae vindicavimus, cum illa quam sub VT. usurpatam fuisse reperimus. Attamen hoc mirabile libenter profitemur quod Christus Dominus tale sacrificium instituerit ut quotidie vere immolari possit, quamquam impassibilis in coelis regnat, et quidem hac ratione insuper ut cruentam suam mactationem simul ad vivum repraesentet.

Sed dicet quis : in theoria superius exposita, etiam provocatur ad hunc statum sacramentalem ; quinimmo dictum est hac praecipue de causa immolationem hanc incruentam et mysticam, esse veram, realem scilicet quoad modum, quia Christus vere et realiter accipit statum sacramentalem. Respondetur autem eadem distinctione : diximus Christum immolari vere et realiter quoad modum, licet mystice et in specie aliena, non quatenus accipit hunc statum sacramentalem, sed quatenus in eo statu accipiendo, simul induit, alia vero de ratione, statum immolatitium. Materialiter idem est accipere statum sacramentalem et induere statum immolatitium ; in eadem consecratione utrumque obtinet, sed formaliter differunt

ambo respectus, primus, quo sacramentum conficitur, et alter, quo sacrificium offertur.

* * *

Ex his refutatis sententiis nostram theoriam confirmare fas est (1). Ne autem dicenda in capite secundo praeoccupare videremur, in tota hac disceptatione, nihil de ipsa relatione sacrificii Eucharistici ad sacrificium crucis disputavimus (2). Priora autem systemata, in hac prima sectione ad crisim revocata, hanc relationem minus explicant; posteriora vero systemata, inde a theoria Vasquezii, eamdem relationem nimis premunt, sed de his infra dicetur.

§ 2. — *Altera series opinionum.*

Secundam seriem opinionum, quae de ratione formali, qua in celebratione Eucharistiae, verum offertur sacrificium, breviori negotio absolvere licet, et ratio est quia longius a recta via declinant.

(1) Card. Billot, *o. c.*, I, p. 588, addit : « Iterum autem adverte quomodo dictum sit in ordine ad significandum; nam profecto in ordine ad satisfaciendum, non aequivaleret; verum ratio satisfactionis non est ipsa sacrificii ratio, licet ei adjungi possit sicut de facto contigit in sacrificio crucis ». — Hac animadversione explicationem sacrificii Eucharistici, a nobis in articulo secundo propositam, egregie corroborare licet : sane, ratio satisfactionis non est ipsa ratio sacrificii, sed sacrificium Eucharisticum est vere propitiatorium, non quatenus nova acquirit merita, sed quatenus merita per sacrificium cruentum acquisita applicat. Jamvero, si Christus denuo in Eucharistia immolatur, immolatione reali quoad modum, seu immolatione aequivalenti, objectivum nanciscimur fundamentum, quo illa merita olim acquisita applicari possunt; per verum sacrificium, unum atque idem cum sacrificio cruento, uti in capite secundo exponetur, applicatur meritum sacrificii crucis, et haec applicatio non in repraesentatione tantum sacrificii cruenti fundatur. — Sed dicet quis : si Christus novum aliquem actum ponit, quotiescumque offert, Christus denuo meretur. Replicatur : Christus non meretur, quia jam non est in statu viatoris, et eadem alioquin exsurgit difficultas pro ipsa oratione et interpellatione Christi in coelis, sed eadem ratione facillime dissolvitur, uti luculenter ostendit Card. Franzelin, *o. c.*, thes. XVI, p. 416.

(2) Speciali redargutione non indiget harmonia, quam constituere conatus est P. Michael, *Harmonie der sieben vorzüglichsten Messopfer-Theorien*, Mainz, 1907. Hic enim auctor aliquam synthesim, ad modum harmoniae musicalis, ex septem theoriis admittendam proclamat, ut veram essentiam Missae sacrificii assequamur; at vero haec harmonia laborat vitiis omnium sententiarum, quas resumit, itaque sufficienter ex disputatis hucusque confutatur.

Primo dicimus de opinione, quam cl. LEPIN (1), ex sententiis P. de Condren et D. Olier, resuscitavit. Sacrificium, ait, etiam generice sumptum, non est essentialiter in immolatione, sed in donatione seu in « devotione » totali, qua homo sese perfecte Creatori suo submittit. Sacrificium Christi jam incepit cum instanti Incarnationis, sed culmen suum ex libera Dei voluntate habuit in mactatione cruenta crucis; eamdem voluntatem sese devovendi post mortem suam conservavit Dominus ; eamdem constanter per verum sacrificium Patri in coelis exhibet, et in terris offert Deo, quamdiu modo sensibili sub distinctis speciebus immolationem suam cruentam repraesentat.

His assertis nihil ex professo respondendum remanet. Demonstravimus, in prima parte, sacrificium proprie dictum esse actum et non statum, et quidem actum talem, qui destructionem involvit. In secunda parte confecimus nullum esse sacrificium proprie dictum in coelis ; in primo articulo hujus prioris sectionis, animadvertimus sacrificium non tamdiu durare, quamdiu species perseverant, itaque nihil de hac sententia dicendum restat ; cum Vasquezio omnino consentit cl. Lepin quando sacrificium Eucharisticum per repraesentationem sacrificii cruenti et relationem essentialem ad hoc sacrificium absolvi contendit, sed haec placita in hoc ipso tertio articulo confutavimus.

*
* *

Similis valde huic opinioni est theoria a PELL prolata, quae pariter destructionem ad sacrificium non esse necessariam propugnat.

Celebratio Eucharistiae, ait cl. doctor, est sacrificium, et quidem idem omnino, quod olim Christus in coena, et in cruce obtulit, in quantum idem Dominus Jesus hîc praesens est et satisfacit, ex eodem prorsus animo Deo obediendi ac seipsum amanter devovendi, qui quondam passionem atque cruentam crucis mactationem ad sacrificium evexit, et qui per species Eucharisticas tanquam oblatio rursus apparet (2).

Jam diximus in articulo secundo, sacrificium non eousque perdurare, quousque species in altari remanent ; quoad rationem formalem vero, qua in Eucharistia verum offertur sacrificium, cl. Pell totaliter in errore versatur.

(1) LEPIN, *o. c.*, p. 219 s.; cf. etiam in parte prooemiali hujus dissertationis, p. 18.

(2) PELL, *o. c.*, p. 36; cf. supra, in parte nostra prooemiali, p. 17.

Distinguit nimirum inter notam sacrificii, id est, inter formam illam exteriorem, qua sacrificium externe apparet (1), et essentiam sacrificii; essentia autem, inquit, id est, quod valorem confert sacrificio; essentia absolvitur intentione offerentis et cum nota sacrificii non confunditur. Ita, puta in sacrificio crucis, nota sacrificii erat ipsa mactatio cruenta, sed essentia hujus oblationis in anima Christi requirenda erat, quatenus scilicet Dominus Jesus sese perfecte Deo devovebat, et pro mundo lapso expiationem praestabat. Idem animus Christi constanter permanet, et sub alia nota in sacrificio Eucharistico sensibiliter sese manifestat, sed essentia sacrificii complete perficitur illo animo et illa intentione sese devovendi, itaque idem semper verum sacrificium offertur.

Tota innovatio cl. doctoris huc igitur redit quod minus apte inter notam et essentiam sacrificii discernit; essentia enim alicujus rei id est, quod rem constituit; ubi agitur sacrificium, ad essentiam pertinent res oblata, actio, qua res offertur, finis in hac oblatione intentus et minister, qui rem offert per destructionem et eamdem destructionem in honorem divinum ordinat. Pell autem arbitrarie, essentiam sacrificii, ad intentionem coarctat, adeoque non exponit quanam ratione sacrificium in Eucharistia obtineatur, sed simpliciter affirmat Christum eumdem animum sese devovendi conservare, quin inquirat num haec intentio per verum sacrificium exprimatur.

* * *

Magis acute certo rem perpendit cl. Thalhofer (2), cui ratum atque fixum est, ad sacrificium verum ac proprie dictum necessariam esse destructionem, ita ut ibidem nullo pacto haberi possit verum sacrificium, ubi realis destructio hostiae deficit. Rejectis autem omnibus sententiis, quas noverit, hoc modo problema solvere attentavit.

(1) Pell, *o. c.*, p. 27 s.

(2) Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 238 s.; eamdem sententiam tuetur Simar, *Dogmatik*, II, p. 962, Freiburg i. B., 1899[4]; cf. etiam P. Gillet, *o. c.*, p. 100 et ill. Mac Donald, *The sacrifice of the Mass*, apud period. *Eccl. Review*, XLV, p. 168-188, 1911; hic ill. doctor auctoritatem pariter invocat Dr. Möhler, quem Thalhofer etiam sequitur, uti in parte prooemiali, p. 14, n. 4, diximus.—Praesertim insistit ill. Mac Donald in unitate sacrificii tum coenae ultimae, tum crucis et altaris; imo, concludit sacrificium crucis omnino postulare oblationem coenae ac Missae: « From this it follows that the death on the Cross would not have been at all a sacrifice without the offering and consecration in the Supper, continued by Christ's own institution in the Mass » (*l. c.*, p. 175).

Post passionem suam, Christus in anima sua conservavit spiritum obedientiae et abnegationis, quocum sacrificium suum cruentum perfecit, et eamdem intentionem absque intermissu, per verum sacrificium in coelis oblatum, Patri suo exhibet (1). Jamautem, in instanti consecrationis, quando caro Christi et sanguis ipsius in sacramentali separatione ponuntur in altari, Christus Dominus hunc suum animum semper actualem in coelis, manifestat hisce in terris per hanc formam separationis mysticae ; itaque idem semper offert sacrificium, idem quoad ipsum actum immolationis, nam destructio, ad essentiam sacrificii prorsus necessaria, eadem est in sacrificio crucis et in sacrificio Eucharistico, quandoquidem intentio Christi sese immolandi, mediante sacrificio coelesti, semper actualis remanet, et sub nova quadam forma externa in ritu Eucharistico apparet.

Haec sententia, quae prima, sed externa tantum facie cum theoria Vasquezii identica videtur, rationem formalem, qua sacrificium proprie dictum in Eucharistia peragitur, non tantum non explanat, sed ipsam quaestionem potius tollit ; non exponit quemadmodum obtineatur vera destructio, itaque in consecratione verum offeratur sacrificium, sed tantummodo dicit quomodo eadem consecratio tegumen atque involucrum alterius sacrificii censeri possit.

Missis ergo quae ad sacrificium coeleste spectant, quoniam de hoc sacrificio in I parte diximus (2), et praetermissis nunc, quae de relatione sacrificii altaris ad oblationem crucis in capite II hujus III partis disputanda venient, ad sententiam a Thalhofer propugnatam replicamus : consecratio, cum hac explicatione, non constituit verum sacrificium, sed ad summum repraesentat sacrificium crucis, quandoquidem actio sacrificalis in consecratione ad hoc limitatur ut per separationem sacramentalem eumdem animum Christi sese devovendi, qui revera cruentam mactationem in cruce ad sacrificium sublimavit, rursus externe appareat. Ita porro sacrificium Eucharisticum, quoad essentiam suam, revera ad solum elementum inten-

(1) Ab hac sententia a Thalhofer propugnata valde discernenda venit theoria a Brightman, Milligan et aliis anglicanis prolata, quam in parte prooemiali, p. 16, n. 2, delineavimus. Haec opinio, cum placitis Socinianorum connexa, ex professo refellitur, uti ibidem etiam diximus, in eximio opere concinnato a MORTIMER, *The Euch. Sacrifice,* p. 82 s. et passim. — Haec nunc omittimus, quia magis ad soteriologiam pertinent.

(2) Vide supra, in secunda parte, cap. I, p. 221 s.

tionale coarctatur, adeoque cl. auctor idipsum quod in quaestione est, non solvit, sed simpliciter aufert (1).

*
* *

Quod tandem placita spectat, recentissime a Grivet prolata (2), eadem pariter in praecedentibus sufficienter dissolvimus. Et enim primo, non offertur sacrificum proprie dictum in coelis, itaque nihil quaestionis de essentia Missae inde explicatur. Secundo, sacrificium Eucharisticum offertur in ipsa consecratione, et non ad « oblationem » post verba consecratoria, uti cl. theologus contra communem sententiam profitetur. Tertio, communio, etiam sacerdotis, non pertinet ad essentiam sacrificii Eucharistici proprie sumptam, sed ad ejus integritatem facit.

Haec, quod sacrificium Eucharisticum attinet; nam, quoad ipsam notionem sacrificii, adhuc animadvertendum esset, (quod etiam aliis auctoribus earum sententiarum, quas in hac altera serie examinavimus, opponi posset), sacrificium non esse in donatione proprii nominis, neque licitum esse solum aspectum internum hujus actionis, quam sacrificium vocant, tantummodo conservare et illi nihilominus nomen sacrificii absque ulla explicatione aut restrictione applicare.

Sed haec sufficiant. Nunquam vero satis rememorari poterimus quomodo haec omnia systemata enata sint : si unum Thalhofer in hac serie excipiamus, omnes doctores reipsa problema a priori dirimere voluerunt et inde principium omnium errorum.

*
* *

Paucis tantum verbis recapitulari juvat quae in hoc articulo tertio et in hac prima sectione disputavimus : *in altera serie* sententiarum, quae propositae fuere ad rationem formalem assignandam, qua in ritu Eucharistico verum offertur sacrificium, *tollitur ipsum problema solvendum, potius quam dirimitur ;* in *prima serie*, omissa theoria Bellarmini, quae nihil explicat, et *omissa iterum opinione Suarezii, quae aspectum sacramentalem cum respectu sacrificali confundit, priores solutiones prolatae destructionem in consecratione exaggerant, dum sententiae posteriores, inde a Vasquezio, eamdem destructionem nimis extenuant.*

(1) Cf, etiam Stentrup, *o. c.*, II, p. 418 s. et Pohle, *Dogm.*, III, p. 391 s.
(2) Grivet, *o. c.*, p. 37 s. et passim; cf. supra, in parte prooemiali, p. 19 s.

Ut vera exponatur ratio, qua sacrificium Eucharisticum perficitur, deveniendum est ad theoriam ab ILL. AC REV. WAFFELAERT propositam, quam in articulo secundo vindicavimus : *in consecratione nimirum, ad quam restringere oportet actionem sacrificalem,* uti in articulo primo demonstravimus, *Christus statum induit immolatitium, et revera immolatur, non immolatione reali quoad substantiam, sed immolatione aequivalenti, seu reali quoad modum, dum sistitur per duplicem consecrationem in statu victimae ad instar occisi, qui status inde apparet quod corpus ejus vere manducari et sanguis ejus vere potari potest.* Hac ratione, immolatio ipsum Christum afficit et ad ipsum terminatur, itaque perfecte explicatur formula a traditione authentica derivanda : « Christus in sacramento, in mysterio, quotidie immolatur ».

SECTIO II.

De re oblata in sacrificio Eucharistico.

In hac sectione investigabimus quaenam sit res in hoc sacrificio Eucharistico oblata. Verum, secundum ipsam institutionem Eucharistiae, authentica traditione et declaratione Ecclesiae illustratam, materia, quae in hoc sacrificio offertur, est *ipse Christus*, qui *sub specie visibili* incruente immolatur : « Novum instituit (Dominus) Pascha se ipsum sub signis visibilibus immolandum », quando « corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis... ut offerrent praecepit per haec verba : Hoc facite in meam commemorationem » (1).

Uti statim apparet, ad hanc thesim sponte sua enascuntur duae quaestiones : prima, quaenam sit relatio specierum sacramentalium ad ipsum sacrificium ; secunda, quaenam sit habitudo panis et vini ad eamdem oblationem Eucharisticam ; ex apta propositione ipsius theseos defluent solutiones ad utrumque quaesitum, et apparebit simul quemadmodum in sacrificio Eucharistico oblationem visibilem habeamus.

ART. 1. — QUAERITUR QUANAM RATIONE SPECIES AD SACRIFICIUM PERTINEANT.

Sacrificium Eucharisticum hoc modo peragitur : super panem et vinum pronuntiantur, in persona Christi, verba consecrationis : « Hoc est corpus meum... Hic est sanguis meus », et ad haec verba convertuntur substantia panis et substantia vini in corpus et sanguinem

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. I (*Enchiridion*, n. 938).

Domini, manentibus dumtaxat speciebus, quam quidem conversionem Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellavit (1).

Quatenus consecratio est actio transsubstantiativa, et Christum praesentem ponit sub speciebus panis et vini, habet rationem sacramenti; sed quatenus eadem consecratio Christum inducit in statum victimae aequivalenter immolatae, juxta explicata superius, simul rationem habet sacrificii, itaque panis et vinum ad sacrificium pertinent tanquam materia, ut est terminus a quo et in quo incipit consecratio, « dum materia ut terminus ad quem tendit actio sacrifica, tanquam ad objectum sacrificii, et in quo essentialiter perficitur actio sacrifica, est corpus et sanguis Christi seu ipse Christus sub speciebus panis et vini » (2).

Et enim primo, panis et vinum, stricte loquendo non destruuntur (3), sed convertuntur in corpus et sanguinem Domini; secundo, eadem transsubstantiatio, (quatenus scilicet improprio nomine vocari posset destructio, quum, post prolata verba consecratoria, panis et vinum jam non adsint), non ordinatur ad debitum Deo honorem persolvendum per modum sacrificii, quamobrem panis et vinum non spectant ad sacrificium Eucharisticum, nisi in quantum ab illis elementis, et in illis elementis, incipit consecratio, qua sacrificium offertur simul ac sacramentum conficitur

Actio sacrifica formaliter in hoc est, quod Christus in consecratione ponitur in statu immolatitio; actio sacrifica ipsum Christum afficit quoniam Christum, licet ante consecrationem in coelis gloriosus existat, et post consecrationem ibidem in eodem statu permaneat, inducit in statum victimae aequivalenter immolatae; Christus revera novum modum induit in altari, adeoque *terminus ad quem* tendit actio sacrifica est *ipse Christus sub specie visibili immolatus*; id quod offertur non est Christus quatenus gloriosus, sed Christus *quatenus immolationi subjacet, et in signo sacro seu in sacramento immolatur,* uti ss. Tridentina Synodus concinne, juxta ipsam formulam traditionalem, docuit.

Id quod offertur *non est Christus cum speciebus*, uti mox contra Suarezium latius demonstrabimus, sed *Christus sub speciebus*; hanc autem distinctionem statim intimius explanare juvat, quo melius objectionibus a Suarezio allatis satisfacere valeamus.

* * *

Ubi ponimus objectum sacrificii esse Christum sub speciebus,

(1) *Conc. Trid.*, sess. XIII, *De ss. Euch.*, can. 2 (*Enchiridion*, n. 884).

(2) Ill. ac rev. Waffelaert, *Scholia de ss. Missae sacrificio*, apud *Coll. Brugen.*, XII, p. 737, 1907.

(3) *Sum. Theol.*, III, q. 75, a. 3, c.

non affirmamus actionem sacrificam afficere Christum sub speciebus constitutum, quatenus nimirum praevie ad actionem sacrificam jam esset Christus sub speciebus, et ipse Christus ita sub signis existens offerretur per consecrationem sub aspectu sacrificali consideratam ; tunc enim Christus cum speciebus esset terminus a quo actionis sacrificae et actio sacrifica qua talis, seu qua destructiva, ad ipsas species simul ac ad Christum pertingeret ; dicimus autem objectum sacrificii esse Christum sub speciebus, quatenus consecratio, formali ratione, qua est actio sacrificalis, ipsum Christum dum afficit, illum inducit in statum victimae aequivalenter immolatae sub specie visibili, itaque terminatur ad Christum sub specie immolatum. Terminus ad quem igitur actionis sacrificae est Christus sub symbolis existens immolatus ; actio vero sacrifica formaliter peragitur, quatenus Christum in hunc statum immolatitium sub specie visibili actu inducit.

Hoc est proprium et singulare huic altissimo Missae sacrificio, quod non praesupponit victimam mactandam, uti quondam sacrificia VT. supponebant hostias esse, priusquam offerri possent ; eadem enim consecratione Christus ponitur praesens et immolatur : illud ad sacramentum pertinet, hoc ad sacrificium facit, secundum distinctionem inter utrumque respectum, quam accepimus a s.Thoma et saepius declaravimus. Hac etiam de causa non juvat ipsum Christum vocare terminum a quo actionis sacrificae, licet haec actio reipsa ipsum Christum afficiat. Quatenus enim Christus gloriosus in coelis existit, manifeste non offertur ; statim vero ac verba ad consecrationem pronuntiantur, Christus, cum statum accipit sacramentalem per transsubstantiationem, etiam statum induit immolatitium, adeoque in altari non existit nisi in statu victimae et in termino ad quem actionis sacrificalis ; hic terminus ad quem, uti obvium est, et adhuc clarius infra patebit, indicat rem oblatam sed simul ipsam actionem sacrificalem connotat (1).

Ex comparatione respectus sacramentalis cum respectu sacrificali, quem utrumque respectum in una consecratione reperimus, rem adhuc illustrare favet.

*
* *

Consecratio, in qua conficitur sacramentum et offertur sacrificium, incipit a pane et vino, ut termino a quo ; terminatur ad Christum cum speciebus, quatenus est confectio sacramenti et ad Christum sub speciebus immolatum, quatenus est oblatio sacrifi-

(1) Cf. Franzelin, *o. c.*, thes. XVI, p. 413.

cii. Consecratio, *sub priore respectu*, incipit a pane et vino ut termino a quo, quoniam panis et vinum per transsubstantiationem convertuntur in corpus et sanguinem Domini, manentibus dumtaxat speciebus, et *terminatur ad Christum cum speciebus*, seu ad « rem et sacramentum », uti in tractatu de sacramentis explicite statuitur. Consecratio, *sub altero respectu*, incipit etiam a pane et vino, quatenus in eadem consecratione, ratione diversa considerata, offertur sacrificium Eucharisticum, quod *terminatur ad Christum sub specie immolatum*, uti modo explicuimus.

His rite perspectis, annuimus formulae, quam iis verbis enuntiat Suarezius : « Christus, ut est sub propria specie, in hoc sacrificio, neutiquam offertur » (1). — Profecto, Christus quatenus gloriosus non offertur, neque adest in altari, sed ipse Christus nihilominus, qui ante consecrationem gloriosus existit in coelis, et post consecrationem ibidem impassibilis et immutatus permanet, revera statum induit immolatitium in altari ; ipse Christus vere immolatur, non in specie propria sed aliena, et immolatur hac formali ratione, quia hunc statum victimae aequivalenter immolatae induit. Hoc modo offertur sub signo visibili ipse Christus, qui est materia, seu terminus ad quem eadem actio sacrificalis tendit.

Nullatenus autem assentimus huic alteri propositioni, quam ibidem statuit eximius doctor, cui Card. de Lugo in his placitis concinit (2). Ita nimirum scribit Suarezius : « Species sacramentales panis et vini intrinsece pertinent ad rem oblatam in hoc sacrificio, ita ut hujusmodi res oblata per modum termini non sit tantum Christus nude sumptus, sed simul cum speciebus, seu quatenus cum ipsis unum compositum sacramentale constituit » (3).

*
* *

Advertatur autem sedulo : non dicimus terminum actionis sacrificae esse Christum nude sumptum, sed pronuntiamus hunc terminum esse Christum sub specie visibili immolatum, et negamus Christum offerri cum speciebus per modum unius rei oblatae. Perperam autem advocatur in favorem sententiae affirmantis, testimonium ss. Concilii Tridentini, uti ex textu authentico invicte

(1) Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. I, n. 7.

(2) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. VIII, n. 97 s.; uti diximus, Card. de Lugo communionem ad essentiam sacrificii Eucharistici pertinere existimat, et potius in sumptione « species se habere ut partem rei sacrificatae » putat, uti dicit n. 98.

(3) Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. I, n. 9.

procedit. Ita tamen arguit Suarezius ex declaratione Ecclesiae, quae sacrificium Eucharisticum esse visibile docet :

« De ratione visibilis sacrificii est, ut res, quae offertur, sit visibilis ; sed hoc sacrificium est visibile ; ergo res oblata est etiam visibilis ; ergo quod offertur non est tantum Christus, ut habens sacramentalem existendi modum ; nam, ut sic invisibilis est ; ergo, ut per species est hostia aliquo modo visibilis, et a nobis contrectari, et participari potest ; ergo ipsae species intrinsece pertinent ad hanc rem oblatam » (1).

Post expositam doctrinam in sectione priori, obvia patet responsio : de ratione sacrificii visibilis non est ut res oblata sit *in se* visibilis, sed postulatur et sufficit ad sacrificium visibile ut res oblata *in tantum sit visibilis, in quantum actioni sacrificali subjacet* : haec visibilitas manifeste sola ad sacrificium facit. Ubi res offertur, non in specie propria, sed in specie aliena, satis est igitur ut sit visibilis per species sub quibus immolatur; actio autem sacrificalis in Eucharistia ipsum Christum afficit, itaque ipse Christus offertur in hoc sacrificio ; attamen terminatur eadem actio simul ad signum seu ad species, quatenus consecratio Christum inducit in statum victimae aequivalenter immolatae sub specie aliena, uti in praecedentibus latius explicavimus ; cum distinctione igitur ad ratiocinium a Suarezio allatum replicari potest :

De ratione sacrificii visibilis est, ut res, quae offertur, sit visibilis, distinguo : de ratione sacrificii visibilis est, ut res, quae offertur in specie propria, sit visibilis in se, et quidem praevie ad immolationem, quoniam actio sacrifica ipsam rem in se afficit et terminatur ad eamdem rem destructam in specie propria, concedo ; de ratione sacrificii visibilis est, ut res, quae offertur in specie aliena sit visibilis in se, nego. Sufficit enim ut res sit visibilis per species, sub quibus offertur et immolatur. Eadem ratione conclusionem distinguere fas est : ergo ipsae species intrinsece pertinent ad ipsam rem oblatam, quatenus Christus offertur et immolatur sub speciebus, concedo ; quatenus offertur cum speciebus, per modum unius rei oblatae, nego (2).

Ubi agitur sacrificium, in quo victima offertur in specie propria, sacrificium est *visibile per terminum a quo* ; quinimmo, terminus ad quem, si stricte loquamur, non datur in tali sacrificio, quoniam hostia in se et quoad substantiam per ipsam actionem sacrificalem

(1) Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. I, n. 9.

(2) Cf. etiam Lessium, *o. c.*, lib. XII, cap. 13, n. 96 ; Stentrup, *o. c.*, II, p. 456 s.

destruitur (1). Ubi agitur sacrificium, in quo victima immolatur in specie aliena, sacrificium est *visibile per terminum ad quem*, et terminus a quo, quem in tali sacrificio indicare fas est, non accurate correspondet termino a quo, qualem in priori sacrificii specie indigitavimus. Actio enim sacrifica, qua talis, revera panem et vinum non afficit : primo, panis et vinum non destruuntur ; secundo, destructio improprie dicta, quam in conversione substantiae panis et vini aliquis reperire posset, ad honorem divinum non ordinatur per modum sacrificii.

Advertendum est insuper in termino ad quem connotari simul actionem ipsam sacrificam : terminatur nimirum actio sacrificalis ad Christum sub signo visibili immolatum ; itaque ex speciali indole hujus sacrificii Eucharisticii, quod versatur circa hostiam impassibilem, explicatur cur, ad quaestionem : quid in hac oblatione offeratur, responderi oporteat : offertur ipse Christus sub specie aliena immolatus ; respondetur nimirum, non per terminum a quo, uti pro sacrificiis, in quibus victima in specie propria immolabatur, et per immolationem, quoad substantiam destruebatur, sed respondetur per terminum ad quem, qui, quoniam ad immolationem consequitur, eamdem actionem sacrificalem necessario connotabit.

*
* *

Attamen Suarezius secundum argumentum in favorem suae sententiae, quae species cum Christo offerri contendit, hoc modo astruit : « Christus instituit, et obtulit hoc sacrificium, ut summus sacerdos secundum ordinem Melchisedech ; ergo obtulit aliquo modo panem et vinum, non solum ut materiam, sed etiam ut terminum oblationis ; tale enim fuit sacrificium Melchisedech ; ergo Christus est res oblata in hoc sacramento, quatenus est panis vitae, quod habet, ut existit sub speciebus, et cum illis constituit unum visibilem cibum » (2). Eximius doctor in eamdem sensum auctoritatem s. Augustini adducit, quem haec docuisse opinatur : « Hoc est quod dicimus, hoc est, quod modis omnibus probare contendimus, sacrificium Ecclesiae duobus confici, duobus constare, visibili sacramentorum specie, et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine ».

Verum, haud arduo negotio huic considerationi replicabimus : et enim primo, ut sacrificium Melchisedech dici possit figura sacrificii

(1) Cf. Card. Franzelin, *o. c.*, thes. XVI, p. 414, qui aliquem terminum ad quem in sacrificio, ubi res in specie propria offertur, agnoscere videtur.

(2) Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. I, n. 9.

Eucharistici, quod reapse saepe saepius apud Patres, et etiam in ipsa declaratione ss. Tridentini Concilii legimus, satis est ut Christus corpus et sanguinem suum offerat sub specie panis et vini, et nullo pacto postulatur ut ipsae species simul cum Christo offerantur; quinimmo, si figuratum figurae adamusssim respondere deberet, dicendum esset panem et vinum etiam ad sacrificium Eucharisticum pertinere, quod de facto, erronee omnino, docet eximius doctor, uti statim videbimus.

Ad auctoritatem invocatam quod attinet, omnino fallitur Suarezius ubi s. doctorem hipponensem secum consentientem existimat. Verba citata non sunt s. Augustini, sed Lanfranci (1); et Lanfrancus insuper nullatenus favet sententiae modo prolatae, nam in textu laudato errorem Berengarii impugnat, et non sacrificium, sed sacramentum praeprimis respicit. Docet itaque, et recte quidem (quoniam solae species vocari possunt « sacramentum », dum corpus et sanguis Domini cum signis visibilibus « rem et sacramentum » constituunt), sacrificium Ecclesiae, seu id, quod ad oblationem sacrificii et ad confectionem sacramenti consequitur, « visibili elementorum specie et invisibili Domini carne et sanguine » confici et constare.

* * *

Suarezius tertiam tandem rationem affert hoc modo : « Hostia in hoc sacrificio oblata cedit in usum fidelium, tanquam verus cibus, et admirabile sacramentum; sed sacramentum hoc intrinsece includit species sensibiles, simul cum corpore et sanguine Christi, uti

(1) LANFRANCUS, *De corpore et sanguine Domini,* X (PL., CL, 421) : « Hoc est namque quod dicimus, hoc modis omnibus contra te (nempe contra Berengarium) ac sequaces tuos approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiae duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili Domini Jesu Christi carne et sanguine, sacramento et re sacramenti... Conficitur autem... sacrificium Ecclesiae sacramento et re sacramenti, id est, corpore Christi. Est igitur sacramentum et res sacramenti, id est, corpus Christi ». Remittit Suarezius ad GRATIANUM, ita et LESSIUS, *l. c.*, n. 98, ubi idem error prostat. De facto hoc testimonium legimus in *Decreto,* in parte III, De Consecratione, dist. II, cap. 48 (PL., CLXXXVII, 1754), sub nomine s. AUGUSTINI, *Lib. Sententiarum Prosperi* (in PL., LI, 427 s.); idem textus adhuc reperitur in *Panormia,* I, 137 (PL., CLXI, 1075 s.), pariter sub nomine s. doctoris hipponensis; sed in Lib. Sent. Prosperi haec verba non leguntur. Cf. adhuc *Decretum,* sub nomine s. IVONIS CARNOT., in parte II, De corpore et sanguine Domini, 9 (PL., CLXI, 152), ABAELARDUM, *Sic et non,* CXVII (PL., CLXXVIII, 1524) et P. LOMBARDUM, *Lib. IV Sent.*, dist. X, P. I, c. 1 (ed. crit., IV, 214; PL., CXCII, 860), qui etiam hunc locum referunt sub nomine s. Augustini in eodem Lib. Sent. Prosperi.

in superioribus probatum est; ergo idem est dicendum de hostia oblata in hoc sacrificio » (1).

Respondetur : comprobatum non est, et hoc demonstrare omittit Suarezius, idem de sacramento et de sacrificio valere, quum ratione formali differant; eodem paralogismo peccat eximius doctor in quarto argumento, quod sic enuntiat :

« Denique consecratio, quatenus est aliquo modo sacramentalis et sensibilis, non terminatur ad solum Christum secundum se, sed etiam ad species, seu ad sacramentale compositum; ergo totum hoc est res oblata in hoc sacrificio, tanquam terminus actionis sacrificandi, quae vel omnino, vel praecipue in consecratione consistit » (2).

Replicamus : in consecratione conficitur revera sacramentum, simul ac offertur sacrificium, sed non licet « ex ratione termini, ut respondet priori rationi consecrationis, statuere de ratione termini ut alteri rationi respondet » (3), et ita dissolvitur ultima consideratio, quam Suarezius in favorem opinionis suae adduxit.

Repetimus autem adhuc nos nullatenus docere consecrationem, etiam sub aspectu sacrificali consideratam, terminari ad solum Christum secundum se; aperte e contra pronuntiamus terminum ad quem esse Christum sub specie visibili immolatum; negamus autem Christum offerri cum speciebus, per modum unius rei oblatae, uti jam sufficienter contra Suarezium declaratum confidimus.

* * *

Licet denique sententiam nostram confirmare ex ipso testimonio ss. Tridentinae Synodi, quae cum tota traditione conspirat ut unam eamdemque victimam profiteatur, tum in sacrificio crucis, quum in sacrificio Eucharistico, quamquam nihilominus eadem hostia, in ratione qua offertur, sed in hac sola, utrimque differt.

Haec est ipsissima doctrina, quam in hac sectione vindicavimus : in sacrificio crucis, res oblata est ipse Christus; in sacrificio Eucharistico, res oblata est idem ipse Christus sub specie visibili immolatus. In priore sacrificio, quoniam victima divina oblata fuit in specie propria, respicitur terminus a quo actionis sacrificae; in altera oblatione respicitur terminus ad quem, et connotatur

(1) Suarezius, o. c., disp. 75, sect. I, n. 9.
(2) *Ibidem.*
(3) Stentrup, o. c., II, p. 459.

adeo ipse modus offerendi ; « una (igitur) eademque est hostia,... sola offerendi ratione diversa » (1).

Jamautem, hanc confirmationem, tanquam objectionem adversus suam sententiam, praevidit eximius doctor, et eamdem hoc ratiocinio praeverti posse putavit : « Sicut substantiale individuum idem est, quamvis diversis temporibus diversis accidentibus sit affectum, ita in praesente res oblata in utroque sacrificio eadem simpliciter est, quia substantialiter est eadem ; quod autem in hoc sacrificio sit novis accidentibus conjuncta, non tollit unitatem simpliciter rei oblatae ; sed indicat diversum offerendi modum » (2).

Hoc responsum porro difficultatem nullo pacto dirimit, quandoquidem ss. Tridentinum Concilium docet identitatem hostiae in utroque sacrificio, non in sola ratione substantiae sed in ipsa ratione hostiae : hostia utrimque oblata est eadem ; atqui, si species cum Christo offeruntur, haec symbola visibilia ipsam rationem hostiae ingrediuntur, itaque tolluntur identitas et unitas, quae a Concilio declarantur. Et enim non est idem Christum offerri cum speciebus, et Christum offerri sub speciebus ; in altero casu connotatur revera ratio diversa offerendi ; in priori hypothesi, non sola ratio offerendi sed ipsa res oblata utrimque diversa est.

Art. 2. — Substantia panis et vini nullatenus in sacrificium offertur.

Minus adhuc cum doctrina Traditionis et Ecclesiae cohaerent, quae Suarezius de oblatione secundaria panis et vini in sacrificio Eucharistico excogitavit : « Dico ultimo, ait, panis et vinum offeruntur in hoc sacrificio etiam tanquam materia, ex qua sacrificium conficitur... In pane enim et vino duo possunt considerari, substantia, scilicet, et accidentia ; substantia dici potest materia ex qua transiens ; nam destruitur in ipsa effectione sacrificii » (3) ; neque tamen sunt duo sacrificia quasi subordinata (4), « alterum panis et vini, alterum corporis et sanguinis Domini » (5),

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 2 (*Enchiridion*, n. 940) ; cf. etiam Vasquezium, *o. c.*, disp. 223, cap. IV, n. 43 s.

(2) Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. I, n. 10.

(3) *Ibidem*, n. 11.

(4) *Ibidem*, n. 3 ; hanc opinionem attribuit ex. doctor Ruardo Tappero, et de facto legimus apud hunc auctorem, *o. c.*, II, p. 403 : « Oportuit et Christum in pane simul et vino sacrificasse, in corpus et sanguinem suum ea transmutando, ut in sacra Eucharistia sacrificia sint non solum corpus et sanguis Christi, sed et panis et vinum ».

(5) Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. I, n. 3.

sed unum atque idem sacrificium. In hunc sensum, addit, quasdam locutiones tum Ecclesiae orantis in Missa et Officio, tum Ecclesiae docentis per Patres, interpretari necesse est : ante consecrationem nimirum jam deprecatur sacerdos : « Suscipe sancte Pater omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam », et in quadam antiphona legimus : « Sacerdos in aeternum Christus secundum ordinem Melchisedech panem et vinum obtulit » ; inter testimonia Patrum notissimum autem est hoc dictum s. Irenaei : « Praecepit Christus Apostolis ut primitias creaturarum, scilicet, panem et vinum, Deo in sacrificium offerant ».

Panis et vinum igitur, ita concludit, non tantum quoad accidentia, sed etiam quoad substantiam offeruntur : « ergo quoad utrumque pertinent ad rem oblatam ; sed secundum substantiam non sunt res oblata, tanquam manens in termino sacrificationis ; ergo ut materia transiens » (1).

« Panis et vinum vere destruuntur in honorem Dei », scribit pariter Card. de Lugo, qui in hac materia rursus cum Suarezio consentit, « et ideo secundario, et minus principaliter sacrificantur, quia non ita principaliter intenditur Dei cultus per eam destructionem » (2).

* * *

Principium erroris in his assertis ex male intellecta notione transsubstantiationis procedit : panis et vinum, stricte loquendo, non destruuntur, uti initio hujus disputationis adnotavimus, et destructio improprie dicta, quae in conversione panis et vini in corpus et sanguinem Domini invenitur, non ordinatur ad honorem divinum per modum sacrificii ; panis et vinum simpliciter sunt terminus a quo et in quo incipit consecratio, quae, ut est confectio sacramenti, ad Christum cum speciebus, seu ad « rem et sacramentum », et ut est actio sacrifica, ad Christum sub specie immolatum terminatur.

Hac autem ratione satis intelligitur liturgia Missae : in oblatione panis et vini jam consideratur sacrificium tanquam totum, quod licet nondum sit perfectum, vere tamen paratur ; liturgia proin « loquitur non de sacrificio quod nunc in pane et vino absolvatur » (3), sed respicit sacrificium quod mox in consecratione panis et vini perficietur.

Nihil insuper prohibet quominus corpus et sanguis Christi sub

(1) Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. I, n. 11.
(2) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. VII, n. 99.
(3) Ill. ac rev. Waffelaert, *l. c.*, p. 741.

speciebus panis et vini immolata, apud Patres aut in Officio ecclesiastico, panis et vinum per metonymiam nominentur; hunc figuratum loquendi modum signatim plerumque indicant adjectae quaedam expressiones, ex quibus luculenter constat panem illum attendi qui panis angelorum, aut coelestis, aut panis de coelo descendens nuncupari potest. Expressis verbis vel imo scribit s. Cyprianus : « Quis magis sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem ? » (1)

Quod locum ex s. Irenaeo attinet, textus revera ita sonat : « Sed et suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit, dicens : Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem; quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in novo Testamento » (2). Quemadmodum ex hoc testimonio in favorem sententiae Suarezii arguere liceat, nos fugit, siquidem primitiae, ad mentem s. Irenaei, manifeste sunt ipsum corpus ac etiam sanguis Domini, et inde revera praecipue enascitur difficultas, quam in capite secundo partis secundae dissolvimus, ubi ex professo de doctrina s. Irenaei diximus.

*
* *

Vana etiam est instantia, quam Suarezius hoc modo affert : « In omni sacrificio, in quo aliqua res destruitur in honorem Dei, est aliqua res oblata per modum materiae sensibilis, circa quam actio sacrificandi versatur, quae per eamdem actionem aliquomodo transmutatur; ergo similis materia reperitur etiam in hoc sacrificio; haec autem non alia est nisi panis et vinum » (3).

Hac ratione eximius doctor transfert ad sacrificium oblatum in specie aliena, quae de sacrificio in specie propria offerendo pronuntiari debent. In sacrificio Eucharistico panis et vinum non

(1) S. Cyprianus, *Epist.* LXIII, 4 (PL., IV, 387 s.).

(2) S. Irenaeus, *Contra Haer.*, IV, xvii, 5 (PG., VII, 1023 s.); Suarezius, *l. c.*, erronee indicat Contra Haer., IV, 32, et ita etiam Stentrup, *o. c.*, II, p. 464. — Vasquezius, *o. c.*, disp. 222, cap. VI, n. 53, refert Contra Haer., IV, xxxii, 7, sed in PG., cap. xxxii, in lib. IV, solummodo n. 1 et 2 constat.

(3) Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. I, n. 11.

destruuntur, et si ad destructionem improprie dictam provocare lubet, haec certo in honorem divinum non ordinatur per modum sacrificii; itaque, in hoc sacrificio, actio sacrifica terminatur ad Christum sub signo immolatum, nullatenus autem ad panem et vinum; attamen sacrificium visibile obtinetur per terminum ad quem actionis sacrificae, uti explicuimus. Quod igitur affirmat Suarezius in propositione modo enuntiata, verum est de sacrificio victimae oblatae in specie propria, et in tali sacrificio actio sacrificalis terminatur ad ipsam destructionem victimae, sed falsum est de sacrificio, in quo victima in specie aliena offertur.

Eadem confusio adhuc manifestius patebit ex ratiocinio, quod astruit eximius doctor, ubi duplex sacrificium in oblatione Eucharistica evitare satagit. « Illae duae res, inquit, (nimirum panis et vinum ex una parte, corpus et sanguis Domini ex alia parte), concurrunt, ut termini a quo, et ad quem ejusdem sacrificationis, quia panis convertitur in corpus Christi, per cujus praesentiam species sanctificantur » (1).

Respondetur : panis et vinum sunt terminus a quo incipit consecratio, in qua sacrificium offertur, sed actio sacrifica, formali sua ratione, non terminatur ad panem et vinum, neque ut ad terminum ad quem, quod manifestum est, et quod non affirmatur a Suarezio, neque ut ad terminum a quo, quoniam actio sacrifica ut talis est in destruenda re offerenda ; atqui, panis et vinum proprie non destruuntur, et destructio improprie dicta, quae in conversione elementorum reperiri potest, non ordinatur in honorem divinum per modum sacrificii, uti pluries advertimus. Convertuntur revera panis et vinum in corpus et sanguinem Domini, itaque consecratio, in qua conficitur sacramentum simul ac sacrificium peragitur, incipit reapse ab istis elementis ; hac de causa eadem elementa denominari possunt terminus a quo, cum relatione ad sacrificium, sed ratione diversa ab illa, qua in sacrificio puta VT., terminum a quo indigitavimus.

* * *

Inane igitur est effugium, quod inducit Suarezius ex comparatione cum sacrificiis antiquis, in quibus, ait, principaliter offerebatur materia ex qua, dum in Eucharistia « non materia, sed terminus sacrificationis est res praecipue oblata, et destructio materiae non est tam per se intenta, sicut effectio termini, ad quem tendit actio » (2).

(1) SUAREZIUS, *o. c.*, disp. 75, sect. I, n. 12.
(2) *Ibidem.*

Haec cum theoria eximii doctoris de ipsa actione sacrificali, patenter connexa sunt; coepit actio sacrifica, ad mentem Suarezii, a destructione panis et vini, et terminatur ad productionem corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, ita ut Christus cum speciebus constituat unum compositum sacramentale, quod offertur. Haec autem partim falsa sunt, quoniam elementa non destruuntur, et partim ad rem non faciunt, quoniam non agitur sacramentum, sed sacrificium. In sacrificio Eucharistico distinguere licet terminum a quo, ratione explicata, et terminum ad quem, ratione pariter explicata, quia Christus sub specie aliena immolatur, sed in sacrificiis antiquis solum terminum a quo attendere oportet, uti supra monuimus.

Immerito tandem distinguit Suarezius inter rem principaliter et rem minus principaliter oblatam. Una est res oblata in sacrificio Eucharistico, et haec designatur per terminum ad quem actionis sacrificae : *id quod offertur est ipse Christus sub specie visibili immolatus*, dum panis et vinum ad sacrificium non pertinent, nisi in quantum consecratio, in qua conficitur sacramentum et offertur sacrificium, ab illis elementis incipit, uti pluries diximus. *Ad sacrificium visibile autem postulatur et sufficit ut res oblata eatenus sit visibilis*, *quatenus actioni sacrificali subjacet*, et hoc in sacrificio Eucharistico obtinet. Cum his autem dicta in hac sectione resumere satis erit.

Sectio III.

De fine sacrificii Eucharistici.

In hac tertia sectione dicemus de fine seu significatione sacrificii Eucharistici, et ex ipsis fontibus revelationis fundamentum nostrae sententiae rursus assumemus : ex prophetia Malachiae, tota traditione et authentica declaratione Ecclesiae approbata, elucet, hoc sacrificium Eucharisticum, quod in locum omnium sacrificiorum VT. successit, excellentia sua, ista omnia longe superare, quamobrem concipi nequit, quin omnes perfectiones oblationum sacrificalium VT., eminenti ratione in se contineat. — « Haec (enim) illa (oblatio munda) est,... quae per varias sacrificiorum, naturae et Legis tempore, similitudines figurabatur, utpote quae bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur » (1). — *Est igitur hoc sacrificium latreuticum* et *eucharisticum*, *impetratorium simul ac propitiatorium*, quas omnes

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae,* cap. I (*Enchiridion*, n. 939).

significationes signatim jam proposuit doctor ss. Eucharistiae, s. J. Chrysostomus, et etiam alii Patres, licet plerumque per transennam, uti in capite tertio partis praecedentis satis indicavimus.

Disputatio, quam nunc in primo capite hujus tertiae partis suscipimus, eo spectat ut inquiramus quomodo verum sacrificium obtineatur in celebratione Eucharistica, itaque raptim indicata quaestione quod sacrificium altaris hos quattuor fines exprimit, quam ex praecedentibus satis constare autumamus, statim ad quaestionem quomodo eosdem significet accedimus.

* * *

Una est tantummodo difficultas in priore quaestione, quam tacere non juvat, nimirum quod characterem propitiatorium hujusce sacrificii attinet ; atqui, sacrificium Eucharisticum esse expiatorium apparet, non solum verbis institutionis, quae sacrificium offerri denuntiant « in remissionem peccatorum », sed adhuc certissima traditione et authentica doctrina Ecclesiae in ss. Tridentina Synodo : « Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis,... non autem propitiatorium,... neque pro ... peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere : anathema sit » (1).

Per « sacrificium laudis » Concilium Tridentinum finem latreuticum sat aperte indicavit, et si vocem « impetratorium » non adhibuit, rem non omisit ; dicendo enim sacrificium nostrum offerri « pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus », luculenter docuit Missam ordinari non modo ad expiandum, sed etiam ad impetranda quaecumque bona ; et merito quidem, quoniam is « qui Deum propitium reddit, non tantum indignationem ipsius sopit sed insuper eum ad novos favores impertiendos inclinat » (2).

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *De sacrif. Missae*, can. 3 (*Enchiridion*, n. 950).

(2) Van Noort, *o. c.*, I, p. 384 ; cf. etiam Card. Billot, *o. c.*, I, p. 634, n. 1, cui « quoad modum loquendi non placet oppositio propitiationem inter et impetrationem. Primo quia Tridentinum, sess. XXII, cap. 2 et can. 3, etsi apertissime loquatur de sacrificio in quantum placat Deum offensum, et adeo impetrat bona, semper uno *propitiatorii* sacrificii vocabulo utitur. — Secundo quia vocabulum istud ex natura sua utrumque respectum includit. Reddere enim propitium, non est tantum placare negative, quasi auferendo indignationis obicem, sed est inclinare offensum ad positivum favorem. — Hinc tertio, propitiatio includit impetrationem et addit placationem offensi ; quo fit ut secluso peccato non esset locus propitiationi, sed simplici impetra-

Praemoneamus denique quaestionem de effectibus sacrificii altaris, etsi intime connexa est cum hac disputatione de fine sacrificii, praetermitti in hac dissertatione, quae unam essentiam altissimi sacrificii altaris investigare intendit.

Inspiciemus ergo nunc singulos fines in Missa intentos, ut indoles propria hujus sacrificii ejusque praestantia patenter appareant (1). Jamvero, finis sacrificii, uti in prima parte latius adstruimus, ab ipsa intentione offerentis dependet, itaque praecellentia sacrificii novae legis statim non affulgere non potest, quum offerens hoc sacrificium sit ipse Christus, Deus-homo, qui adhuc ejusdem sacrificii res oblata existit.

In sectione sequenti requiremus quanam ratione Christus hoc sacrificium offerat et quanam relatione sacerdotes-ministri cum Christo simul eamdem oblationem perficiant, sed indubium est et hucusque satis demonstratum, ipsum Christum offerre hoc sacrificium, et quidem hoc idem, quod quondam in cruce obtulit, uti in capite secundo enucleatius explicabitur.

* * *

Primus autem finis cujusvis sacrificii est, ut Deus tanquam supremus rerum omnium dominus agnoscatur; et quam perfecte sacrificium Eucharisticum hanc significationem fundamentalem prae se ferat in propatulo est. Sacerdos hujus sacrificii est « ipse Christus, Verbum Dei seu Filius unigenitus Patris homo factus, qui cum una persona sit, nempe secunda persona adorandae Trinitatis, habens duas naturas, divinam et humanam, natura mediator est

tioni; supposito autem peccato, impetratio debet esse placativa, et ideo induit rationem propitiationis ». — Jamvero, uti ipse em. theologus statim supra advertit, « quoad rem nulla esse potest discordia »; claritatis igitur gratia quadruplicem finem distinguimus et jure quidem, quia, licet propitiatio simul includat impetrationem, respectu tamen formali ab impetratione differt, quod non negabit em. auctor, et obvium ceteroquin est, quoniam propitiatio hypothesim peccati respicit, quam suppositionem impetratio simpliciter ignorat. Quod doctrinam ss. Trid. Synodi attinet, haec profecto vocem « impetrationem » non habet, sed rem satis demonstrat, quando de « aliis necessitatibus » loquitur, pro quibus idem sacrificium altaris offertur. — Cf. Card. de Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. IX, n. 140, praesertim initio n. 141. — Ex ipso modo praeterea quo ss. Synodus de fine propitiatorio hujus oblationis disserit, uti infra in textu enucleate exponimus, sat apparet Concilium Tridentinum propitiationem et impetrationem discriminare.

(1) Hanc disquisitionem instituemus, duce ill. ac rev. Waffelaert, *art. cit.*, apud *Coll. Brugen.*, XIII, p. 8 s., 1908; cf. adhuc Suarezium, *o. c.*, disp. 76, sect. II, n. 1 s. et ill. Lambrecht, *o. c.*, p. 241 s.

Deum inter et homines, et in ipsa Incarnatione sacerdotali charactere insignitus est ac inunctus Pontifex supremus » (1) ; ipse porro Dominus, qui « sempiternum habet sacerdotium,... semper vivens ad interpellandum pro nobis » (2), qui « ex hominibus assumptus,... constituitur in iis, quae sunt ad Deum » (3), seipsum in hac oblatione offert, non immolatione cruenta, uti olim in cruce vitam suam humanam destruxit, sed immolatione mystica ac tamen vera, essentialiter insuper commemorativa et repraesentativa passionis et mortis ; hanc suam immolationem ad glorificandum nomen Domini refert, uti expresse statuitur in vaticinio Malachiae prophetae, qui a saeculis hoc praecellens sacrificium novae legis praesignificavit.

Ex his merito concludimus, « quod primam significationem sacrificii seu primum finem attinet, agnoscendi nempe supremum Dei dominium, eam significationem quam perfectissime reperiri... in sacrificio Missae » (4), et quia « reliquae tres significationes seu fines sacrificii, cum primo jam exposito intime connectuntur et implicite in eo quasi continentur » (5), haud arduo negotio rem absolvere licet.

* * *

Attamen, primo intuitu, difficile intellectu videtur quomodo indolem propitiatoriam in sacrificio Eucharistico vindicare possimus, quoniam in sacrificio crucis completa fuit redemptio atque peccati expiatio ; porro in hac oblatione cruenta, (cum inter diversos fines sacrificii, nunc unus, nunc alius prae ceteris intendi et excellere possit), revera inter omnes significationes eminuit significatio confitendi reatum humani generis illumque expiandi, itaque Christus « una oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos » (6). Haec nihilo minus nequaquam prohibent quominus, cum Traditione et Ecclesia, sacrificium Eucharisticum profiteamur propitiatorium, quia « aliud est docere sacrificio Missae novum exhiberi meritum novamque pro peccato satisfactionem,... aliud vero sacrificium Missae,... qua tale propitiatorium esse, quatenus merita illius (sacrificii cruenti) applicat » (7). Hanc explicationem aperte innuit ss. Tridentina Synodus, quando quotidie offerendum docuit sacrificium incruentum, « quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesen-

(1) Ill. ac rev. Waffelaert, *art. cit.*, apud *Coll. Brugen.*, XIII, p. 8 s.
(2) *Hebr.*, VII, 24-25.
(3) *Hebr.*, V, 1.
(4) Ill. ac rev. Waffelaert, *art. cit.*, p. 14.
(5) *Ibidem*, p. 15 ; cf. etiam *Coll. Brugen.*, XII, p. 736, n. 3.
(6) *Hebr.*, X, 14.
(7) Ill. ac rev. Waffelaert, *a. c.*, p. 17.

taretur,... atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur » (1).

Nihil igitur impedit quin etiam sacrificium Eucharisticum in finem propitiatorium offeratur, non ut novum meritum acquiratur et redemptio denuo instauretur, quod asseverare erroneum atque impium est, sed ut meritum redemptionis, « in hoc sacrificio incruento, sacrificii crucis commemorativo, mediante nova immolatione incruenta » (2) fidelibus applicari possit.

Advertendum tamen est, quod haud obscure pariter insinuat ss. Tridentinum Concilium, per sacrificium Missae non immediate sed mediate tantum dimitti peccatum (3), quatenus Deus « hac oblatione placatus, gratiam et dona poenitentiae » concedit iis videlicet, qui « contriti ac poenitentes » (4) ad ipsum accedunt. Hac animadversione, quae potius ad quaestionem de effectibus Missae facit, difficultatem praevertere intendimus, quam movent contra indolem impetratoriam Missae, uti supra adnotavimus : videtur enim ratio propitiationis in sacrificio altaris non differre ab impetratione gratiae, sed si ipsam doctrinam Concilii attentius consideramus, ss. Synodum revera finem propitiatorium et impetratorium sollicite discernere statim videbimus. Hoc sacrificium, in quantum propitiatorium, eo tendit ut iram divinam sopiat ; in quantum impetratorium vero, bonitatem et misericordiam Dei movet ut beneficia quaevis nobis largiatur, et in omnibus aliis nostris necessitatibus benignus auxilium suum conferat (5).

Satis ergo explicatur quomodo finem impetratorium in Missa reperiamus : Christus non tantum in coelis sed adhuc in terris, in oblatione Eucharistiae, pro nobis interpellat et bona nobis impetrat « spiritualia praeprimis, sed et temporalia, quatenus ad salutem nostram et ad gloriam Dei ordinantur » (6).

* * *

In sacrificio Eucharistico prae ceteris significationibus eminet finis eucharisticus, et hoc ipsum nomen hujus oblationis novae

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 1 (*Enchiridion*, n. 938).

(2) Ill. ac rev. Waffelaert, *art. cit.*, apud *Coll. Brugen.*, XIII, p. 17.

(3) Cf. Suarezium, *o. c.*, disp. 79, sect. III, n. 6; Vasquezium, *o. c.*, disp. 228, cap. II et III ; Lugonem *o. c.*, disp. XIX, sect. IX, n. 137 ; Lambrecht, *o. c.*, p. 247 s.

(4) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 2 (*Enchiridion*, n. 940).

(5) Cf. ill. Lambrecht, *o. c.*, p. 253 s.

(6) Ill. ac rev. Waffelaert, *art. cit.*, p. 19.

legis egregie inculcat. « Cum enim in sacrificio cruento crucis, praeter finem latreuticum, qui quasi fundamentalis est in omni sacrificio, praevaleret finis satisfactorius seu propitiatorius, prae fine eucharistico et impetratorio, contra, in sacrificio incruento novae legis praevalet finis impetratorius et potissimum eucharisticus » (1); offertur enim hoc sacrificium praeprimis in recordationem maximi beneficii in redemptione accepti, quod est quasi centrum omnium bonorum, quae ad genus humanum per Christum mediatorem dimanarunt.

Haec indoles eucharistica sacrificii nostri ex ipsa natura ipsius confirmatur. Comprobavimus enim communionem ut partem integrantem ad hanc oblationem pertinere; atqui, haec fuit lex sub VT. ut holocaustum et hostia pro peccato non manducarentur, sed ut comederentur hostiae pacificae. Simili ratione manducatio hostiae immolatae in hoc sacrificio Eucharistico « offerentem arguit pace et amicitia cum Deo conjunctum, utpote cujus beneficia exspectat vel accepta gratiarum actione rependit » (2).

Constat igitur quemadmodum *quattuor significationes omni sacrificio essentiales in hac oblatione incruenta perfectissime exprimantur*; inter omnes autem hos fines *excellit finis eucharisticus*, adeoque jure merito, tum ex ipso descripto ritu institutionis, quum ex hac significatione praecellenti, sacrificium Eucharisticum κατ' ἐξοχήν nuncupatur. De sacrificio Eucharistico, qua commemorativo, infra agemus.

Sectio IV.

De offerente sacrificium Eucharisticum.

In sectione quarta tractabimus de offerente hoc sacrificium Eucharisticum, et secundum ipsam traditionem patristicam, quam nitide repetiit ss. Tridentina Synodus, profitemur ipsum Christum hoc sacrificium offerre, « cum idem nunc sit offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum in cruce obtulit » (3).

Thesis duplici parte constat: ipse Christus offert hoc sacrificium, sed sacerdotes legitime ordinati ministerialiter ad idem concurrunt; de utraque autem quaestione disputatur inter doctores:

(1) Ill. ac rev. Waffelaert, *art. cit.*, p. 19.

(2) *Ibidem*, p. 20.

(3) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 2 (*Enchiridion*, n. 940); cf. etiam *Conc. Later. IV, De fide catholica*, cap. 1 (*Enchiridion*, n. 430); in *Conc. Flor.*, *Decr. pro Armenis* (*Enchiridion*, n. 698) legitur: « sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum ».

prima scilicet viget controversia de ipsa ratione, qua Christus sit offerens in singulis Missae oblationibus ; disceptatio secunda est de titulo, quo sacerdotes cum Christo hoc sacrificium Eucharisticum perficiant.

Art. 1. — Determinatur ratio qua ipse Christus sacrificium Eucharisticum offert.

Vasquezius (1), J. D. Scotum (2) secutus, quoad primam quaestionem, contendit Christum solummodo mediate et remote in Missis quotidianis offerre, itaque adversatur plerisque theologis, uti Bellarmino (3), Suarezio (4) et Card. de Lugo (5), qui Christum immediate et proxime hoc sacrificium offerre admittunt.

Sententiam suam his verbis pandit Vasquezius : « Ergo, quod attinet ad modum quo Christus hoc sacrificium offert, mihi maxime probatur sententia eorum, qui dicunt, solos sacerdotes Ecclesiae proxime, et actu hoc sacrificium offerre, ita ut illius immolatio ipsis solum tanquam ministris tribui possit, Christum autem tantum offerre remote, et ratione solius institutionis, qua praecepit, ut hoc sacrificium in memoriam ipsius, et in persona ejus immolaretur » (6). Rationem autem cur hanc opinionem teneat, hoc modo enuntiat : « primum a posteriori, nam si Christus actu et proxime illud offerret, pro oblatione etiam facienda, et facta in Missa Patrem orare posset, tum ut dignaretur munera illa in suum honorem sanctificare, tum etiam ut sanctificata dignaretur accipere » (7).

At vero hanc rationem prorsus labilem esse reputamus : primo, non percipimus quid impediret quin Christus in coelis orare posset, et contra Vasquezium, Christum in coelis orare, ex manifesta doctrina Scripturae sacrae (8), omnino affirmandum autumamus (9) ; deinde, talis consideratio de oratione Christi revera praeter rem affertur, quoniam disputatio coarctatur ad consecrationem, quae sola in persona Christi pronuntiatur ; nullatenus autem agitur de

(1) Vasquezius, *o. c.*, disp. 225, cap. III s.
(2) Scotus, *Quodlib.* XX, 22 (ed. lugd., XII, p. 529).
(3) Bellarminus, *De Missa,* II, cap. 4.
(4) Suarezius, *o. c.*, disp. 77, sect. I, n. 2 s.
(5) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. VII, n. 91 s.
(6) Vasquezius, *l. c.*, cap. III, n. 12.
(7) *Ibidem*, n. 14.
(8) *Rom.*, VIII, 34 ; *Hebr.*, VII, 25 ; *I Jo.*, II, 1.
(9) Cf. Card. de Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. IX, n. 130 ; Dignant, *Tractatus de virtute religionis,* p. 19, Brugis, 1901² ; Stentrup, *o. c.*, II, p. 629 s., qui argumentum ex auctoritate Traditionis confirmat ; cf. adhuc p. 626 s.

quacumque oratione a sacerdote, nomine Ecclesiae in Missa prolata, ut Deus sacrificium offerendum aut oblatum acceptum habeat.

Ad alteram ergo rationem pariter a posteriori dictam properamus : « Deinde praedicta sententia probatur, quia si nunc Christus actu, et proxime, sicut sacerdotes alii, offerret pro nobis, procul dubio adhuc pro nobis apud Patrem mereretur ;... status (enim) gloriae... solum obstare posset, quominus quis pro se ipso mereatur, non autem pro aliis... Cum igitur actio Christi, qua se ipsum offerret, esset digna, digneque impetraret a Deo hujusmodi effectum ex divina promissione, ac proinde ex gratitudine illi tribueretur, quod impetraret, quid obstaret, quominus illum effectum, ut praemium, condigne nobis mereretur ? » (1) — Respondetur : sententia communis, cum s. Thoma, quodvis meritum de condigno in coelis excludit, et motivum praecipuum est quia ad meritum acquirendum postulatur status viatoris (2) ; potest adeo Christus offerre, quin mereatur, et hac animadversione argumentum Vasquezii praecludimus.

* * *

Cl. theologus molitur nihilominus a priori adhuc eamdem suam thesim stabilire, et hoc modo argumentatur : « Si Christus actu, et proxime hoc sacrificium offerret, non tantum haberet affectum, et voluntatem erga Deum qua offerret seipsum, sed etiam ab hac voluntate actio exterior sacrificii et immolationis, quae fit in Missa procederet, et ab ea voluntate secundum genus moris penderet, veluti actio exterior virtutis in quavis alia materia ab affectu bono procedit, et pendet... Atqui actio immolationis exterior, quae fit in Missa, non pendet hoc modo ab affectu interiori ipsius Christi, sed tantum ab affectu, qui est in sacerdote,... (nam) actio illa exterior consecrandi solum elicitur a sacerdote, qui nomine Christi offert et consecrat eo quod ab eo solum proferantur verba, quae sunt pro instrumento hujus actionis instituta, ac proinde in hoc sacrificio, quod attinet ad id, de quo nunc loquimur, eodem modo se habet Christus ad actionem exteriorem immolandi, sicut se habet is, qui tribueret victimam sacerdoti, et illi praeciperet, aut rogaret, ut eam in sacrificium offerret » (3).

Verum, in hoc argumento, Vasquezius suam sententiam a priori supponit potius quam illam demonstrat, et comparatio cum

(1) Vasquezius, *o. c.*, disp. 225, cap. III, n. 16.
(2) Cf. Van der Meersch, *Tractatus de divina gratia*, p. 354 s., Brugis, 1910.
(3) Vasquezius, *l. c.*, n. 19 s.

sacrificiis VT., quam ipse mox corrigendam sentit, hanc opinionem magis infirmat quam corroborat.

Et enim primo, verba consecrationis physice quidem proferuntur a sacerdote terreno, sed pronuntiantur in persona et virtute Domini, quod ipsa formula consecratoria constat : « Hoc est corpus meum... Hic est calix sanguinis mei », et ita explicatur, uti infra ex professo conficiemus, quomodo tota consecratio intima ratione simul a Christo et sacerdote dependeat. Quod voluntatem sese offerendi spectat, quid impedit quominus Christus talem actum eliciat ? Vasquezius hanc causam indicat : « Sicut non convenit ei (nempe Domino) affectus orationis, ut supra diximus, ita etiam neque affectus offerendi pro nobis aliquid » (1) ; sed hanc considerationem esse prorsus inanem jam animadvertimus.

Secundo, ex comparatione nihil arguendum, et reapse eamdem enucleatius expositam ita legimus : « Qui victimam tradit sacerdoti, ut eam offerat,... nullam tribuit virtutem sacrificio, sed tota virtus, et efficacitas illius ex proxime offerente pendet... At vero Christus non solum jussit, et instituit, ut hoc sacrificium offerretur, sed etiam tanquam summus sacerdos ex meritis suorum operum, et sacrificii, quod in cruce obtulit, tribuit illi virtutem, et ita licet remote offerat, nihilominus tanquam sacerdos, et ut praecipuus, seu principalis offerens dicitur illud offerre » (2).

Christum igitur, ad mentem Vasquezii, offerre dicamus necesse est, quia sacrificium Eucharisticum instituit ; sed priusquam hanc rationem convellamus, advertimus Vasquezium non confutari per aliam comparationem cum sacrificiis VT. etiam a Deo institutis, quam quis, cum verbis Suarezii (3), hoc modo adstruere vellet : « Ratio seu habitudo offerentis, valde diversa est a ratione instituentis ; et haec est omnino ab illa separabilis ; nam Deus instituit vetera sacrificia, et non propterea erat principalis offerens in illis ». Et enim Vasquezius non ita ratiocinatur, sed subtilius arguit et difficultatem clare perspexit : « nam, ait, quaecumque institutio non sufficit, sed ea, quae fit ab aliquo sacerdote, ut nomine ipsius ceteri inferiores sacerdotes Deo tanquam superiori offerant : sic enim eo ipso ille per ministros, atque adeo remote offerre dicitur... At vero institutio a Deo facta ideo non sufficit ut Deus, qui instituit, offerre dicatur, quia cum Deus sit superior, neque ipse instituat sacrificium, aut instituere possit, ut per se, aut per suos ministros alium colat, sed tantum ut sibimet exhibeatur cultus,

(1) VASQUEZIUS, *o. c.*, disp. 225, cap. III, n. 20.
(2) *Ibidem*, n. 22.
(3) SUAREZIUS, *o. c.*, disp. 77, sect. I, n. 4.

dici non potest ratione institutionis sacrificium offerre, quia nemo sibi ipsi offerre dicitur, sed alteri tanquam superiori » (1).

Cum hac animadversione de facto ad nodum difficultatis pervenimus : admittit igitur Vasquezius Christum offerre sacrificium Eucharisticum, et vel imo illum principalem offerentem esse pronuntiat, sed nihilominus Christum solummodo remote ac mediate offerre declarat, nempe per ministros. Dicimus autem : Christus revera offert per ministros, quod ex Traditione et authentica explicatione Ecclesiae indubium est, sed nihilominus immediate et proxime ad singulas Missarum oblationes concurrit ; praeterea non sufficit ipsum, non qua Deum, sed qua sacerdotem, instituisse hoc sacrificium ad merita ipsius redemptionis applicanda, ut sensu proprio verbi dici possit offerre sacrificium, quod cum Ecclesia confiteamur oportet.

* * *

Propositio nostra duplex complectitur membrum : in primo membro positive enuntiatur thesis, in altero membro negatur explicationem a Vasquezio subministratam satisfacere formulae traditionali consecratae, cui annuere omnino debemus. In hac autem propositione determinanda, ex intento non addidimus Christum esse principalem offerentem in hoc sacrificio altaris, et quidem ex duplici motivo : primum est, quia haec assertio potius ad alteram quaestionem in hac sectione dirimendam spectat ; secundum, quia Vasquezius affirmat, Christum etiam in explicatione ab ipso prolata, esse praecipuum offerentem. Atqui, ex demonstrata nostra sententia patebit, quoniam Christus immediate et proxime ad sacrificium concurrit, distinguendum esse inter causam principalem et secundariam ejusdem oblationis, et ita responsio ad alterum quaesitum ex solutione prioris quaestionis defluet ; exinde simul constabit Vasquezium immerito asseverare Christum esse principalem offerentem, si explicationem ipsius admittamus.

Ad hanc propositionem demonstrandam, unam invocamus considerationem, quae tum positive conficit Christum immediate et proxime offerre hoc sacrificium altaris, quum negative excludit explicationem, quae a Vasquezio excogitata fuit. Haec consideratio in eo est quod, si sensum obvium testimonii Patrum et Ecclesiae tenere velimus, Christum immediate et proxime offerre profiteri debeamus.

Et enim primo, haec est doctrina Patrum, in epistola ad Hebraeos fundata, Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech;

(1) Vasquezius, *o. c.*, disp. 225, cap. IV, n. 25.

hoc sacerdotium suum exercet Christus, juxta eosdem fidei nostrae testes, in oblatione sacrificii Eucharistici, in qua, ait s. Ambrosius (1), « ipse (Christus) offerre manifestatur in nobis » ; ex theologia graeca solum doctorem ss. Eucharistiae, s. J. Chrysostomum (2), advocare sufficit, quandoquidem expressis verbis pronuntiat : « Is qui tunc in illa coena haec confecit, et nunc etiam operatur ». Idem testatur ss. Tridentinum Concilium, uti initio hujus sectionis adnotavimus. Atqui haec testimonia, cujus generis quam plurima existunt, plenum suum sensum et obviam suam significationem non conservant, nisi ipsum Christum immediate et proxime sacrificium Eucharisticum offerre dicamus.

Secundo, eadem consideratio explicationem allatam a Vasquezio evertit, et revera, ad mentem cl. theologi, Christus offerre dicitur, quia, qua sacerdos, sacrificium altaris instituit, ut hoc idem sacrificium nomine suo ad applicanda merita redemptionis offerretur. Sed sacramenta etiam a Christo sunt instituta et pariter ad meritum passionis applicandum ; num ideo Christum ipsum conficere et conferre omnia sacramenta affirmare licet? Deinde, applicatio meriti magis ad efficaciam, quam ad essentiam oblationis facit, itaque insufficientiam suae argumentationis ex hac parte ipse Vasquezius agnovit : « Quare non asserimus, ait, ex eo solo Christum dici offerentem, quod suis meritis sacrificio virtutem tribuat, sed quia etiam per suos ministros et in sui memoriam offerendum reliquit » (3). Dicimus autem : ex eo quod Christus-sacerdos instituit ut sacrificium Eucharisticum per ministros suos, et in sui memoriam offerretur, nefas adhuc est asserere ipsum offerre sacrificium, quod Traditio et doctrina Ecclesiae nihilominus manifeste postulat.

* * *

Ut hanc affirmationem argumento muniamus, ad eamdem comparationem provocamus, quam ipse cl. auctor superius attulit. Et revera, etiam si sacerdos quidam, et non solum laicus, sub VT., alii sacerdoti agnum adduxisset immolandum, et non modo praesentasset victimam, sed insuper postulasset ut mactatio hostiae suo nomine fieret, nihilominus non ipsum, sed alium illum sacerdotem, sacrificium obtulisse pronuntiari deberet. Eadem ratione,

(1) Cf. s. Ambr., *In Ps. XXXVIII en arr.*, XXV (PL., XIV, 1102).
(2) S. J. Chrysostomus, *In Matth. hom.* LXXXII, 5 (al. LXXXIII) (PG., LVIII, 744).
(3) Vasquezius, *o. c.*, disp. 225, cap. IV, n. 27.

non Christum sed sacerdotem solum, in explicatione Vasquezii, sensu proprio verbi, offerre sacrificium declaramus, et si Vasquezius hoc solo titulo institutionis Christum offerre dicere velit, improprio sensu verbum « offerre » usurpabit.

Ad hanc assertionem opponere non licet doctrinam in I parte traditam : ibidem annuimus sacrificium offerre esse munus sacerdotale, ita ut ipsa mactatio victimae ad sacerdotem referenda veniat, quamvis peracta fuerit manu laici, non cujuscumque, sed ejus qui materiam sui sacrificii praebuit, et immolationem suae hostiae nomine sacerdotis perfecit. Sed alia et alia est relatio inter sacerdotem et sacerdotem in priore casu, et inter laicum et sacerdotem in altera hypothesi.

Ubi laicus victimam suam, nomine et auctoritate sacerdotis, immolat, haec immolatio sacerdoti venit attribuenda, quia sacrificium offerre ad ipsum sacerdotem pertinet; nullatenus autem fas est asserere laicum offerre sacrificium, prout postulat theoria Vasquezii, sensu scilicet proprio verbi, quo sensu oblatio sacrificii ad ejusdem essentiam spectat ; laicus eo sensu offert, quod sacrificium pro ipso offertur, ad expianda puta peccata ipsius, sed non eo sensu quod ipse offert, quemadmodum sacrificium offerre sacerdoti competit.

Attamen hypothesim a Vasquezio adstructam adhuc urgere volumus, ut magis correspondeat opinioni quam cl. theologus per hanc comparationem commendare conatur. Christus enim sacerdos, ait, instituit atque mandavit ut ministri sui sacerdotes hoc sacrificium nomine suo offerrent. Respondetur : etiam in hoc casu sententia Vasquezii ex collatione cum oblatione sacrificii sub VT. nullo pacto confirmatur ; et enim, ob eamdem semper causam, quia nimirum offerre sacrificium proprie ad sacerdotem spectat, dicemus in hac etiam hypothesi hunc alium sacerdotem proprie offerre, et priorem sacerdotem, qui rogat ut nomine suo et ex auctoritate sua sacrificium offeratur, proprie hoc sacrificium offerre negabimus ; tali delegatione enim alter sacerdos omnino non indiget.

Omissa hac comparatione, quae suam theoriam minime commendat, instare posset Vasquezius hoc modo : sacerdotes NT. non offerunt nisi ut ministri Christi, sacerdotis superioris et instituentis, itaque Christum revera offerre per ministros affirmandum venit. Replicabimus autem statim : instituere sacrificium non pertinet ad sacerdotem, ut sacerdos est, sed ad eum spectat, ut est legislator, adeoque si sola ratione institutionis pronuntiamus Christum offerre sacrificium Eucharisticum, ipsum Christum-sacerdotem offerre per ministros asseverare adhuc nefas erit. Si Vasquezius autem profiteatur sacrificium offerri in persona Christi, quam

formulam reipsa accipit (1), notabimus hanc expressionem, pluries apud divum Thomam legendam, et a Concilio Florentino in decreto pro Armenis receptam (2), optime explicari in sententia nostra, quae Christum actu offerre propugnat, sed eamdem minus omnino intelligi in theoria quae a Vasquezio elaborata fuit.

*
* *

Haec de opinione cl. hujus theologi sufficiant. Attamen propositionem nostram adhuc corroborare possumus : nunquam enim praedicare licebit oblationem Eucharisticam esse mundam atque purissimam, imo tam sanctissimam « ut nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari » (3) possit, nisi mundum etiam et purissimum sacerdotem hujus sacrificii ostendamus. Haec enim inter sacramentum et sacrificium, quoad causam efficientem, praecipua intercedit differentia, quod « ad sacramenti dignitatem per se necessarium non est, ut ministerium ejus, quod consistit in applicatione ad usum, sit omnino impollutum ex parte ministri aut personae exercentis illud ministerium, sed satis est, ut secundum eum ritum applicetur, quo institutum est » (4) ; sacrificium autem ad suam excellentiam postulat ut sit omnino purum atque gratum Deo, itaque Christum per se immaculatum et innocentem, immediate et actu hoc sacrificium offerre admittere necesse est.

Vasquezius haec certo negabit (5), sed quonam jure hoc faciat, nos revera latet. Manifestum est enim discrimen ex hac parte inter sacramentum et sacrificium, « quia sacrificium consistit in actione, cujus dignitas ex operante maxime pendet ; sacramenti autem usus magis consistit in receptione ; per se enim ordinatur ad aliquid significandum, et faciendum in suscipiente, propter cujus utilitatem proxime instituitur » (6).

*
* *

Praecipua difficultas, contra propositionem modo statutam, desumitur ex epistola ad Hebraeos, quae Christum semel obtulisse docet, quoniam necessitatem non habet quotidie, quemadmodum sacerdotes VT., hostias offerre ; huic difficultati satisfaciemus in capite sequenti, ubi de relatione sacrificii altaris ad sacrificium crucis tractabimus.

(1) Vasquezius, *o. c.*, disp. 225, cap. III, n. 12.
(2) *Conc. Flor.*, *Decretum pro Armenis* (*Enchiridion*, n. 698).
(3) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doct. de sacrificio Missae*, cap. I (*Enchiridion*, n. 939).
(4) Suarezius, *o. c.*, disp. 77, sect. I, n. 3.
(5) Vasquezius, *l. c.*, nn. 22 et 26.
(6) Suarezius, *l. c.*

Quod objectionem spectat, quam Vasquezius depromit ex oblatione possibili sacrificii Eucharistici in triduo mortis Christi (1), in his nullam difficultatem percipimus. Christus enim sacerdos in aeternum existit per naturam humanam assumptam, sed hanc naturam humanam per mortem non amisit. Revera, uti dilucide exponit s. Thomas (2), Christus in triduo mortis nequit dici simpliciter et absolute homo ; praedicari debet homo-mortuus ; sed in oblatione Eucharistiae, uti in solutione alterius controversiae dicemus, existit quaedam causa efficiens principalis, scilicet Christus, et causa efficiens secundaria, sacerdos nimirum, qui ministerialiter in persona Christi offert. Verba, quae ipse Christus quondam in coena vivus protulit, nunc proferuntur a sacerdote in persona Christi et sub motione Christi principalis offerentis ; anima autem Christi, quae divinitati etiam post obitum erat conjuncta (3), habebat « instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas » (4). Quoad relationem intentionalem, quae ad sacrificium ut forma metaphysica postulatur, haec a voluntate Christi dependet, et animam Christi, divinitati unitam, hunc actum, etiam in triduo mortis, elicere potuisse quis negabit ?

Art. 2. — Requieritur quanam ratione sacerdotes in oblatione Eucharistiae offerant.

Dirempta priore controversia, obvia est responsio ad alterum quaesitum, quod initio hujus sectionis enuntiavimus, scilicet quonam pacto tum Dominus, quum sacerdotes in eodem offerendo sacrificio concurrant.

Juxta s. Thomam sacerdos « in consecratione loquitur in persona Christi, cujus vices in hoc gerit per ordinis potestatem » (5) ; neque tantum in persona Domini, sed in « ejus virtute verba pronuntiat ad consecrandum » (6) ; haec verba itaque proferuntur « quasi ex persona ipsius Christi loquentis », et sacerdos « nihil agit nisi quod profert verba Christi » (7).

Ad munus autem sacerdotale in offerendo sacrificio duo pertinent, ut nempe immolatio victimae nutu ejus voluntatis seu dependenter ab ejus voluntate fiat, et ut hanc immolationem

(1) Vasquezius, *o. c.*, disp. 225, cap. III, n. 21.
(2) *Sum. Theol.*, III, q. 50, a. 4 c.
(3) *Ibidem*, a. 3, c.
(4) *Ibidem*, q. 13, a. 2, c.
(5) *Ibidem*, q. 82, a. 7, ad 3m ; cf. a. 5, c.
(6) *Ibidem*, q. 83, a. 1, ad 3m.
(7) *Ibidem*, q. 78, a. 1, c. et ad 4m.

victimae immediate Deo offerat (1), ut scilicet actionem, quae est in destruenda hostia, in honorem divinum exhibeat.

Christus-sacerdos in consecratione, primo, tanquam causa instrumentalis relate ad Deum, causam principalem, panem et vinum in corpus et sanguinem suum convertit, et seipsum in statum victimae aequivalenter immolatae per eamdem consecrationem inducit ; secundo, tanquam causa propria, hanc immolationem incruentam actu libero suae voluntatis in cultum divinum refert (2). Sacerdos autem minister ipsa verba consecrativa profert ; tota actio, quatenus externa et materialis, ab ipso dependet, sed ipse sacerdos non sua verba, neque ea suo nomine, sed verba Christi, nomine ipsius Christi, pronuntiat, itaque conjungitur cum Christo in ipsa actione sacrificali peragenda tanquam instrumentum secundarium cum instrumento principali, quoad ipsam conversionem, et tanquam offerens secundarius cum offerente principali, quoad ordinationem hujus actionis in honorem divinum, quando voluntate colendi Deum sese cum Christo rursum unit, et in tota hac actione sacra id efficiendum acceptat, quod Christus faciendum praecepit.

Ita satis intelligitur, quod Vasquezium fugisse videtur, quemadmodum tota consecratio simul a Christo et a sacerdote dependeat : sacerdos externe et materialiter profert verba, sed eadem verba non sunt operativa, consecrativa simul ac oblativa, nisi pronuntientur in persona et virtute Christi principaliter offerentis, quocum minister intentione et voluntate sese conjungat necessarium est.

* * *

Sicut autem sacerdos personam gerit Domini, ita et personam Ecclesiae sustinet, sed alio et alio modo : actio sacrificalis immediate procedit a Christo principaliter offerente et a sacerdote-ministro vices gerente ipsius Christi in actu offerendi ; omnes tamen fideles mediate offerre dicuntur, quatenus legitime repraesentantur, tum per sacerdotem principalem, qui est caput Ecclesiae, tum per sacerdotem ministerialem, qui nomine totius Ecclesiae militantis hoc sacrificium perficit (3). Vario titulo fideles ad hoc sacrificium conferre possunt (4), sed hanc quaestionem quominus intimius definiamus intentum hujus dissertationis nos prohibet.

(1) Ill. ac rev. Waffelaert, *l. c.*, apud *Coll. Brugen.*, XIII, p. 12, 1908.

(2) Cf. Suarezium, *o. c.*, disp. 77, sect. I, n. 6 ; Lugonem, *o. c.*, disp. XIX, sect. VII, n. 92 ; Stentrup, *o. c.*, II, p. 389 s.

(3) Cf. Suarezium, *o. c.*, disp. 77, sect. III, n. 3 ; Vasquezium, *o. c.*, disp. 226, cap. II, n. 10 s. ; Lugonem, *o. c.*, disp. XIX, sect. XI, n. 230 s. ; ill. Lambrecht, *o. c.*, p. 225 s.

(4) Lege auctores in nota praecedente laudatos.

Ex dictis alioquin jam satis patescit quanam ratione explicanda veniant quaedam ss. Patrum asserta (1), aut ipsae orationes, quas profert sacerdos « in persona Ecclesiae in cujus unitate consistit » (2). Primo itaque a fidelibus preces postulat, « ut meum, ait, ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum », et deinde, nomine omnium, orat : « Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, et omnium circumstantium... pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis ». — « Hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias ». — « Unde et memores, Domine, nos servi tui sed et plebs tua sancta... offerimus praeclarae majestati tuae... hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam ».

Soli tamen sacerdotes, « rite ordinati » (3), immediate et proxime, qua offerentes proprie dicti, hoc sacrificium cum Christo perficiunt. Christus actu ad singulam oblationem concurrit, quoniam actu suae voluntatis in Deum ordinat actionem sacrificam, quam, ut instrumentum praecipuum et conjunctum, cum sacerdote-ministro, causa instrumentali secundaria et separata, peragit in consecratione, quae sub motione Dei, causae principalis, perficitur.

*
* *

Paucis itaque verbis disputata in hoc capite I resumere juvat : sacrificium Eucharisticum *perficitur in consecratione, quae Christum inducit in statum victimae aequivalenter immolatae ; ejus quippe corpus manducari et sanguis ejus potari potest.* Alia systemata examinata hanc immolationem incruentam, in mysterio seu in sacramento perficiendam, minus explicant, quare ad solutionem propositam omnino deveniendum esse autumamus.

In hac oblatione *offertur ipse Christus sub specie visibili immolatus*, itaque sacrificium visibile per terminum ad quem nanciscimur.

Offertur sacrificium Eucharisticum *ad quadruplicem finem*, sed inter alios omnes, *eminet finis eucharisticus*, uti ipsum nomen hujus oblationis sonat. *Christus actu* et *immediate hoc sacrificium quotidie perficit*, *ministerio tamen sacerdotum*, et hac ratione sacrificium integrum tum a Christo, quum a ministro dependet.

(1) Ita v. g. s. AUGUSTINUS, *De Civit. Dei*, X, 20 (PL., XLI, 298).
(2) *Sum. Theol.*, III, q. 82, a. 7, ad 3m ; cf. etiam a. 6, c.
(3) *Conc. Trid.*, sess. XXIII, *De eccl. hierarchia et ordinatione*, cap. 4 (*Enchiridion*, 960).

CAPUT II.

QUAENAM SIT RELATIO SACRIFICII EUCHARISTICI AD SACRIFICIUM CRUCIS.

In hoc altero capite tertiae partis requiremus quaenam sit relatio sacrificii Eucharistici ad sacrificium crucis. Ex sacra Scriptura porro constat sacrificium Missae esse essentialiter relativum ad sacrificium cruentum : hoc ipsum facientes, quod Dominus in coena fecerat, discipuli recolent memoriam Christi, scilicet mortem ejus, uti Apostolus pressius determinavit. In iisdem sacris Litteris adhuc docemur unum esse sacrificium sub nova lege, quod s. Jo. Chrysostomus ulterius explicavit : unum est sacrificium in nova oeconomia, quoniam idem semper offerimus. Manet igitur ut has duas propositiones, quas integra Traditio repetiit, et Ecclesia, authentica sua declaratione, sancivit, primam : sacrificium Eucharisticum est intrinsece commemorativum et ad vivum repraesentativum sacrificii crucis (1); alteram : unum est illud

(1) Cf. *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 1 (*Ench.*, n. 938) : « Deus et Dominus noster.... ut relinqueret sacrificium, quo cruentum illud in cruce peragendum repraesentaretur ». — Non assentimus ergo ILL. BATIFFOL, *Leçons sur la Messe*, p. 176 s., Paris, 1919², qui nimis insistit in hoc, quod apostoli idem facere debuerunt, quod Christus in coena fecerat, et non satis attendit, quod hoc idem *facientes*, per ipsam eamdem oblationem sacrificii, commemorabunt et repraesentabunt passionem cruentam. Non accipimus etiam interpretationem testimonii s. Cypriani, quam ibidem instituit. — Ubi scribit s. CYPRIANUS, *Epist.* LXIII, 17 (PL., IV, 398) : « passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus », manifeste audit passionem cruentam, etiam si alludat ibidem ad verba institutionis ; non facimus enim mentionem institutionis, aut narrationis institutionis Eucharistiae, sed ipsius passionis ; et « mentionem facimus » non tantum dum alludimus ad narrationem institutionis, sed adhuc et praecipue, dum *in ipso ritu sacro facimus*, quod Dominus prior fecerat, offerentes scil. sacrificium *quod* commemorat et repraesentat sacrificium cruentum, uti statim explicabimus. Haec est aperta doctrina s. episcopi carthaginensis, qui enixe postulat, « ut calix qui in commemorationem ejus (Domini) offertur, mistus offeratur » ; et enim « nec potest videri sanguis ejus, quo redempti et vivificati sumus, esse in calice quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur » ; ita nimirum « constituitur Dominicae passionis et nostrae redemptionis sacramentum » (*Epist.* LXIII, 2 et 13 in PL., IV, 386 et 397). Ill. auctor insuper non satis advertere videtur ipsam coenam, quae fuit prima Missa, vocari potuisse « passionem », quia re praesentem jam sistebat sacrificium cruentum mox peragendum, uti ss. Conc. Trid. expressis verbis inculcavit.

sacrificium incruentum cum hoc sacrificio cruento, in duplici sectione hujus secundi capitis intimius perpendamus.

Sectio I.

Sacrificium incruentum est intrinsece commemorativum et repraesentativum sacrificii cruenti.

In hac sectione, quae revera difficultate non caret, in articulo primo exponemus quanam ratione habeatur in Missa sacrificium relativum, quia commemorativum et ad vivum repraesentativum sacrificii cruenti ; in articulo secundo raptim indicabimus quare variae sententiae, quas obviavimus, in hac ratione assignanda deficere videantur.

Art. 1. — Exponitur ratio qua in consecratione sacrificium cruentum re praesens sistatur.

Ad enucleandum problema in hac articulo solvendum, principiis utemur, quae a s. Thoma dilucide jamdiu sunt proposita : Eucharistia « rationem habet sacrificii in quantum offertur » (1), sed pariter « in quantum in hoc sacramento repraesentatur passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo,... habet rationem sacrificii » (2), et utrumque in consecratione obtinet, nam « in consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur » (3), sed etiam « repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari » (4), quia « hoc valet ad repraesentandam passionem Christi in qua seorsum sanguis fuit a corpore » (5).

Sacrificium Eucharisticum igitur constituitur in ratione sacrificii commemorativi per hoc ipsum, per quod constituitur in ratione sacrificii, neque tamen utrumque respectum confundere licet, uti invicte constat ex Traditione, quae non tantum sacrificium quoddam relativum, sed verum insuper vindicavit sacrificium ; Ecclesia alioquin authentice declaravit : « Si quis dixerit Missae sacrificium...

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 79, a. 5, c. ; cf. etiam a. 7, c.
(2) *Ibidem*, a. 7, c. ; cf. adhuc q. 73, a. 4, ad 3m.
(3) *Ibidem*, q. 82, a. 10, c. et ad 1m.
(4) *Ibidem*, q. 80, a. 12, ad 3m.
(5) *Ibidem*, q. 76, a. 2, ad 1m ; vide alia testimonia laudata in doctrina s. Thoma superius exposita, p. 384 s.

nudam (esse) commemorationem sacrificii in cruce peracti : anathema sit » (1).

Hunc utrumque respectum, cum principiis ab Angelico statutis, ita enuntiamus : ritus Eucharisticus est verum sacrificium, in quantum in celebratione Eucharistiae Christus offertur, et quidem ab ipso Christo, licet ministerio sacerdotum, ad supremum Dei dominium agnoscendum, sed etiam est sacrificium, scilicet relativum, in quantum re-praesentatur, re praesens sistitur passio et immolatio Christi cruenta, quae semel in cruce obtinuit.

Haec relatio ad sacrificium crucis est huic celebrationi Eucharistiae essentialis, et ad ipsam essentiam hujusce ritus pertinet, ita ut, si auferretur haec relatio a Christo intenta et instituta, jam tolleretur ipsum sacrificium Eucharisticum (2); est adhuc intrinseca et in ipsa oblatione fundata : « Hoc facite in meam commemorationem » ; « quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis : mortem Domini annuntiabitis (καταγγέλλετε, annuntiatis) donec veniat » (3).

* * *

His positis, prima fronte necessarium videtur ut hanc disquisitionem de relatione intrinseca sacrificii altaris ad sacrificium crucis, etiam quattuor articulis absolvamus, in quibus successive rursum de ipsa re oblata in hoc sacrificio commemorativo, de actione sacrifica, de fine et de offerente hoc sacrificium diceremus ; at vero, excepta actione sacrificali, nulla est specialis difficultas pro aliis tribus elementis sacrificii, et in ipsa perquirenda ratione quemadmodum verum habeamus sacrificium, hanc relationem jam subindicavimus.

Quod rem oblatam attinet, de qua in secunda sectione primi capitis hujus partis disputavimus, haec est omnino eadem tum in sacrificio crucis, quum in sacrificio altaris : illic ipse Christus cruente et in specie propria mactandus ; hîc idem Christus incruente et in specie aliena immolatus ; sola differentia, uti in eadem disceptatione notavimus, ex ratione offerendi defluit, adeoque nunc nihil restat nisi ut hanc diversam offerendi rationem in actione ipsa sacrificali penitius perscrutemur.

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *De sacrificio Missae*, can. 3 (*Enchiridion*, n. 950).

(2) Hanc relationem vocat ILL. LAMBRECHT, *o. c.*, p. 228, accidentalem, verisimiliter quia ad sacrificium verum accedit, nam mox p. 229, subnectit « illud (sacrificium Eucharisticum) ... ex ipsa natura sua sacrificii crucis esse commemorationem ».

(3) *I Cor.*, XI, 26.

Quod significationem sacrificii spectat, in sectione tertia praecedentis capitis diximus quadruplicem finem, quem omni sacrificio essentialem denuntiavimus, tum in sacrificio Eucharistico, quum in sacrificio crucis admittendum esse, ita tamen ut praetermissa significatione latreutica semper fundamentali, in hac oblatione cruenta prae ceteris significationibus eminuerit finis expiatorius ; in illo sacrificio incruento finis eucharisticus praeprimus excellat. Sacrificium Eucharisticum, uti ipsum nomen ejus sonat, praesertim in gratiarum actionem offertur, et quidem praecipue in gratiarum actionem pro ipsa redemptione,quam Dominus noster Jesus Christus, in cruce per passionem et mortem suam cruentam promeruit. Hac ratione relationem intimam sacrificii nostri incruenti ad sacrificium crucis, quoad tertium elementum, sat superque rursum jam indicavimus.

In quarta sectione prioris capitis egimus de offerente hoc sacrificium Eucharisticum : idem autem Christus, qui sacrificium crucis olim obtulit, hoc sacrificium altaris quotidie adhuc actu et immêdiate offert, quamquam offert per ministerium sacerdotum. Et enim sacerdos non loquitur in persona propria, sed verba Christi ad consecrandum usurpat, itaque ipsum Christum repraesentat, qui denuo in singulis Missis sese immolat, actione vere sacrifica, quae oblationem cruentam commemorat et ad vivum repraesentat, quod nunc statim explicabimus.

*
* *

Actio sacrificalis consistit in duplici consecratione, quae dum Christum inducit in statum immolatitium, in statum mortui, non qualiscumque, sed in statum victimae ad instar occisi, verum efficit sacrificium, suo modo absolutum, sed simul constituit sacrificium essentialiter relativum, quia ad vivum repraesentat, seu re praesens sistit sacrificium in cruce peractum, dum *sanguinem a corpore separatum signat in specie*, quamvis per concomitantiam, quoniam Christus est impassibilis, ubi corpus, et vicissim, ubi sanguis Christi, ibi totus et integer Christus, Deus-homo, adesse necesse sit.

In quantum duplex consecratio Christum inducit in statum immolatitium, et ipsum Dominum aequivalenter destruit, rationem habet sacrificii, videlicet veri et proprie dicti : ipse Christus ita vere offertur in sacrificium, actione vere sacrificali, quae ipsum Dominum afficit ; in quantum autem eadem duplex consecratio *separatim ponit sanguinem a corpore*, *non re ipsa*, *id est cruente*, (quoniam Christus gloriosus jam non moritur), *sed sacramento*, *seu sacro signo*, *signante realem separationem*, quae in cruce obtinuit, rationem habet sacri-

ficii, scilicet relativi, quoniam repraesentat, re praesens sistit, signo reali et non verbali, « passionem Christi in qua seorsum sanguis fuit a corpore » (1).

Duplex consecratio, non re ipsa corpus et sanguinem separat, sed sanguinem Christi a corpore separatum ponit sacramento, id est, *separatum signat*, et, quando hac ratione consideratur, non sufficit ad verum sacrificium fundandum, (quia ad verum sacrificium postulatur ut actio sacrifica ipsam victimam afficiat, eamdem destruendo saltem aequivalenti modo), sed plane satis est ad repraesentandum sacrificium peractum in cruce, quoniam, licet separatio non sit realis, *repraesentatio est realis* : immolatio cruenta crucis *re*, *hoc est sacro signo, praesens sistitur* in ipsa actione sacrificali, quando duplex consecratio seorsum ponit, non in re, id est, non in separatione reali, sed in signo, id est, in separatione sacramentali, corpus sub specie panis, sanguinem sub specie vini, itaque non re ipsa separat sanguinem a corpore, sed *re ipsa separationem hanc olim effectam significat atque repraesentat.*

* * *

Quam intime uterque respectus, primus, quo in consecratione offertur verum sacrificium, alter, quo in eadem consecratione offertur sacrificium intrinsece relativum et ad vivum sacrificii cruenti repraesentativum, sibi mutuo cohaereant, nemo statim non videbit.

Et enim duplex consecratio sub utroque respectu simul considerata *terminatur ad Christum immolatum sub specie seu signo visibili* : in quantum ipsum Christum vere ponit in statu immolatitio sub specie panis et vini, ita ut corpus ejus manducari et sanguis ejus potari possit, rationem habet veri sacrificii ; in quantum vere repraesentat actionem sacrificam ipsius immolationis cruentae, quia, vi sacramenti, sive vi sacri signi, solum corpus sub specie panis et solus sanguis sub specie vini adest, rationem habet sacrificii relativi ad sacrificium crucis, in quo corpus a sanguine fuit vere et reipsa separatum.

Una actio sacrifica, quae in duplici consecratione perficitur, ad unum terminatur objectum sacrificii Eucharistici, videlicet Christum sub specie immolatum, sed simul fundat sacrificium verum et sacrificium essentialiter relativum, quoniam simul primo, quoad modum destruit Christum, qui vere, licet incruente per hanc actionem immolatur, et secundo, intrinsece repraesentat immolationem cruen-

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 76, a. 2, ad 1m.

tam, quippe quae in signo, sub quo Christus immolatur, vere praesens sistatur. Verum ergo est sacrificium, quia Christus vere accipit statum atque modum immolatitium, uti in capite primo explanavimus, sed hunc statum accipit sub speciebus, quae hac etiam de causa in Traditione saepe vocantur *symbolum*, seu *figura*, seu *signum*, nimirum *signum mortis et passionis*, quoniam eamdem mortem et passionem symbolizant, figurant atque signant.

Immolatur igitur Christus in signo sive in sacramento, quam formulam resumit tota traditio patristica et scholastica : *in quantum vere immolatur sub specie visibili* est verum sacrificium ; *in quantum signum seu sacramentum, sub quo immolatur signat immolationem cruentam* est sacrificium vere relativum, itaque eo commemorativum quo sacrificium, quinimmo eo sacrificium quo commemorativum, quamquam utrumque non eadem ratione formali obtinetur, quod absonum esset postulare, quum tota veritas sacrificii, si eodem respectu formali verum esset sacrificium et etiam essentialiter relativum, ad relationem veram coarctare foret necessarium.

* * *

Haec adhuc ex comparatione cum sacrificiis VT. illustrare favet. Sacrificia antiqui foederis relationem dicebant ad sacrificium unum novae legis, quoniam idem praefigurabant, neque per aliud erant vera sacrificia, per aliud sacrificia praefigurativa ; sed eadem actio sacrifica vere destruebat victimam quoad substantiam, et hac ratione constituebat verum sacrificium, atque simul praefigurabat mactationem crucis, et hac ratione hoc idem sacrificium tanquam figuram ad sacrificium crucis referebat. Eadem actio ad eumdem terminum terminata efficiebat sacrificium verum et sacrificium relativum.

Ita et sub nova oeconomia eadem actio ad eumdem terminum terminata, scilicet Christum immolatum sub specie visibili seu sub signo, quod signat mortem Domini, verum fundat sacrificium et sacrificium simul essentialiter repraesentativum : eadem duplex consecratio, ut est actio sacrificalis, destruit victimam hujus oblationis, non quoad substantiam, sed quoad modum, dum Christum, qui jam in specie propria, adeoque quoad substantiam immolari nequit, in statum inducit immolatitium sub specie panis et vini, et hac ratione verum constituit sacrificium ; simul autem repraesentat immolationem cruentam crucis, (et quidem ratione propria huic sacrificio, in quo victima in specie aliena immolatur), repraesentat nempe immolationem cruentam per speciem, quae

ideo etiam dicitur figura, aut symbolum aut signum, quod signat et repraesentat seu re praesentem sistit immolationem quondam cruente peractam.

* * *

Una eademque actio igitur, per quam Missa est verum sacrificium de praesenti, et per quam est repraesentatio sacrificii crucis, non est separatio mystica et sacramentalis, sed est ipsa duplex consecratio, considerata ut actio sacrificalis, quod integra traditione constat et signanter a s. Thoma affirmatur : « repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari » (1), quia « hoc valet ad repraesentandam passionem Christi in qua seorsum sanguis fuit a corpore » (2).

Duplex consecratio, *ut est actio sacrifica*, et non tantum confectio sacramenti, Christum ***inducit in statum immolatitium sub speciebus visibilibus***, quod valet ad offerendum sacrificium, et sub hoc respectu rationem habet sacrificii, videlicet veri; sed insuper fundat sacrificium relativum, quia ***in sacramento seu in sacro signo, sub quo Christus immolatur, sanguinem Christi a corpore separatum fuisse repraesentat***, et sub hoc altero respectu etiam rationem habet sacrificii, scilicet essentialiter relativi ad sacrificium crucis, in quo sanguis Domini revera a corpore separatum fuit.

Non sufficit ergo, ut sacrificium Eucharisticum complete intelligamus, provocare ad separationem sacramentalem, etiam active sumptam, id est, in actione sacrifica consideratam, quia haec separatio unum respectum tantummodo actionis sacrificalis exhibet, et quidem illum, qui constituit sacrificium relativum seu repraesentativum, sed nullatenus fundat sacrificium verum, suo modo absolutum. Utrumque respectum conjungere oportet, itaque ad plenum sensum pervenimus hujus formulae a Traditione transmissae et ab Ecclesia consecratae : Christus immolatur in sacramento. Vere immolatur ipse Christus, non in se ipso, sed in specie aliena, dum statum induit immolatitium sub specie panis et vini, sed hae species sunt symbolum et signum mortis et passionis, adeoque ***consecratio, ut est actio sacrifica, Christum inducit in statum victimae sacrificatae, non utcumque modo***, puta per suffocationem, uti apud gentes quaedam offerebantur sacrificia (3), *sed per occisionem;* corpus quippe Christi post consecrationem manducari et sanguis

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 80, a. 12, ad 3m.
(2) *Ibidem*, q. 76, a. 2, ad 1m.
(3) W.R. Smith, *Relig. of Sem.*, p. 370 ; Hubert et Mauss, *art. cit.*, p, 70.

ejus potari potest, quod uti docte advertit ILL. AC REV. WAFFELAERT, « non fit in animato offerendo nisi prius ponatur ut victima occisa » (1). Eadem igitur consecratio, ut est actio sacrifica, Christum ponit in hoc statu victimae ad instar occisi, et simul repraesentat mortem et passionem cruentam.

* * *

Eumdem duplicem respectum adhuc per eamdem comparationem cum sacrificiis VT., superius jam adhibitam, sed nunc penitius enucleandam, illustrare praestat.

In sacrificio antiquo verum offerebatur sacrificium, quoniam victima destruebatur, et quidem in se ipsa, seu quoad substantiam. Haec sacrificia praefigurabant sacrificium crucis, quia haec destructio non erat qualiscumque, sed erat immolatio cruenta, quae sanguinem victimae vere separabat a corpore ipsius, et hac ratione mortem inducebat; simul praefigurabat immolationem cruentam, quae in cruce perficienda erat.

In sacrificio novae legis verum offertur sacrificium, quia hostia vere destruitur, non in se ipsa, quoad substantiam, seu cruento modo, sed in specie aliena, quoad modum, sive ratione incruenta. Haec actio sacrifica repraesentat sacrificium crucis, quia pariter non est qualiscumque, sed est talis immolatio, quae, quamquam sanguinem a corpore non separat, nihilominus Dominum vere inducit in statum victimae aequivalenter destructae et occisae, adeo ut corpus Christi manducari et sanguis ejus potari possit, itaque destructionem aequivalentem hostiae causat, simul ac ad vivum repraesentat mortem ac destructionem, quae in cruce obtinuerunt.

Sola differentia quam assignare est inter utrumque modum, primum, quo sacrificia VT. praefigurabant sacrificium crucis, alterum, quo sacrificium Eucharisticum idem sacrificium repraesentat, ex ratione offerendi utrimque diversa procedit.

Sacrificia VT. praefigurabant per ipsam destructionem victimae in se ipsa; sacrificium novae legis repraesentat per destructionem hostiae in specie seu in signo. Sacrificia vetera erant vera sacrificia, quia vera erat destructio; ita et novum sacrificium veram destructionem involvit. Illa sacrificia erant praefigurativa *quia talis erat destructio*, nempe per separationem sanguinis a corpore, sed non erant praefigurativa quatenus sanguis et anima a corpore separabantur, (quandoquidem hoc ad verum sacrificium constituendum pertinebat), sed *quatenus per hanc separationem realem signabant*

(1) ILL. AC. REV. WAFFELAERT, *l. c.*, apud *Coll. Brugen.*, XII, p. 739, 1907.

sacrificium crucis futurum; ita etiam hoc sacrificium vere est repraesentativum, *quia talis est destructio, quae scilicet Christum inducit in statum immolatitium sub specie panis et vini ad instar occisi, sed non est repraesentativum quatenus inducit Christum in statum victimae sub specie, sed quatenus signat sacrificium crucis peractum.*

In sacrificiis VT. destructio erat realis, itaque praefiguratio per separationem realem obtinebatur; in sacrificio altaris destructio est aequivalens; non destruitur hostia in se ipsa sed in specie aliena, itaque repraesentatio non per separationem realem, sed per separationem sacramentalem perficitur.

Haec autem separatio sacramentalis non est actio distincta a consecratione, quae est ipsa actio sacrifica quatenus Christum inducit in statum victimae aequivalenter occisae, sed est eadem actio, quatenus repraesentans per speciem seu sacrum signum, per sacramentum sub quo Christus immolatur, ipsam separationem realem quae in cruce peracta est (1).

*
* *

Sed instare fas erit : in sacrificiis VT. verum efficitur sacrificium per separationem realem, et haec eadem separatio signat sacrificium crucis futurum; ergo sub NT., siquidem separatio sacramentalis signat sacrificium idem peractum, eadem separatio sacramentalis verum efficere oportet sacrificium; secus per aliud habetur sacrificium verum, per aliud sacrificium relativum.

Haec est ipsissima et praecipua difficultas quam in sectione secunda prioris capitis, contra sententiam ibidem vindicatam, enuntiavimus; jamvero, haec difficultas in male intellecta notione separationis sacramentalis radicatur.

Separatio sacramentalis non est separatio realis, sed significatio separationis. Sacramentum enim est signum, adeoque separatio sacramentalis idem sonat ac separatio in signo, non eo sensu quod in signo aliquid actu separatur, nempe quod res aliqua divisibilis in partes ab invicem distinctas distinguitur et sub signis diversis, eamdem separationem indicantibus, ponitur, sed eo sensu, quod

(1) Cf. etiam Vasquezium, *o. c.*, disp. 223, cap. IV, n. 41 : « Dixi praeterea hanc mysticam separationem non esse physicam actionem, quia nullius rei, aut modi est physica productio, sed est ipsum corpus, et sanguis Christi, prout virtute verborum significantur sub diversis speciebus incipere esse ». Vasquezius sumit separationem in facto esse, seu passive, sed, etiam active considerata, non est actio separativa sed activa significatio separationis olim peractae, uti supra in textu dicitur.

significatur separatio olim peracta, per diversas species, quae ideo denominantur signum seu sacramentum separationis.

Separatio realis et sacramentalis non sunt duae species ejusdem generis, quod esset actio quaedam separativa ; in consecratione nihil separatur.

Et enim non separantur corpus et sanguis Christi, quia Christus est impassibilis, et non separantur species, quae jam separatae ante consecrationem existunt : nimirum accidentia panis in substantia panis et accidentia vini in substantia vini; sed in consecratione significatur separatio, itaque separatio sacramentalis opponitur ad separationem realem, tanquam res significans aut repraesentans ad rem significatam et repraesentatam, et magis opponitur *sacramentum seu signum* separationis ad *separationem* realem, quam separatio talis ad separationem aliam. Negamus igitur conclusionem instantiae, et resumimus adhuc comparationem cum sacrificiis VT., quae rem nostram illustrat, sed quae etiam perperam accipi potest.

* * *

In sacrificio vetere, separatio realis, utpote inductiva mortis, verum efficiebat sacrificium, et si referebatur ad sacrificium crucis, dicebatur praefigurativa hujus sacrificii futuri. In sacrificio novo, actio sacrifica non est in quadam separatione reali, neque in sola separatione sacramentali, quae solummodo repraesentat sacrificium peractum et nullum actuale fundat sacrificium, sed est in consecratione, ut est actio sacrifica, quae nimirum *Christum inducit in statum aequivalentis immolationis, sub specie panis et vini*, ita ut corpus Domini manducari et sanguis ejus potari queat, itaque verum fundat sacrificium, uti saepius explicavimus, et simul ad vivum repraesentat sacrificium crucis, quatenus *ex vi sacramenti*, corpus hoc mandibile apponitur *sub specie panis*, et sanguis hic potabilis apponitur *sub specie vini*, licet ex concomitantia totus Christus sub utraque specie adsit.

Dicitur *ex vi sacramenti* : verba prioris consecrationis *significant* nimirum solum corpus, sed demonstrant Christum, uti nunc est ; ita et verba alterius consecrationis *significant* solum sanguinem, sed demonstrant Christum integrum, itaque separatio sacramentalis *significat separationem peractam*, et haec significatio eadem actione obtinetur, qua verum perficitur sacrificium per aequivalentem destructionem, quando Christus inducitur in statum victimae ad instar occisi sub specie panis et vini simul, ita ut corpus ejus manducari et sanguis ejus potari possit.

Per aliud igitur efficitur sacrificium verum et sacrificium essentialiter relativum, videlicet *per alium respectum*, sed eadem consecratio, quatenus est actio sacrifica, quatenus scilicet Christum inducit in statum victimae aequivalenter immolatae et occisae sub speciebus, simul verum fundat sacrificium et ad vivum pariter sacrificium crucis repraesentat.

Advertatur alioquin quemadmodum etiam sacrificium antiquum sub diverso respectu considerare oporteat, ut habeatur sacrificium verum et sacrificium relativum : quatenus actio sacrifica separat sanguinem a corpore, verum fundat sacrificium ; quatenus repraesentat seu praefigurat sacrificium futurum, relationem dicit ad sacrificium crucis. Praefigurat, non quatenus separat, sed *quia* separat corpus et sanguinem, uti in cruce sanguis Christi a corpore separatus est. Quatenus consecratio, in qua perficitur actio sacrifica, Christum inducit in statum immolatitium sub specie panis et vini, ita ut corpus ejus manducari et sanguis ejus potari valeat, verum fundat sacrificium ; quatenus repraesentat seu commemorat sacrificium peractum, relationem dicit ad sacrificium crucis. Commemorat autem, non quatenus inducit in statum immolatitium, sed *quia* inducit in statum repraesentativum, qui immolationem cruentam, ubi sanguis seorsum fuit a corpore, re praesentem sistit, per ipsas species aut signa sub quibus Christus immolatur.

Eadem ergo actio sacrificalis verum constituit sacrificium, essentialiter relativum.

Art. 2. — Refutantur variae aliae sententiae de eadem ratione explicanda prolatae.

De aliis sententiis pauca tantum subjungenda manent ; auctores enim communi ratione repraesentationem sacrificii crucis in distincta consecratione et in separatione sacramentali requirunt, sed alii, uti Suarezius (1), Card. de Lugo (2) et Card. Franzelin (3), minus explicant utrumque respectum, quo celebratio Eucharistiae est verum sacrificium et adhuc sacrificium essentialiter relativum ; alii, uti Vasquezius (4), priorem respectum negligunt, aut etiam, uti Lessius (5) et Card. Billot (6), eumdem priorem respectum ad

(1) Suarezius, *o. c.*, disp. 75, sect. VI, n. 7.
(2) Lugo, *o. c.*, disp. XIX, sect. VIII, n. 106.
(3) Franzelin, *o. c.*, thes. XV, p. 388 s.
(4) Vasquezius, *o. c.*, disp. 222, cap. VIII, n. 65 s. et disp. 223, cap. IV, n. 40.
(5) Lessius, *o. c.*, lib. XII, cap. 13, n. 95.
(6) Billot, *o. c.*, I, p. 628 s.

alterum respectum redigunt, itaque reapse utrumque respectum confundunt.

* * *

Res patet pro sententiis SUAREZII, LUGONIS et Card. FRANZELIN : per aliud obtinetur, in iisdem theoriis, verum sacrificium et sacrificium essentialiter relativum. Eo quod Christus in Eucharistia producitur, uti ait Suarezius; aut sistitur in statu cibi et potus, uti profitetur Card. de Lugo, non repraesentatur passio Christi, et si, cum Card. Franzelin, ad absentiam vel suspensionem vitae sensibilis et organicae appellare lubet, non habebitur nihilominus nisi commemoratio generica, et per aliud rursum inducetur repraesentatio, per sacramentalem separationem nimirum, quae cum hac absentia vitae sensitivae minime connecti videtur.

* * *

VASQUEZIUS ingenue proclamat sacrificium Eucharisticum eo verum esse sacrificium, quo repraesentativum, seu quatenus re, et non tantum verbis, praesentem sistit passionem et mortem Christi sub specie praesentis. LESSIUS multum insistit in distincta prolatione verborum, quibus Agnus Dei, quasi gladio, mystice occiditur, sed haec optime repraesentationem fundant, minus autem sacrificium verum explanant. CARD. BILLOT tandem eamdem separationem sacramentalem ut rationem formalem, tum sacrificii veri, suo modo absoluti, quum sacrificii intrinsece relativi, assignat, et enixe postulat ut non confundantur respectus, primus, quo haec separatio sacramentalis est immolatio de praesenti ; alter, quo est vivida repraesentatio sacrificii olim in cruce peracti. At vero, quae em. theologus intentione secernit, re ipsa disjungi nequeunt : separatio sacramentalis est vivida repraesentatio sacrificii cruenti, sed non est immolatio de praesenti, itaque revera non remanet nisi alter respectus, quo sacrificium cruentum apte commemoratur. Sacrificium Eucharisticum autem rationem habet sacrificii, in quantum commemorat sacrificium crucis, sed etiam in quantum in eo vere offertur Christus, uti ad taedium usque cum Angelico adnotavimus.

* * *

RENZ ad praesentiam Christi sub distincta specie pariter provocat, ut imaginem sacrificii cruenti in confectione convivii sacrificalis reperiat (1) ; ita adhuc WIELAND ad symbolum sepa-

(1) RENZ, *Geschichte*, II, p. 484.

rationis per duplicem consecrationem obtentum appellat (1), sed propalam apparet quam fictivo nexu haec asserta cum placitis eorum doctorum de vero sacrificio in Eucharistia vindicando cohaereant.

Thalhofer (2), aeque ac Lepin (3), Pell (4) et Grivet (5), relationem sacrificii altaris ad sacrificium crucis ex sacramentali separatione explicare satagunt, sed parum rursus connectunt utrumque respectum. Quod opinionem spectat, a Thalhofer praesertim propugnatam, eumdem nempe esse actum sacrificalem in sacrificio cruento et incruento, hanc sententiam in sectione sequenti obviam habebimus.

*
* *

Priusquam ad sequentia transeamus, paucis verbis dicta in hac sectione repetimus, nam libenter magnum periculum agnoscimus ne separatio sacramentalis, quam omnes auctores ad unum ut fundamentum relationis sacrificii incruenti ad cruentum accipiunt, inepte intelligatur.

Separatio sacramentalis proprie est *significatio separationis.* Nihil revera separatur per consecrationem, in qua perficitur actio sacrifica hujus sacrificii, sed seorsum ponitur in signo corpus et sanguis Domini, id est, significatur separatio sanguinis a corpore olim in cruce peracta.

Verba prioris consecrationis significant solum corpus ; verba alterius consecrationis significant solum sanguinem, adeoque, sub hac ratione considerata, consecratio repraesentat immolationem cruentam. Consecratio, ut est actio sacrifica, *Christum inducit in statum immolatitium sub specie panis et sub specie vini*, adeo ut corpus ejus manducari et sanguis ejus potari possit, itaque verum fundat sacrificium, sed adhuc repraesentat sacrificium, quia Christum inducit *in statum victimae ad instar occisi, qui ad vivum re praesentem sistit mactationem illam cruentam.* Uti sacrificia vetera praefigurabant sacrificium crucis futurum, per ipsam immolationem cruentam et oblationem victimae in se ipsa, ita sacrificium altaris commemorat sacrificium crucis peractum, per ipsam immolationem incruentam et oblationem Christi in specie aliena, quandoquidem ipsae species, sub quibus Dominus immolatur

(1) Wieland, *Opferbegriff*, p. 210.

(2) Thalhofer, *Das Opfer des A.u.N.B*, p. 260 s.

(3) Lepin, *o. c.*, p. 219 s. et p. 224 ; cf. praeterea litteras ad D. Mortimer, *o. c.*, p. 576.

(4) Pell, *o. c*, p. 36 s.

(5) Grivet, *o. c.*, p. 25, p. 29 et p. 45.

in mysterio, signant passionem et mortem ipsius. Hac etiam de causa vocantur signum seu sacramentum, et ita ad plenum intellectum pervenimus hujus formulae, per quam Traditio fidem suam de hoc dogmate sacrificii Eucharistici concinne expressit : Christus immolatur in sacramento seu in mysterio.

Sectio II.

Quomodo sacrificium Eucharisticum sit unum atque idem sacrificium cum illo crucis.

In hac sectione exponemus quemadmodum unum atque idem sacrificium in Eucharistia et in cruce habeamus, et quam intime haec disputatio cum priore sectione hujus capitis connexa sit, quinimmo, quam utiliter omnes nostras investigationes resumat, nemo statim non videbit. Cum hac disquisitione igitur dissertationem nostram absolvemus.

Explicita est doctrina epistolae ad Hebraeos, unum tantum esse sacrificium sub nova lege ; unum nimirum est sacrificium, quia idem, uti ait s. J. Chrysostomus, quem integra Traditio, ad usque ss. Tridentinum Concilium, secuta est.

« Quid vero ? Annon nos quotidie offerimus ? Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam : et ipsa una est, non multae. Quomodo una est, non multae ? Quoniam semel fuit oblata, sicut illa fuit in sancta sanctorum. Hoc est figura illius, et ipsa istius : eumdem enim semper offerimus, non nunc aliam, cras aliam ovem, sed semper eamdem. Quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem : alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multine sunt Christi ? Nequaquam, sed unus ubique Christus, qui et hic est plenus et illic plenus, unum corpus. Ut ergo multis in locis oblatus unum est corpus, et non multa corpora : ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est qui obtulit hostiam, quae nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quae tunc fuit oblata, quae non potest consumi. Hoc fit in recordationem ejus quod tunc factum est : Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliam hostiam, sicuti pontifex (scil. VT.), sed eamdem semper facimus, vel potius sacrificii facimus commemorationem » (1).

Et enim Christus immediate adhuc offert, « et nunc etiam operatur » (2), ait idem s. doctor ; « una (igitur) eademque (est)

(1) S. J. Chrysostomus, *In Hebr. hom.* XVII, 3 (PG., LXIII, 131).
(2) S. Jo. Chrys., *In Matth. hom.* LXXXII, 5 (al. LXXXIII) (PG., LVIII, 744).

hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio,... sola offerendi ratione diversa », explicat ulterius ss. Tridentina Synodus (1), cui etiam in hac disputatione dirimenda praecipue innitemur, quoniam ita medullae ipsius traditionis patristicae inhaerebimus.

* * *

Omnes differentias igitur, quas sacrificium crucis inter et sacrificium altaris reperimus, ad unam rationem offerendi diversam reducere possumus.

Victima utrimque oblata prorsus eadem est : Christus illic, nempe in cruce, in specie propria mactandus ; hîc, in altari, idem Christus sub specie visibili immolatus ; in hoc termino ad quem hujus sacrificii, ipsa ratio offerendi diversa jam connotatur. In cruce hostia erat passibilis et mortalis, itaque quoad substantiam destruenda erat, ut verum haberetur sacrificium ; in altari eadem adest hostia, sed nunc impassibilis et immortalis, adeoque destruitur quoad modum, sed haec differentia manifeste accidentalis est.

Offerens pariter in utroque sacrificio idem est : illic Dominus visibilis ; hîc Christus invisibilis et sacrificium perficiens ministerio sacerdotum ; sacerdos autem terrenus in persona offert ipsius Christi, cujus « vox... ad unamquamque mensam, ab illo (tempore) ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit » (2). Haec igitur diversitas rursum cum ratione offerendi diversa, intime connectitur : Christus inducitur in statum immolatitium sub specie aliena, quare verba consecratoria a sacerdote-ministro proferuntur, sed ipse Christus immortalis adhuc loquitur ; haec ergo differentia utrimque idem sacrificium offerri minime prohibet (3).

Quod significationem sacrificii attinet, haec est utrique sacrificio communis, et quadruplici fine absolvitur ; in utraque oblatione significatio fundamentalis seu latreutica prorsus eadem est ; inter ceteros fines praeeminet finis expiatorius in sacrificio crucis, et finis eucharisticus in sacrificio altaris, sed hoc sacrificium etiam esse propitiatorium negari nequit. Profecto, sacrificium crucis est expiatorium quatenus est meritorium redemptionis ; sacrificium Eucharisticum est propitiatorium, quatenus applicativum ejusdem

(1) *Conc. Trid.*, sess. XXII, *Doctrina de sacrificio Missae*, cap. 2 (*Enchiridion*, n. 940).

(2) S. J. Chrysostomus, *De prod. Judae hom.* I, 6 (PG., XLIX, 380).

(3) Notandum venit Ecclesiam et omnes fideles offerre sacrificium, scilicet mediate, uti diximus, et ita adhuc sese offert Ecclesia in unione cum capite suo, Christo, in singulis Missae oblationibus ; cf. Billot, *o. c.*, I, p. 598.

meriti, at haec differentia potius efficaciam et effectus spectat, et ex eadem ratione offerendi diversa dimanat.

*
* *

Prima et praecipua differentia in hac ratione offerendi diversa, in eo est, quod sacrificium Eucharisticum est essentialiter relativum ad sacrificium crucis, dum hoc sacrificium, prorsus absolutum, nullius oblationis imago aut repraesentatio dici potest.

Et revera ad hoc sacrificium crucis praefigurandum ordinata erant omnia sacrificia VT. : « umbram enim habens lex futororum bonorum, non ipsam imaginem rerum : per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere : alioquin cessassent offerri : ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati : sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam, et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi : holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio : in capite libri scriptum est de me : Ut faciam, Deus, voluntatem tuam... In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel... Una enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos » (1).

Hujus unius oblationis novae legis nunc repraesentatio existit sacrificium altaris, et quidem in ipsa actione sacrificali, quae in duplici consecratione perficitur, et Christum inducit in statum immolatitium sub specie panis et vini, sub signo visibili passionis et mortis Domini; corpus ejus quippe manducari et sanguis ejus potari valet : « immolatus jacet Christus », uti scribit s. J. Chrysostomus (2); « Christus positus est immolatus » (3); videre est « Dominum immolatum et jacentem » (4), « tanquam agnum mactatum et immolatum » (5) ; « revereamini igitur, revereamini hanc mensam, cujus participes sumus omnes, Christum pro nobis occisum, sacrificium huic mensae impositum » (6).

*
* *

His rite perpensis, haud arduo negotio solvitur disceptatio, quae viget inter auctores, utrum sacrificium Eucharisticum sit idem

(1) *Hebr.*, X, 1-7, 10, 14.
(2) S. J. Chrysostomus, *De prod. Judae hom.* II, 6 (PG., XLIX, 390).
(3) *Ad populum Antioch. hom.* XV, 5 (PG., XLIX, 160).
(4) *De sacerd.*, III, 4 (PG., XLVIII, 642).
(5) *De coem. et cruce hom.*, 3 (PG., XLIX, 397).
(6) *In Rom. hom.* VIII, 8 (PG., LX, 465).

specie cum sacrificio crucis, an specie diversum ab illo. Pro priori opinione invocatur auctoritas Vasquezii (1); pro altera sententia testimonium Suarezii (2) praesertim adducitur.

Jamautem, disputatio Suarezium inter ac Vasquezium cum ipsa ratione sacrificii Eucharistici explicandi intime connectitur.

Distinguit Suarezius sacrificium prout consideratur « sub ratione actus virtutis, vel sub ratione externi et sensibilis signi in Dei cultum ordinati », et « priori modo », ait, « procedit ratio facta, et recte concludit, si motivum offerendi idem sit, in ratione virtutis sacrificium etiam esse idem, quia haec ratio magis consistit in interiori actu, quam in exteriori; actus autem interior sumit suam speciem ex motivo operandi... At vero, loquendo de sacrificio sub ratione sensibilis signi, prout de eo frequentius loquimur, sic dicendum est, essentiam sacrificii multum pendere ex re sensibili, quae ad offerendum assumitur, et ad significandum imponitur, et consequenter ex ritu etiam sacrificandi... Hac igitur posteriori consideratione dici potest, differentiam illam in ritu sacrificandi esse essentialem inter sacrificium Christi cruentum et incruentum. Quod patet, quia ille ritus est essentialis, et est omnino diversus; neque enim satis est, quod res oblata sit eadem, quia sacrificium non consistit essentialiter in re ipsa permanente, sed in actione circa illam; unde, si actiones sint omnino diversae rationis, quamvis circa eamdem rem materialiter versentur, erunt sacrificia diversa » (3).

Vasquezius autem formam physicam in sacrificio Eucharistico recusat, et essentiam hujus oblationis novae legis ad solam formam metaphysicam coarctat, itaque revera a Suarezio non recedit, quando scribit :

« Ex his... manifeste colligitur, sacrificium cruentum, et incruentum Missae... non differre specie in genere sacrificii : nam,... species sacrificii cum sit quidam cultus ex religione Deo exhibitus, ex affectu interiori pensari debet, hic autem idem secundum speciem est in omni genere sacrificii, solumque discrimen esse potest ex parte materiae, et rei, quae est signum in hujusmodi cultum assumptum, ex parte cujus discrimen secundum speciem inter aliqua sacrificia esse potest : et hujusmodi intercedit inter sacrificium cruentum, et incruentum, qualis est inter veram, et mysticam mactationem : nam vera est in sacrificio cruento, mystica vero, et veluti in signo solum in sacrificio incruento. Quis enim neget

(1) Vasquezius, *o. c.*, disp. 224, cap. II, n. 10.
(2) Suarezius, *o. c.*, disp. 76, sect. I, n. 5 s.
(3) *Ibidem*, n. 6.

mysticam mactationem, et veram in genere mactationis specie differre ? Tametsi quia idem significant, cum Deo offeruntur, ad cultum religioisn ejusdem omnino rationis deserviant. Cum vero dicimus differre sacrificium altaris, et crucis specie ex parte rei, et signi, non dicimus per haec duo diversa significari, siquidem idem cultus religiosus denotatur, sed diversam specie actionem sumi in uno, et in alio, ad denotandum Deum auctorem vitae et mortis » (1).

De facto igitur Suarezius et Vasquezius, quos saepe mutuo opponunt (2), rem sub diverso respectu observant, ast quum Vasquezius praeprimis significationem seu formam metaphysicam attendat, atque imo formam physicam a sacrificio relativo excludat, obvium est ipsum propugnare sacrificium utrumque idem esse specie, quamquam, quod initio suae investigationis jam innuit, adhuc in fine ejusdem capitis expressis verbis, docet : « Adde, quod sacrificium altaris, eo ipso, quod differt in modo offerendi a sacrificio crucis, ut definit Concilium Tridentinum a nobis allegatum,... dicitur differre... specie ».

* * *

Conclusio nostra haec est : *quum actio sacrifica ipsam essentiam sacrificii ingrediatur*, sacrificium Eucharisticum a sacrificio crucis *specie differre* dicendum erit, quando hanc rationem offerendi diversam simul connotare volumus, et in hac conclusione re ipsa conveniunt omnes doctores, quamvis, in verbis, ab invicem discedere videantur.

Ita v. g. scribit Card. Franzelin : « Sacrificium non est tantum res oblata seu victima per se spectata, nec actio offerendi abstracte sumpta ; sed est in concreto victima, quatenus actione sacrifica offertur. Hoc sensu concreto *quale* sit sacrificium magis desumitur a re oblata et ab ordine sacerdotii destinati ad offerendum sacrificium, quam a modo actionis sacrificae. Unde propter numericam identitatem victimae et sacerdotis principaliter offerentis in sacrificio crucis et in sacrificio Eucharistiae, affirmandum est utrumque *simpliciter* esse *idem (specie)* sacrificium ; diversum vero dici debet non nisi cum addita restrictione et *secundum quid* » (3).

Similiter loquitur Einig : « Sacrificium Missae si cum sacrificio crucis comparetur, cum, quod in re sacrifica maxime attenditur, et sacerdos principaliter offerens et victima in utroque sint eadem, simpliciter idem specie sacrificium dicendum est » (4).

(1) VASQUEZIUS, *o. c.*, disp. 224, cap. II, n. 10.
(2) Ita STENTRUP, *o. c.*, II, p. 397.
(3) FRANZELIN, *o. c.*, thes. XVI, p. 419.
(4) EINIG, *o. c.*, p. 141.

Alii doctores autem actionem sacrificam simul considerandam esse autumant, itaque differentiam specificam profitentur (1).

* * *

In comparando sacrificio Eucharistico, *quotidie celebrato*, cum *sacrificio oblato in coena* ab ipso Christo visibili, auctores omnes conveniunt ut *idem* sacrificium *etiam specie* admittant; differentiae re quidem vera, quas inter hunc ritum et illum assignare est, speciem mutare non natae sunt (2).

Minus etiam disputatur quaestio, magis ceteroquin obvia, num sacrificium, quod quotidie offertur in altari, unum sit numero cum sacrificio crucis, et quasi unanimi consensu respondent theologi : *sacrificium Eucharisticum*, quod quotidie offertur, *numero differt* a *sacrificio cruento*, quoniam ad identitatem numero necessaria est eadem utrimque actio, quae manifeste deficit (3). Ipsa ratio offerendi in utroque sacrificio differt ; imo sacrificium concrete spectatum, et *actu quotidie oblatum*, *numero etiam differt*, non tantum a sacrificio cruento, *sed ab oblatione in coena et ab omnibus aliis oblationibus incruentis*, quae in singulis altaribus ubique terrarum, ab ortu solis usque ad occasum, jugiter perficiuntur.

* * *

Attamen theoriam Card. Cienfuegos (4), qui vindicabat identitatem numero, non tantum ratione sacerdotis principaliter offerentis et victimae oblatae, sed etiam ratione actus sacrificantis et offerentis, tum in sacrificio crucis et coenae, quum in sacrificiis quotidianis, recenter rursum propugnavit Thalhofer (5), cujus sententiae patronos hodiedum usque adhuc reperimus (6).

(1) Hurter, *o. c.*, III, p. 412 ; Pesch, *o. c.*, I, p. 426 s.; Van Noort, *o. c.*, I, p. 381 ; Pohle, *o. c.*, III, p. 380.

(2) Cf. Suarezium, *o. c.*, disp. 76, sect. I, n. 1 s.; Vasquezium, *o. c.*, disp. 224, cap. I, n. 1 s.; Stentrup, *o. c.*, II, p. 385 s.; Franzelin, *o. c.*, thes. XVI, p. 420.

(3) Cf. Suarezium, *o. c.*, disp. 76, sect. I, n. 5 ; Vasquezium, *o. c.*, disp. 224, cap. II, n. 10, et alios theologos, eodem plerumque loco, quo de identitate specie tractant.

(4) Cienfuegos, *o.* et *l. c.*

(5) Thalhofer, *Das Opfer des A. u. N. B.*, p. 260 s.

(6) Ita v. g. Fischer, art. *Das Verhältnis von Kreuzopfer und Messopfer*, apud period. *Theol. und Glaube*, II, p. 371 s., Paderborn, 1910 ; eidem opinioni nonnihil favere videtur G. Simons, *o. c.*, p. 33 s. ; ita loquitur enim de « unicitate » sacrificii sub nova lege, p. 35 : « Que la manière dont cet acte

In parte prooemiali succincte exposuimus doctrinam a Thalhofer excultam, quamobrem paucis tantum verbis resumere sufficiat, quae ad praesentem disquisitionem faciunt.

Quando Christus, inquit Thalhofer, in altari, vi verborum consecrationis in forma separationis, in forma sacrificii, praesens sistitur, actum sacrificalem natura eumdem ponit, quem quondam in cruce exercuit,et quem in dextera Patris,in sacrificio coelesti proprie dicto offerendo, semper elicit. In instanti consecrationis, anima Christi eadem obedientia sacrificali et eodem spiritu abnegationis movetur, quo in cruce submissionem suam Patri suo per effusionem sensibilem sanguinis manifestavit ; porro, ut fideles certiores reddantur et ipsis repraesentetur in consecratione idem sacrificium quoad essentiam fieri, quod olim in cruce factum est, Dominus seipsum in forma separationis praesentem sistit per mysticam separationem sanguinis a corpore, quae est forma externa actus sacrificalis invisibilis ejusdem in Eucharistia et in coena : caritatis ille actus invisibilis, qui mortem Christi in cruce ad sacrificium sublimavit, jugiter per sacrificium coeleste conservatus, nunc adhuc in altari exercetur, et per sacramentalem separationem quasi attrahit mactationem cruentam crucis in sacrificium Eucharisticum, quod adeo idem omnino est cum illo sacrificio crucis : una eademque victima, idem offerens, idem actus sacrificalis.

In capite I demonstravimus cl. auctorem nullatenus explicare quemadmodum verum habeamus sacrificium in Eucharistia; quod relationem ad sacrificium crucis spectat, Thalhofer revera consentit cum Vasquezio, quod fundamentum saltem suae theoriae attinet, itaque pro hac parte in sectione praecedenti satis confutatur. Quoad identitatem sacrificii altaris cum sacrificio crucis, eamdem non appellat identitatem numericam, sed nullo alio nomine apte designari potest ; hanc identitatem numericam brevi consideratione nunc convellere favet.

*
* *

Ille actus sacrificalis, quem Thalhofer assignat, revera duplicem aspectum prae se fert : primum internum, qui est in ipsa

s'opère, que la forme extérieure, sensible, — sanglante au Calvaire, non sanglante sur l'autel, — qui le réalise ou l'exprime, diffère, il n'importe ; l'acte sacrificatoire essentiel est un ; le sacrifice, sous sa double modalité douloureuse et eucharistique est unique ; il est le même sacrifice tout en entier sur la croix et en chaque messe » ; cf. etiam J. Rivière, *Un peu de théologie sur la passion du Sauveur*, apud period. RPA., XIII, p. 600, 1912.

intentione Christi sese offerendi, alterum externum, qui est in destructione ipsius vitae Domini, actu peracta in cruce, actu repraesentata in altari.

Atqui, perspicuum est solum aspectum internum esse eumdem, supposita insuper veritate sacrificii coelestis. Demonstravimus autem non dari sacrificium coeleste proprie dictum, et diximus Christum ad singulas oblationes Missae, actu suae voluntatis concurrere (1), sed his impraesentium adhuc missis, Thalhofer revera per solam fictionem mentis, mactationem cruentam, seu aspectum externum actus sacrificalis, cum intentione seu aspectu interno ita conjungit, ut sacrificium Eucharisticum esse verum sacrificium per eamdem destructionem, realem et cruentam asseverare queat.

Per fictionem concipere est aliquod sacrificium, quod semel cruente oblatum in cruce, semper incruente, per repraesentationem seu mystice, uti ait Vasquezius (2), in altari actuatur, sed hoc sacrificium non est nisi pars quaedam sacrificii proprie dicti, quippe quod sacrificium proprie dictum non tantum rem oblatam, offerentem, intentionem colendi Deum, sed et immolationem, sive cruentam, sive incruentam supponat.

Sacrificium proprie dictum est actio quaedam concreta et individua, quae determinatum postulat modum offerendi, et hac de causa praecipue pronuntiavimus sacrificium altaris necessario differre numero a sacrificio crucis. Hinc sequitur affirmari non posse unum esse sacrificium numero, sub nova lege, nisi addita declaratione, nimirum unum est sacrificium numero, ratione victimae et sacerdotis principaliter offerentis (3).

*
* *

Statim vero exsurgit quaedam difficultas : epistola ad Hebraeos procul omni dubio docet unum tantum esse sacrificium in nova

(1) Cf. supra, p. 493 et lege ILL. AC REV. WAFFELAERT, *a. c.*, apud *Coll. Brugen.*, XIII, p. 12, 1908.

(2) VASQUEZIUS, *o. c.*, disp. 222, cap. VII, n. 57; in Missa, ait, ipsamet passio a nobis offertur, « non quidem cruento modo, sed mystico, hoc est, secundum repraesentationem ».

(3) Non nisi ex perperam intellecta Scriptura sacra et Traditione, hoc modo igitur arguere quis potest : unum est sacrificium, quia una eademque est hostia et unus offerens, qui victimam in honorem divinum ordinat, quare hoc, quod *essentialiter* Missam in sacrificium constituit, est ipse actus interior Christi, victimae et offerentis. — Et enim finis sacrificii vocari debet forma, scilicet metaphysica sacrificii, et hic actus interior dici potest

oeconomia, et haec doctrina totius Traditionis assensu solide fulcitur ; sed eadem Traditio nobis simul subministrat solutionem objectionis : unum est sacrificium, quia idem, ratione scilicet hostiae et sacerdotis praecipui, itaque « ex testimonio Pauli nihil ad rem praesentem colligi potest, inquit eximius doctor ; nam.... Paulus loquitur de sacrificio oblato ad redemptionem nostram perficiendam et consummandam ; unde juxta mentem suam non tantum excludit aliud sacrificium specie, sed etiam numero diversum ; alias non recte concluderet, non esse necessarium aliud sacrificium cruentum, seu aliam mortem Christi ; loquitur ergo de unitate etiam numerica talis sacrificii ; ... non tamen excludit sacrificium quod offertur ad applicandam redemptionem perfectam, sive hoc diversum sit numero, sive specie, a priori sacrificio ; hoc enim nihil refert ad perfectionem et sufficientiam illius sacrificii, quam Paulus declarare intendit » (1).

Ita porro investigationem nostram absolvimus ; restat nunc ut doctrinam in hac tertia parte vindicatam resumamus ; cum vero Scripturam sacram et Traditionem, explicationibus Scholae et praesertim s. Thomae illustratam, et authentica doctrina Ecclesiae declaratam, semper presse secuti simus, totam nostram dissertationem paucis verbis simul recapitulabimur.

formaliter constituere Missam in sacrificium, ratione superius explanata et modo rursum insinuata, sed ad *essentiam* sacrificii proprie dicti aeque pertinet destructio vera, quae est ejus forma physica. Non sufficit ergo eamdem intentionem sese offerendi, (quae, spectata in Christo glorioso, revera in tempore non est), actuari in singulis Missis ; sed postulatur ut haec actuatio fiat per veram et actualem destructionem. Hoc satis innuit ipsa ss. Tridentina Synodus, quae aperte declarat rationem offerendi utrimque diversam esse ; et revera tota difficultas sacrificii Eucharistici rite intelligendi in hoc est, ut apte definiatur haec ratio offerendi diversa, ita ut *verum habeatur sacrificium visibile, simul essentialiter* ad sacrificium crucis *relativum,* imo cum hoc sacrificio *unum atque idem.* Advertimus insuper agi de explicando sacrificio Missae hic et nunc visibiliter in altari oblato, adeoque omnes animadversiones de tempore et spatio, quae Christum non afficiunt, quoniam gloriosus existit in coelis, ad rem reapse non faciunt. Difficultas enim praecipue est quomodo Christus, licet gloriosus in coelis, hisce in terris sese offerat, sacrificio proprie dicto et intrinsece relativo. Haec sufficere possunt contra dissertationes, quales apud Thalhofer, *o. c.,* 261 et Simons, *o. c.,* p. 36, reperiri possunt.

(1) Suarezius, *o. c.,* disp. 76, sect. I, n. 5.

Conclusio III Partis et totius dissertationis.

Sacrificium Eucharisticum est *verum sacrificium*, et rationem habet sacrificii, scilicet veri et suo modo absoluti, in quantum Christus in eo offertur ; offertur autem per duplicem consecrationem, quae ipsum Christum, quamvis gloriosus in coelis remaneat, inducit in altari, *in statum victimae aequivalenter immolatae, ita ut corpus ejus manducari et sanguis ejus potari valeat.* Haec actio *terminatur ad ipsum Christum immolatum sub specie visibili*, et perficitur *ab ipso Christo proxime et actu offerente, ministerio tamen sacerdotum, ad quadruplicem finem* omni sacrificio essentialem, sed praeprimis in gratiarum actionem, pro ipsa redemptione in cruce peracta.

Ita jam indicatur quemadmodum sacrificium possideamus intrinsece relativum, imo idem quoad rem oblatam, offerentem et finem, sed eamdem relationem sacrificii incruenti ad sacrificium cruentum in ipsa actione offerendi intimius perscrutari oportet.

At vero haec eadem actio sacrificalis ad vivum re-praesentat et re praesentem sistit immolationem cruentam, *quoniam ex vi sacramenti, sub specie panis, separatum signat corpus*, et *sub specie vini separatum signat sanguinem Christi*, quae in cruce realiter separata fuerunt.

In sacrificio Eucharistico corpus et sanguis denuo non separatur, quia Christus denuo non moritur, sed ut *separata significantur*, et hac ratione ad plenum sensum pervenimus hujus formulae a Traditione derivandae et authentica Ecclesiae declaratione consecratae : *Christus immolatur in mysterio seu in sacramento. Immolatur vere*, per actionem sacrificam, quae verum fundat sacrificium, sed immolatur *sub speciebus, quae signum existunt passionis.* — « Passio est Domini sacrificium quod offerimus » (1), quare, etsi sacrificium Christi in Ecclesia « quotidie instauratur » (2), re tamen ipsa non nisi « supremum in Calvaria sacrificium admirabili modo renovatur » (3).

Natura sua nihil differt sacrificium Eucharisticum a sacrificio crucis (4), neque est mortis Domini inanis aut nuda commemoratio,

(1) S. Cyprianus, *Epist.* LXIII, 17 (PL., IV, 402).

(2) *Catech. Conc. Trid.*, P. II, De Euch. sacr., LXXXII, p. 301, Parisiis, 1906.

(3) Leo pp. xiii, in encyc. « *Mirae caritatis* », diei 28 Maii, 1902 (*Acta Sanctae Sedis*, XXXIV, p. 645, Romae, 1901-1902).

(4) Benedictus pp. xv, in const. apost. « *Incruentum Altaris sacrificium* », diei 10 Aug., 1915 (*Acta Apost. Sedis*, VII, p. 401, 1915).

« sed vera et mirabilis, quamquam incruenta et mystica renovatio » (1). — « Haec namque singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens ex mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis *iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur*, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra *passionem Unigeniti Filii semper imitatur* » (2).

Cum his verbis s. Gregorii magni finem facimus. Haec enim verba totam explicationem sacrificii Eucharistici in hac dissertatione praestitam concinne et egregie resumunt, sicuti et ipsam Traditionem anteriorem resumebant. Nos autem, in exponenda essentia ss. Missae sacrificii, his verbis nihil addidisse confidimus.

(1) Encycl. « *Mirae caritatis* », modo laud., circa finem (*l. c.*, p. 653).
(2) S. Gregorius magnus, *Dial.*, IV, 58 (PL., LXXVII, 425 s.).

LOCI CITATI
EX VETERE ET NOVO TESTAMENTO.

INDEX PATRUM (1) ET SCRIPTORUM ECCLESIAE AC SCHOLAE (2).

(1) In citandis Patribus et scriptoribus Ecclesiae plerumque secuti sumus editionem MIGNE, *Patrologia Graeca* (= PG.) et *Patrologia latina* (= PL.), et quidem hanc editionem, cujus plura volumina denuo typis excusa sunt; quod advertatur, ubi paginae indicatae a priore editione discrepant.

(2) Opera auctorum hujus indicis cum locis ex novo Testamento tanquam *fontes* ad enodandam quaestionem de essentia ss. Missae sacrificii considerari possunt; addantur doctrina et decreta Conciliorum, praesertim ss. Trid. Syn., quae reperies ad nomina DENZINGER-BANNWART, HARDUINUS, LE PLAT et THEINER in indice sequenti.

INDEX AUCTORUM (1).

(1) In hoc indice notantur non tantum auctores, qui de essentia ss. Missae sacrificii scripserunt,(et litteris majoribus indicantur,qui in hac quaestione magis attendendi veniunt), sed adhuc scriptores, quorum opera ad solvendum problema de essentia sacrificii generice sumpti, aut etiam ad criticam et historiam faciunt.

E.

F.

I.

J.

K.

T.

X.

Z.

PRAECIPUA ERRATA.

p. 7, l. 2	*loco*	catholicae	*lege*	catholicorum.
p. 34, l. 14	—	Ecclesiae	—	Ecclesia.
p. 75, l. 1 et 2 a. f.	—	Lev.,	—	Num.
p. 114, n. 4	—	*Ps.* L (XLIX)	—	*Ps.* L (LI).
p. 243, l. 3-4	—	ἀνθρωποίητον	—	ἀνθρωποποίητον.
p. 283	—	Art. 3	—	Art. 4.
p. 295, p. 23	—	deam	—	ideam.
p. 328, p. 23	*inseratur*	habet	*post*	institutum.
p. 330, l. 12	*loco*	saneita	*lege*	sancita.
l. 14	—	instituit	—	instituerit.
n. 3	—	*Luc.*, XXI	—	*Luc.*, XXII.
p. 339, n. 5, l. 10	*deleantur verba* ad Dei.			
p. 340, n. 1	*loco*	Gren. Gyss.	*lege*	Greg. nyss.
p. 383, l. 14	—	res picere	—	respicere.
p. 411, l. 31	*deleatur* est			
p. 419, n. 2, l. 9	*loco*	putas.	*lege*	puta s.
p. 428, l. 11	—	libendum	—	bibendum.
p. 462, l. 11	*deleatur* quae.			
p. 492, l. 20	*loco*	REQUIERITUR	*lege*	REQUIRITUR.

Universitas catholica lovaniensis

Dissertationes ad gradum doctoris in Facultate Theologica consequendum.

SERIES PRIOR.

1. A. KEMPENEERS. *De Romani Pontificis primatu ejusque attributis,* 1841.
2. H. J. FEYE. *De matrimoniis mixtis,* 1847.
3. C. DE BLIECK. *De unitate Ecclesiae catholicae,* 1847.
4. V. A. HOUWEN. *De parochorum statu,* 1848.
5. N. J. LA FORÊT. *De methodo theologiae sive de auctoritate Ecclesiae catholicae tamquam regula fidei christianae,* 1849.
6. PH. VAN DEN BROECK. *De theophaniis sub Vetere Testamento,* 1851.
7. A. HEUSER. *De potestate statuendi impedimenta dirimentia pro fidelium matrimoniis soli Ecclesiae propria,* 1851.
8. F. J. JADOT. *Patrum antenicaenorum de Verbi consubstantialitate doctrina,* 1857.
9. TH. J. LAMY. *De Syrorum fide et disciplina in re Eucharistica ; accedunt veteris ecclesiae syriacae monumenta duo : Joannis Telensis resolutiones nunc primum editae et latine redditae ; Jacobi Edesseni resolutiones canonicae syriace cum versione latina,* 1859.
10. A. J. LIAGRE. *Interpretatio epistolae catholicae s. Jacobi,* 1860.
11. A. C. M. VAN GAMEREN. *De oratoriis publicis et privatis,* 1861.
12. E. H. J. REUSSENS. *Syntagma doctrinae catholicae Adriani VI, P. M.,* 1862.
13. F. J. MOULART. *De sepultura et coemeteriis,* 1862.
14. L. HENRY. *De residentia beneficiatorum,* 1863
15. C. M. DE ROBIANO. *De jure Ecclesiae in universitates studiorum,* 1864.
16. A. J. J. HAINE. *De hyperdulia ejusque fundamento,* 1864.
17. A. B. VAN DER MOEREN. *De processione Spiritus sancti ex Patre Filioque,* 1865.
18. F. J. DEMARET. *De origine Evangeliorum deque eorum auctoritate historica,* 1865.
19. J. B. ABBELOOS. *De vita et scriptis sancti Jacobi, Batnarum Sarugi in Mesopotamia episcopi,* 1867.
20. A. VAN WEDDINGEN. *De miraculo deque ejus in christiana demonstratione usu et valore,* 1869
21. J. L. J. LIAGRE. *De hominis exaltatione ad ordinem supernaturalem,* 1871.
22. H. J. L. HERMES. *De capitulo sede vacante vel impedita et de vicario capitulari,* 1873.
23. B. T. POUAN. *De seminario clericorum,* 1874.
24. H. C. C. LAMBRECHT. *De sanctissimo Missae sacrificio,* 1875.
25. A. MULLER. *De placito regio,* 1877.
26. J. THYS. *De peccato originali,* 1877.
27. M. B. G. FINK. *De concordatis,* 1879.
28. H. J. T. DE BROUWER. *De fide divina,* 1880.

29. G. J. Waffelaert. *De dubio solvendo in re morali*, 1880.
30. L. J. Lesquoy. *De regimine ecclesiastico juxta Patrum apostolicorum doctrinam.* 1881.
31. J. Forget. *De vita et scriptis Aphraatis, sapientis Persae,* 1882.
32. J. E. Hizette. *Definitionis vaticanae de infallibili Romani Pontificis magistero commentarium theologicum*, 1883.
33 P. Mannens. *Disquisitio in doctrinam s. Thomae de voluntate salvifica et praedestinatione*, 1883
34. C. Lucas. *De naturali nostra cognitione Dei*, 1883.
35. O. F. Cambier. *De divina institutione confessionis sacramentalis*, 1884.
36. F. C. Ceulemans. *De parvulis qui sine baptismo moriuntur*, 1886.
37. G. J. Crets. *De divina Bibliorum inspiratione*, 1886.
38. A. Van Hoonacker. *De rerum creatione ex nihilo*, 1886.
39. A. Hebbelynck. *De auctoritate historica libri Danielis, necnon de interpretatione vaticinii LXX hebdomadum*, 1887.
40. J. Bauduin. *De consuetudine in jure ecclesiastico*, 1888.
41. M. Lecler. *De romano sancti Petri episcopatu*, 1888.
42. L. J. Mierts. *De resurrectione corporum*, 1890.
43. A. Auger. *De doctrina et meritis Joannis van Ruysbroeck*, 1892.
44. J. B. Chabot. *De sancti Isaaci Ninivitae vita, scriptis et doctrina*, 1892.
45. C. Scheys. *De jure Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia*, 1892.
46. A. Knoch. *De libertate in societate civili*, 1895.
47. H. Poels. *De historia sanctuarii arcae fœderis*, 1897.
48. P. Ladeuze. *Etude sur le cénobitisme pakhômien pendant le quatrième siècle et la première moitié du cinquième*, 1898.
49. A. Camerlynck. *De quarti evangelii auctore*, 1899.
50. A. Michiels. *L'origine de l'épiscopat*, 1900.
51. A. Van Hove. *Etude sur les conflits de juridiction dans le diocèse de Liége sous Erard de la Marck*, 1900.
52. G. Voisin. *L'Apollinarisme*, 1901.
53. H. Coppieters. *De historia textus Actorum Apostolorum*, 1902.
54. E. Van Roey. *De justo auctario ex contractu crediti*, 1903.
55. F. Claeys-Boúúaert. *De canonica cleri saecularis obedientia*, 1904.

SERIES SECUNDA.

1. C. Van Crombrugghe. *De soteriologiae christianae primis fontibus*, 1905.
2. Th. Van Oppenraaij. *La doctrine de la prédestination dans l'Église réformée des Pays-Bas*, 1906.
3. E. Tobac. *Le problème de la justification dans saint Paul*, 1908.
4. J. Lebon. *Le monophysisme sévérien*, 1909.
5. G. Kisselstein. *Les dons et legs aux fabriques d'églises paroissiales en Belgique*, 1912.
6. P. Ricard. *De satisfactione Christi in tractatum s. Anselmi « Cur Deus homo »*, 1914.
7. J. P. Van Cauwenbergh. *Etude sur les moines d'Egypte depuis le Concile de Chalcédoine* (451) *jusqu'à l'invasion arabe* (640), 1914.
8. H. Lamiroy. *De essentia ss. Missae sacrificii*, 1919.
9. A. De Meyer. *Les premières Controverses Jansénistes en France* (1640-1649), 1919.